LOGICÆ SYSTEMA HARMONICUM:

IN QUO

UNIVERSUS BENE DISSErendi modus ex authoribus Peripateticis juxtà & Ramćis traditur

Per

PRÆCEPTA BREVIA,
CANONES SELECTOS, ET
COMMENTARIA DILUCIDA.

Quibus non ſolùm ſcientia nobiliſſimæ artis, ſed etiam uſus, & is quidem inprimis continetur.

Authore

JOHANNE-HENRICO
ALSTEDIO.

Dextrâ manu tradita ne accipe ſiniſtrâ.



Sum Johannis Adami Heidfeldii

Herbornæ Naſſoviorum. 1614.

AUTHORES,

QUORUM OPERA

SYSTEMA HOC LOGICUM sic conſcripſimus.

Ariſtoteles.
Adolphus Scribonius.
Amandus Polanus.
Antonius Rubius doctor Mexicanus.
Bartholom. Keckermannus.
Caſpar Olevianus.
Clemens Timplerus.
David Schramus.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Titelmannus.
Fridericus Beurhuſius.
Fortunatus Crellius.
Georgius Dounamus.
Guilielmus Tempellus.
Guilielmus Urſinus.
Henningus Arniſæus.
Jacobus Zabarella.
Jacobus Reneccius.
Johannes Sturmius.
Johan. ab Hœckelshoven.
Johannes Piſcator Argentinenſis.
Julius Cæſar Scaliger.
Julius Pacius.
Lambertus Danæus.
Otho Caſmannus.
Philippus Melanchthon.
Petrus Ramus.
Petrus Molinæus.
Petrus Fonſeca.
Rodolphus Agricola.
Rodolphus Goclenius.
Rodolphus Snellius.
Victorinus Strigelius.
Zacharias Urſinus.

GENEROSI ET MAGNIFICI VIRI,

CUNRADI von der Tanne/

SACR. CÆSAR. MAJEST. ET ILLUSTRISS. PRINCIPIS FULDENSIS CONSILIARII GRAVISSIMI,

PRÆFECTI IN BRICKENAW MERITISSIMI,

LIBERÆ FRANCICÆ NOBILITATIS IN TRACTIBUS RÖNI ET WERRH CAPITANEI EXERCITATISSIMI,

DOMINI RÖMERSHAGI ET WERRHE,

DOMINI ET PATRONI MEI BENIGNI,

FILIO MAGNÆ EXPECTATIONIS

JOSUÆ von der Tanne/

HARMONIAM LOGICÆ ARISTOTELICO-RAMEÆ

DEDICO L. V. M.

Johan-Henricus Alstedius.



Erena frontem, Nobilissime Josua, parentis magni spes maxima, & adverte animum, dum instituo reddere rationem scriptionis, quâ publicum, & inscriptionis, quâ tuum commodum mihi proposui utcunque provehere. Atque ut hinc exordiar, multi temeritate quâdam compelluntur ad scribendum multa in publicum; plures fami, plurimi famæ scribunt. En tres classes illorum, quos non ineptè dixeris Scriptorum nugas. *Præter hos sunt alii (sed nimis quàm pauci) qui compelluntur inscitiâ ad scribendum, non dico subtilia vel plausibilia, sed utilia, sed facilia. Atque in his profiteor meum nomen, conatu potiùs & voto, quæ mea est gloria, quàm ipso facto, quæ mea est tenuitas. Hem paradoxum, inquiet aliquis, tu hîc commemoras! Næ paradoxum, inquam ego, existimes, verborum superficiem si adspicias: at corpus ipsum si introspicias, minimè paradoxum. Rem totam sic accipe. Pauca nota nobis, ac ne illa quidem fortasse. Nam in luce rerum tenui caligamus: in mediocri cæcutimus: in majore cæci sumus: in maximâ insanimus. Quid aliud? quàm nescimus. O miseros nos ignorantiæ filios! Sed ô miseriores illos, qui suam ignorantiam ignorant!*

rant! O contrà feliciſſimos illos, qui didicerunt ſuam ignorantiam non ignorare! Hi enim morbum ſuum agnoſcunt, ideoq; inveſtigant omni conatu remedium. Ex his efficitur, ſcriptores cordatos (de iis enim mihi ſermo) eſſe mancipia inveſtigationis, ut ſint liberi comites veritatis, quam adepti, à morbo Epidemico, quem inſcitiam dicimus, convaleſcunt. Quòd ſi ita eſt, profectò inſcitiâ compelluntur ad ſcribendum. Dum enim vident ſe circumſeptos tenebris, inveſtigant modum elabendi: dum inveſtigant, ignorant, adeoq; hoc agunt, ut ſciant: ſcire cupiunt, ut fratres ignorantiæ, quemadmodum vulgus, vel inſcitiæ filios, ut philoſophus ait, ex iſto cœno liberent. Magnas itaq; gratias divæ iſti potenti INSCITIÆ *habere oportet, utpote matri ſolidioris ſcientiæ. Non tamen inſcitia, quâ talis, tam generoſam filiam parere poteſt, ſed quâ cognita. Quare quando dicimus, inſcitiam compellere viros bonos ad benè merendum de bonis, ſenſum inſcitiæ & imperfectionis notamus, atq;, ut ita dicam, ſcientiam propriæ inſcientiæ. Hoc cùm in reliquis diſciplinis, quas cyclopædia in ſe complectitur, tum maximè in ocello illo artium, Logicâ, pleniùs cognoſcendâ verum eſſe deprehendi. Inſcitia mea me compulit ad ſyſtema hoc quale-quale communicandum cum iis, qui meminerunt ſe eſſe homines, hoc eſt,*

dictatricis illius inscitiæ imperio subjectos. Hinc patres & proceres regni Logici ivi consultum; illorum monumenta perlustravi; ex fontibus ipsorum amnes ad meum hortulum irrigandum fœcundandumq; derivavi; deniq; ex illorum cœlo stellulas, non magico murmure, sed laboris constantiâ deduxi, & in ordinem digessi, ordini illi, qui in cœlo nativo, utcunq; respondentem. Quemadmodũ autem in reliquarum opulentiâ fortunarum, quod quisq; Dei beneficio, suo labore ac diligentiâ consecutus fuerit, id in medium ponere, & impartire non habenti tenetur lege naturæ: ita & in Rep. literariâ, si quis Dei gratiâ, & lectione sæpe repetitâ aliquid adeptus est, quod publicè prodesse potest, non æquum, sed æquissimum est, ut illud etiam aliis cognitum sit, ut ita felicitates ingeniorum communicentur. Is est sapientum finis, qui libros condunt; vesanorum, gloriola præmium, vel lucellum scopus. Cùm igitur in agro Logico excolendo ab annis sex septem jam versatus sim, & nonnullas ingeniorum felicitates congesserim, officii mei esse duxi, illas cum felicibus ingeniis communicare. Fovet autem me spes non exigua, feliciores mortalium tam libenter accepturos, tam gratè acceptum laturos, quàm haud gravatè hoc levidense munus ipsis ab homine salutis publicæ studiosissimo collatum, dicatum. Sed

quid

quid dixi ſpem me fovere magnam? Tantum abeſt, ut illa ſpes me foveat, ut planè ſim exſpes hâc in parte. Quotus enim quisq; eſt meliorum, qui non videt ſcribendi periculum hoc ævi, quo ſtudia noſtra ex aliorum pendent calumniis? O tempora perdita! ô mores perverſi! Quem non dejiciant de ponte atri iſti cenſores? Quanquam quid eſt, quòd illos homines moramur, cùm in nullius hominis poteſtate ſit, ut exhauriat omnium imminentium judiciorum expectationem? Non hoc mihi ſumſi unquam, neq; deinceps ſumam: ſed id operam dabo, ut & modeſtia mea, de quâ modeſtiorum eſto judicium, & diligentia, quæ mediocris, & amor tam veritatis quàm juventutis, cujus commodis ſtudere conor, veniam meruiſſe videatur apud eos, qui rectis moribus. Nigros cenſores quod attinet, illis hoc veluti Gorgonis caput objiciam: Ex virorum de univerſó orbe literato optimè meritorum picturis exquiſitiſſimis colores tranſtulimus, non eraſimus, ad opera noſtra; noſtra, inquam, ſed ita ut ſint non-noſtra. Nihil enim aliud, quàm aliena recitamus. Hoc ego me clypeo defendam adverſus Theoninos maleferiatorum dentes. Veniant illi & rodant hæc noſtra. Reſpondebo, illos rodere noſtra non-noſtra. Noſtra; quia noſtro vaſe: non-noſtra; quia ex communi caſtello & fonte hauſta ſunt. Idem enim hic uſu-

venit, quod in urbe populosâ. Aqua in medio est posita, adeoque est omnium. At qui haurit, facit suam, suo vase. Hausi ego ex fonte, quem aquileges Logici construxerunt in medio regni sui foro. Hanc aquam feci meam, vase methodi instructus. Si fortè aqua, in castello limpida, fæculentũ quid à meo vase attraxit, veniam mihi dari postulo, fæces notari & secerni, aquam gustari flagito. Heus, quisquis es, qui boni civis titulum bono titulo possidere cupis, si concivis tuus vase sordidato hauriat aquam, ipse verò non videat sorditudinem, tu videas, annon tuum est, ipsum monere de periculo; quòd si nõ purget, castigare, sed civiliter? Hoc idem ego concivis tuus expectabo à te, qui membrum es Reip. eruditæ. Crede, nihil mihi commodius, gratius nihil evenire potest, quàm civilis scitusque castigator. Sordidulum fortean est vas meum? Potest fieri, ut ego non animadvertam, tu me oculatior videas. Mone. Purgabo quantocyus. Sordidum est planè? Increpa. Optimam in partem accipiam, & gratias agam. Sed increpa civiliter, non sarcasticè, non scurriliter. Hâc enim ratione animum mihi deditum, meæque sanitatis studiosum cognoscam, & demereri studebo: secus si feceris, arrogantem te hominem, & suæ fragilitatis oblitum enixè fugiam. Sed quorsum me abripit inscitiæ fervor? Verbo hîc complectar totum negotium:

gotium: Ex inscitiâ meâ surrexerunt, quæ hîc vides ædificii Logici rudera; ex artificum absolutissimorum scriniis eruta sunt, quæ hîc vides palatii Logici fundamenta, tecta, ordinem, dispositum, symmetriam, decorem, aream, parietes, apertiones, materiam, lateres, calcem, arenam, & id genus alia, quæ in ædificio splendido considerare solent architecti. Rudera nostra non demolietur, sed excitabit, firmamenta & ornamenta aliorum admirabitur juxta & ad suos convertet usus, qui Logici palatii structuram non impeditam cupit.

Nunc ad te, Josua Nobilissime, mea festinat oratio, redditura rationem inscriptionis, quâ librum qui publicâ editione factus est multorum, mihi placuit singulariter efficere tuum. Postularunt id parentis tui, viri magnanimi, erga me merita, & tua in studiis alacritas, ingenii bonitas, & morum jucunditas; quæ tria mihi hactenus, nō dico probasti, sed probas. Sic namq; me loqui decet. Cùm enim prius illud finem, posterius continuationem sonet, & verò tu persistas adhuc dum in regiâ, quam ingressus es, viâ, continuationis, non cessationis formulâ in laude tui me uti oportuit. Duplex igitur mihi fuit incitamentum ad tibi hoc, quidquid est opellæ, consecrandum: alterum à patre, alterum à te mihi oblatum. Principiò enim tanta parentis tui,

viri ad magnanimitatem facti, in me extant merita, ut ingratitudinis notam effugere nullus possim, si animum ipsi deditum & devotum non testatum faciam eo signo, quo possum, quoque soleo fautorum meorum magnificam munificentiam, & munificam magnificentiam deprædicare. Etenim cùm omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tum nihil est, quod malim, quàm me & gratum esse & videri. Mearum quidem partium erat, stylum meum convertere ad ipsummet dn. parentem tuum, & virtutes ejus in tabulâ peramplâ depingere: Sed historia Hectoris & Alexandri Magni animum hunc mihi eripuit: è quib. ille apud Comicum ait; Cupio laudari, sed à te viro laudato: *iste, neque pingi, neque fingi nisi à præstantissimis artificibus, Apelle & Lysippo voluit, & Achillem præ se felicem ad tumulum ipsius cum gemitu prædicavit, quòd ille virtutum suarum præconem Homerum nactus esset. Hæc cùm paulò altiùs perpenderem, Nobilissime Josua, sic apud me mussitavi: Parentem tuum, Franconiæ suæ clarissimum sidus, virumque laudatissimum, à viro laudato, & Franconiæ illo Vergilio, Melisso, vel Taubmanno ejusdem Ovidio, laudari potuisse, à me non posse, qui sum quotacunque Reip. literariæ pars. Verùm enimverò, ne hæc mea tenuitas ingratitudinis notam mihi inureret, ad te, quem*

quem paternæ virtutis hæredem cum Deo futurum auguror, mihi confugiendum esse duxi, ut ita in Lunâ stricturam radiorum solarium aliis ostenderem, cùm in ipso Solis corpore non possem. Sic igitur generosus tuus parens accipiat hoc chartaceum donum, tanquam observantiæ meæ erga ipsum, tu verò, tanquam benevolentiæ meæ erga te stabile aliquod monumentum. Ut autem evidentiori adhuc argumento demonstrem hunc meum animum tibi deditum, proponam tibi nobilis adolescentis ideam & veluti picturam, quam subinde inspicias, ut ita magis inflammeris ad currendum cursum illum laudabilem in stadio pietatis & humanitatis. Sic enim persuasus sum, ingenuo adolescenti, sponte suâ ad palmæ honores currenti, non posse commodius calcar ad fortiùs eundum addi, quàm si in publico honestæ Famæ, & laudatæ Mnemosynes templo ipsi suspendatur tabella, in quâ primò dotes, quib. est præditus, exprimantur, quibus dehinc salutares monitus subjiciantur, istas dotes qui foveant. Prius illud jam præstiti, & citra palpum præstiti, quando te, mi Josua, commendavi à tuâ in studiis alacritate, ab ingenii bonitate, & à morum tuorum jucunditate. Sæpenumero hanc tabellam & picturam indolis tuæ adspice, & sic statue, fore tibi summo dedecori, si aliquando alii legant hoc tui præco-

nium, & te regiâ viâ excidisse animadvertant. Jam *superest ut posterius exequar, & elegantissimæ huic picturæ subjiciam monitus, quos subinde percurras, ut picturam tuam à situ, squalore & tineis præserves. Hosce monitus partiar in tria capita. Dicam enim,* Quid, Quomodo, & Quare *debeas discere hâc tenerâ ætate.* Quid *tibi discendum sit, disces ex illo Sapientum nostrorum: Ratio est manus intellectus, inquiunt illi; rationis oratio; orationis manus. Quotidie animo tuo volve & revolve hoc dictum, & disce illa, quæ rationi, orationi, & stylo formandis dirigendisq́ue serviunt. Rationem & orationem formant disciplinæ liberales, stylum exercitia. E disciplinarum liberalium universitate tu hâc quidem ætate decerpes omnes artes orationis, quas vocant, & artem rationis principem, Logicam. Quotidie igitur excole rationem tuam, ut discas cognitionem veri & actionem boni: quotidie da operam, ut oratio tua splendescat: quotidie stylum in manum sume. At hoc tædiosum, inquies, hoc laboriosum. Tædium hîc nullum, inquam ego, nisi iis, qui inviti discunt. Labor magnus, si quis cæco impetu feratur hoc in mari; non ita magnus, si cynosuram sequatur ducem. Breviter ergò accipe,* quonam modo *hæc tria effecta dare possis, non certè sine omni labore, id enim impossibile,*

sed ta-

sed tamen sine tædio. Ac primùm quidem à Dei cultu auspicatò tibi initium sumendum est, & in eodem desinendum, ita ut Deum facias Α & Ω tuorum studiorum. Sic autem sacro huic actui tribues primum & postremum diei, ut etiam reliquo, quod inter hæc duo extrema interjacet, tempore, Deum venereris. Cùm enim Dei sis filius, semper quæ Deo digna sunt cogitabis. Propè est à te Deus, tecum est, intus est. Hunc igitur reverere semper & ubiq;. Pietatem statue fundamentum tuarum actionum, & quoties contubernium Humanitatis ingredi cogitas, Pietatis templum ne præteri. E templo Pietatis rectâ ibis ad fanum Laboris & Constantiæ. Hîc tibi prima & ultima cura, ut non Latinè, sed benè Latinè scias. Hoc ut consequare, primò omnium leges Terentium, authorem purũ & concinnum. Postea te accinges ad lectionem Plauti, quo nihil habebis familiarius hoc in studio. Hunc Latinæ linguæ decus; hunc Musarum decimam; hunc Latii florem appellarunt viri latinitatis laude celebratissimi, qui tanti fecerunt hunc Comicum, ut ab illo initium fieri voluerint, in quo seorsum ab illis sentio, quòd sciam Plautum habere quædam difficiliora. Qui à Cicerone auspicandum esse putant, à januâ aberrant. Cùm enim grande sit ejus dicendi genus, in familiaribus colloquiis difficulter illo uti possumus. Fue-


rit autem unicè necessarium, ut semper Latinè loquaris cum iis, quibuscum vivis (in quibus principem locum obtinet Sigismundus Dörfeld, excitati ingenii juvenis) allatis in mediũ phrasibus Terentianis & Plautinis. Atq; ab his duobus authorib. non discedes, nisi & eleganter & promtè loqui possis. Tum accedes ad Ciceronis epistolas, quarum hic erit usus. Quemadmodum praxis Terentii & Plauti consistit in familiaribus colloquiis: ita praxis epistolarum Ciceronis absolvitur scriptione, quam tibi commendo geminam. Primùm sæpe scribes ad notos; tum omnem tuam vitã, aliorum etiam actiones conscribes, & finges personas, ad quas, & argumenta, de quibus scribas. His absolutis ad Logicam properabis: sed ad Logicam genuinam, hoc est, talem, quæ usum præceptis adjungit. Hîc facilè excellit triplex usus locorum inventionis, quem tibi hic liber monstrabit. Cum Logicâ conjunges Rhetoricam, non quamvis, sed talem, quæ distinctè proponit formulas figurarum ex optimis authoribus selectas, quæq; partem specialem de usu troporum & figurarum non prætermittit. Hujusmodi Rhetoricam brevi à nobis habebis, Deo benedicente, & aliquando pro isto labore, quem in illâ adornandâ exantlare stat sententia, gratias ages. Linguam Græcam non negliges, sed eâ contentione disces, ut possis interpretari textũ

facilem

facilem, & sententiam Latinam Græcè exprimere. Ab eloquentiæ studio, quod in orationum lectione, formatione & promulgatione cõsistit, hâc primâ ætate te abstinere jubeo. Non equidem ignoro, benè multos esse, qui eloquentiam induere satagunt pueris ab utero matris adhuc rubentibus, ut cum Satyrico loquar. Sed homines illi gloriosissimi, præterquã quòd opprimunt primam ætatẽ laboribus, oleum & operam perdunt, dum illa instillare volunt adolescentibus, quib. imbibendis illi nondum sunt pares propter judicii imbecillitatẽ. Possem hîc multa dicere de dignitate & necessitate Dialecticæ: sed malui aliorum verbis hoc præstare quàm meis. Illa sub calcem hujus præloquii legere habes.

Superest tertium caput meæ monitionis, quare *nimirum debeas jam dicta dicto discere modo. Hoc caput præterire non debeo, quippe qui scio multos generosos & nobiles adolescentes sibi persuadere, literarũ cognitionem, ignobilib. & vulgarib. hominibus necessariam, sibi non solùm non-necessariam, sed etiam inutilem esse. Nimirũ prosapia, facultates, copiæ, divitiæ, possessiones, ita fascinant teneras mentes, ut nõ videant bonarum literarũ majestatem & utilitatẽ. Tu, florentissime Josua, seorsum ab illis, vestri ordinis mendicabulis, senties. Tu statues, eruditionem præclaro generi splendorem adjicere non*

aliter atque bracteam gemmæ ſuppoſitam. Tu omnia fortunæ, quæ vocamus, bona, pro alienis habebis. Tu ſapientiam tibi viaticum ab adoleſcentiâ ad ſenectutem comparabis. Tu ſcientiam omnibus aliis bonis certiorem & firmiorem eſſe poſſeſſionem cogitabis. Tu virtuti litabis, quâ unâ viâ parens tuus ad tantum dignitatis faſtigium aſſurrexit. Tu denique verè nobilis radicis filium *te eſſe cogitabis; quâ formulâ utitur Amphilochius ad Seleucum. Hanc radicem, parentem tuũ, tibi propone exemplar & ſpeculum, in quod inſpicias. Non illius rebus præclarè geſtis ſtolidè ſuperbies, ſed quoties illas intueris (debes autem quotidie) dabis operam, ut illius virtutes imiteris, nec ſolùm honeſtam famam ab eo acceptam conſerves, verùm etiam inſigni acceſſione auctam ad poſteritatem transmittas; atque adeo non ſolùm adæques, ſed quod magis tantum virum optare credibile eſt, vincas. Hæc ut poſſis, faxit Deus, dator omnis boni; quem ſupplex veneror, ut parentem tuum, virum bono Reip. natum, tibi boniſque omnibus diu ſervet incolumem. Dabam è Muséo. Anno Chriſti Regis AEterni* M D C XIV.



DE DIGNITATE ET NECESSITATE DIALECTICÆ.

Plato in Philebo.

DEi donum eſt,& immenſo beneficio hominibus conceſſum,Dialectica. Eſt autem à Deo ad homines translata Dialectica per Prometheum quendam cum lucidiſſimo igniculo.

Hunc igniculum inProtagora interpretatur deMethodo, inquiens: Anxiè quærebat Prometheus,quid ad ſalutẽ conſervandam homini conferret. Tandem igitur ſuffuratus eſt artificioſam ſapientiam Vulcani & Minervæ unà cum igne, (Nam ſine hoc neq; teneri illa,neq; prodeſſe potuiſſet) illamq; homini largitur.

Idem in Parmenide Dialecticam his verbis laudat:

Præclarus eſt & divinus impetus,quo ad diſcendas optimas artes incitatus es,ſed reprime teipſum aliquantiſper,& exerce te magis in Dialectica,quæ multis falsò videtur inutilis & inanis garrulitas: Idq; facies,dum adhuc juvenis es. Quod ſi neglexeris,ſemper te veritas effugiet.

Idem in Phædro.

Nemo erit dicendi artifex,niſi & membra rerum rectè numerare,& in ſpecies partiri,& ſingulis convenientes definitiones attribuere norit. Hæc nemo ſine multo negotio conſequetur,quod ſuſcipiendum eſt à ſapiente,non ut dicendo & agendo hominibus gratificetur,ſed ut piè ſua facultate Deo grata dicat & faciat.


Cicero in 3.de Finib.

Ad eas virtutes,de quib.disputatum eſt,Dialecticã etiam adjungunt (*Stoici*) & Phyſicam: Easq; ambas virtutum nomine appellãt: Alteram,quòd habeat rationem,ne cui falsò aſſentiamur,néve unquã captioſa ꝓbabilitate fallamur,eaq; quæ de bonis &malis diceremus,ut tenere tueriq; poſſimus. Nam ſine hac arte,quemvis arbitramur à vero abduci falliq; poſſe. Rectè igitur,ſi omnib. in reb. temeritas ignorantiaq; vitioſa eſt,ab his ea,quæ tollit hęc,virtus nominata eſt.

Idem in 5.Tuſcul.

Sequitur tertia,quæ per omnes partes ſapientiæ manat &

funditur, quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera & falsa dijudicat, Disserendi ratio & scientia, ex qua cùm summa utilitas existit ad res ponderandas, tū maximè ingenua delectatio & digna sapientia.



Casmannus in philosophiâ Christianâ pag. 134. & 135. neotericorum elogia, quibus Logicam ornarunt, hunc in modum collegit:

Nulla est disciplina, quæ magis excitet, juvet, acuat ingenium hominis, quàm Logica. Nulla est ars, quæ judicium hominis, hoc est, dispositionem mentis ad solidè cogitandum & percipiendum, quid verum, quid falsum, quid consequens, quid verò inconsequens: quid ordinatum, quid verò confusum sit, dexteriùs informet ac firmet.

Hæc dirigit cogitationes hominis, ut rectè cogitent, inveniant, disponant, judicent. Hæc facit, ut ordine doceas & scribas, quæ rectè cogitasti. Hæc facit, ut bene discas, quod alter bene te docet. Oportet enim intellectum discentis conformari intellectui docentis, per normas Logicas. Per Logicam non solùm scimus, sed etiam nos scire scimus. Hinc illa inæstimabilis in intellectu lætitia & voluptas, quam generat Logica dubitationum optima medica. Hinc sublatâ dubitatione per Logicæ medicinam, constantia in veritate, ne facilè ab eâ seducaris. Logica facit, ut ab aliis tractata dextrè retexas, & penitiùs introspiciendo tractationis intimam essentiam, rectiùs intelligas. Hæc tibi ad omnis generis erudita colloquia & collationes manuductio.

Hæc sola facit, ut possis intimam scientiam ac habitum reliquarum disciplinarum tibi acquirere; quia Logica est magistra disponendarum omnium artium, & hac ratione suæ ipsius genitrix & formatrix. Logica te sola regit, ut comparato scientiæ alicujus vero habitu, secundum eum rectè opereris, hoc est, præcepta cognita ad usum in vita utilem traducas.



PRÆFATIO
Ad
LECTOREM.

Ita hæc præſens, Lector optime, ſimilis eſt panegyri. Sicut enim ad hanc alii certaturi, alii negotiaturi, alii optimi ſpectatores, alii nigri momi optima quæque & optimos carpere parati veniunt: ita & in vitam alii gloriæ mancipia naſcuntur, alii cupiditatis aucupes, alii veritatis ſtudioſi, alii veritatis & ſtudioſorum veritatis hoſtes profeſſi. Inter hoſtes illos facilè agmen ducunt homines quidam ambitione elati; quo vitio nihil potentius, quoties præſertim animum ſublimem & erectum invaſit, ad veritatis oppreſſionem. Ambitio enim omnia labefactat, omnia pervertit, omni machinâ & tormento fortiùs mentis mœnia expugnat; neque quidquam penſi præter ſemet ipſa habere ſolet: & ut ſanguine taurino adamantem emolliri ſcribunt hiſtorici naturales, ita robuſtiſſima veritatis arx attactu illius collabaſcit. Utinam igitur ſingulis Scholarum foribus inſcriberentur aurea illa magni Scaligeri verba: *Studio atq; magnanimitate parandum ſervandumq; eſt regnum literarum, cujus anima Virtus & Veritas eſt: non ambitionibus atque factionibus exercendæ conjura-*

tiones: quibus aliorsum aliis distrahentibus Sapientia ipsa, quæ in medio erat, lacerata est. Utinam, inquam, hæc verba foribus Scholarum, vel potiùs animis eorum, qui susq; deq; habitis rebus ad gloriam & voluptatem pertinentibus, rerum præclarissimarum cognitionem unicè quærunt, inscriberentur! Minus tumultuosorum ingeniorum, minus superciliosorum judicum, minus novorum hominum præsens hoc seculum parturiret & pareret, si quisque elegantissimam illam sententiam animo suo subinde volveret & revolveret. Hâc enim ratione fieret, ut rhapsodi calumniarum scriptores sibi temperarent ab excrementis illis, quibus viros de re literariâ benè meritos conspurcant, in publicum magno molimine protrudendis. Hâc ratione fieret, ut omnes omninò unam Trojam ædificare conaremur. Hâc denique ratione fieret, ut omnes dextrâ manu doctrinam traderent, omnes ita acciperent, nemo sinistrâ manu dextrè traditam arriperet. Hæc bona, hæc, inquam, omnia cernere liceret, si mentem vi ambitionis penitus emancipatam gereremus. Ego certè magis id conor, quàm adsequor, dum quotidie id ago, ut suam cuiq; laudem, laborum præmium & relinquam libenter, & deferam liberaliter. Hujus mei conatus specimen nunc edo Logicas hasce curas, in quibus quid à me præstitum sit, quanquam id omne perexiguum est, tribus verbis in hoc limine edisseram. Principiò tanquam scopulum declinavi illa subtilitatum Logicarum, quæ vocant, myrothecia, è quibus inanes disputationes πρὸς μένην φαντασίαν comparatas depromunt. Usum, usum dico respexi tanquam

tanquam cynoſuram meæ qualiscunq; ſcriptionis. Hinc factum, quòd doctrinam de themate, de prędicamentis, de fallaciis, de uſu denique Logices in hoc Syſtemate tradiderim. Nam ſine doctrinâ de thematis naturâ & varietate nulla disputatio, oratio nulla, nulla denique tractatio ſolida perfici vel etiam reſolvi poteſt. Nimirum quod in ædibus eſt janua, id in quâvis tractatione methodicâ & artificiosâ eſt thema. Quod in corpore eſt caput, id in oratione eſt propoſitio. Hinc thema ſoleo conferre capiti, argumentum principale cordi tractationis, argumentum minùs principale ornamentis ſeu veſtibus corporis. Si quis igitur non teneat animo præcepta de themate, quomodo amabo poterit feliciter thema aliquod tractare, vel tractatum ab alio reſolvere? Prædicamenta Logicis inſtrumentis adnumeravi fretus argumentis duobus. Primum eſt: Notio ſecunda faciens ad bene diſſerendum, debet tradi in Logicis. At prædicamentum eſt hujusmodi notio. Alterum: Si doctrina de causâ, cauſato, ſubjecto, adjuncto &c. eſt Logicæ conſiderationis, quídni etiam fuerit doctrina de prædicamentis? Rationem hujus conſequentię aliquoties dixi in ipsâ hâc tractatione, quò te amando. Nihil hîc dico de uſu prædicamentorum in definitionibus conſtituendis, de voce ipsâ, quæ nobis argumento eſt, uſum ipſorum Logicum eſſe (prædicamentum ſiquidem à prædicando nomen habet) nunc attingo nihil. Fallaciarum doctrinam prætęrire nullus potui, quando mecum perpendi, nullam disputationem haberi poſſe cum laude, niſi quis in illâ ſaltem infra mediocritatem ſit verſatus.

Præcepta de uſu Logices in ipſo Syſtemate tradidi, non tanquam appendicem illi adjeci; quia modum diſſerendi duobus modis ſpectari poſſe & debere vidi, videlicet in genere & in ſpecie. Ubi autem tractatio generalis de modo diſſerendi locum habet, ibidem & ſpecialis locum habeat oportet; niſi velimus adhuc aliam diſciplinam de modo bene diſſerendi à Logicâ planè diſtinctam comminiſci. Nihil certius eſt illo Logicorum canone: *Homogenea in arte ſunt, quæ ad illius definitionem, adeoq; objectum & finem notificandum faciunt.* At doctrina de uſu inſtrumentorum Logicorum facit ad definitionem Logices, itemque objectum & finem illius notificandum, ut infrà aliquoties probatum eſt. Quocirca doctrina illa in ipſis, ut ita dicam, viſceribus Logices tradenda, nō velut ἐπίσαγμα καὶ προσθήκη, ut multi loquuntur, ipſi ſubjungenda fuerit. Præterea liberè ſum philoſophatus, nunc Ariſtotelem, nunc Ramum ſecutus, nunc utrique obloquutus, ſed ſine acrimoniâ. Si quando ſcripſi Ramum errare, ſcapham appellavi ſcapham & ficum ficum. Idem de Ariſtotele ſcripſi quibusdam in locis. Nolim hominis intellectum ligari, cùm Deus illum conſtituerit rerum dominum, ut quodam in loco Scaliger ait. Sed nimis durè videbor alicui tractaſſe nonnullos interpretes, quos vocavi ſeculi incommoda, ineptiarum ſcriptores, novos homines, novos cauſarum judices. Fateor primâ fronte hæc iſta videri dura: ſed ſi quis iſtorum hominum αὐθάδειαν cum noſtrâ reprehenſione contulerit, videbit, nos juſtam illius habuiſſe cauſam. Et verò ſemper temperavi reprehenſiones iſtas deſcriptio-

nibus

nibus talibus, è quibus constare potest viris bonis, me non petere boni alicujus famam, sed notare istos arrogantis supercilii argutatores, quorum unum opus omnia ab Aristotele vel aliis philosophis, viris omni exceptione majoribus, tradita carpere, & nil rectum putare, nisi quod ipsi scribunt; quique censent inde se cymbalum mundi, aut publicæ famæ tympanum fieri posse, quod Tiberius Cæsar de quibusdam sui seculi incommodis pronuntiavit. Hos, inquam, noto, qui studiosæ juventuti horum vel illorum bonorum authorum odium instillant, quos ipsi ne à primo quidem limine salutarunt. Alii reprehendent nostram prolixitatem. His respondebo, brevitatem convenientem esse adæquatam ipsis rebus tractandis. Non igitur brevitas est, sed imperfectio, quando quis pro suo lubitu è disciplinis adhibitâ falce, ut ita dicam, stultitiæ tollit illa vel illa, quæ omninò ad ipsius essentiam pertinent. Methodum, nobilissimum illud instrumentum, adhibemus disponendis rebus, ut faciliùs illas intelligamus; sed ita, ut fundamentum illius in rebus ipsis quæramus. Quæcunque igitur occurrunt in ipsis rebus, illa debent exprimi in ipsis disciplinis, quæ nihil aliud sunt, quàm ipsarum rerum expressæ imagines. Non igitur licuit nobis in hoc systemate adornando esse brevioribus, sive præcepta spectes, sive canones, sive denique commentaria. Nam præcepta & canones ex usu ipso hausimus, descripsimus, expressimus: commentaria præceptis & Maximis illustrandis adjecimus. Quare quoties aliquid in usu rectè disserentium nobis occurrit scitu necessarium, hoc in

tabulas haſce logicas retulimus, non violatis legibus methodi. Quoties præcepta & canones lucis egere deprehendimus, illam adferre pro virili noſtrâ conati ſumus. Hîc objiciat aliquis de Catonis cenſorii familiâ, non ex uſu, ſed ex ipſis naturæ fontibus, & elementis naturalis lucis inſitæ, unicuiq; artem Logicam eſſe excerpendam. Sed hunc velim paulò altiùs perpendere verba mea. Dixi ex uſu rectè diſſerentium me præcepta hauſiſſe. Quid verò eſt rectè diſſerere? An fortè uſus rectè diſſerentium repugnat luci naturæ? Apage iſtas ineptias. Sed nondum videor mihi omnibus ſatisfeciſſe, præſertim iis, qui rerum divinarum contemplationi vacant. Dicent illi, diſſertationes de rebus ſacris ex divinis myſteriis omninò legibus Logicis eſſe ſolutas, ideoque parùm ſobriè à me ad Logicam eſſe accommodatas. Gravis profectò hæc eſt objectio, ſi vulgus ſpectes imperitum; at ridicula, ſi viros cordatos. Scholaſtici doctores ajunt: Non poſſumus veritatem divinorum ſecundùm modum ſuum capere: ideò oportet, ut nobis ſecundùm modum noſtrum proponatur. Hoc conſiderent iſti Ariſtarchi, & deprehendent cardines, ſuper quibus verſantur præcepta religionis Chriſtianæ, quos articulos fidei vocant, lumine fidei immotos reddi à Spiritu ſancto in cordibus noſtris, ſed ita, ut lumen naturæ ſeu rationis non extinguatur. Quare nihil abſurdi committunt ii, qui res divinas notionibus logicis explicare ſtudent. Inſuper ſtomachabuntur nonnulli, quòd ſcripſi libro primo, exempla oratoria & poëtica non eſſe adducenda illuſtrationi præceptorum Logicorum.

rum. Hos velim ſcire, me non eſſe in rigidis illis Peripateticis, qui ſcripta oratorum & poëtarum ab uſu Logices planè excludunt, valde profectò ineptè, ſi quid judicare poſſum. Cùm enim illi obſervarint artificium Logicum pro ratione circumſtantiarum, utique illud & oſtendi poteſt, & utiliter obſervatur. Sed hoc ego hîc non diſputo, ſed illud: an in Logicâ generali, ubi ſpectatur ἀκρίβεια, illa exempla poſſint habere locum? In parte ſpeciali, ubi uſus præceptorum oſtenditur, hæc talia exempla proponi debent, non in generali. Adhæc ſi quempiam offendet, quòd Logicam facio artem non ſolùm intellectus, ſed etiam memoriæ: illum jubebo expendere protrita iſta dicta: ordo eſt memoriæ mater; τὰ δ᾽ἄτακτα δυσμνημόνευτα; intelligentia bona facit bonam reminiſcentiam; eadem ſunt media intelligendi, & intellecta ſervandi in memoriâ. Sed ut extremum aliquod habeat mea præfatio, publicè proteſtor, me bono animo emittere hoc quidquid eſt inſtitutionis Logicæ, ideoque bonos obteſtor, ut eodem animo accipiant. Dedi chirographum ingenii humani, hoc eſt, rerum omnium ignari in hâc humanâ caligine, Logicâ hâc in publicum ſcriptâ. Æquum igitur fuerit, ut ii, qui ejuſdem imbecillitatis & naturâ ſunt filii, & alumni inſtitutione, mihi ignoſcant, ſi forte lapſus ſum judicio, ſi falſus animi, qui ſæpe umbram captat pro re ipſâ, more canis Æſopici, & ſeipſos homines eſſe agnoſcant. Summa: Cum hominibus mihi res eſt, non cum angelis, neque etiam cum τρισανθρώποις, hoc eſt, iis, qui in dicendo & ſcribendo gloriam captant. Hos enim Diogenes Cy-

nicus vocat τρισανθρώπους, *ter homines*, pro eo quod est, τρισαθλίους, *ter infelices*. Sanè satis appositè. Nam ille ter & ampliùs infelix est, qui saccum fumo repletum & olidum ostentat. At gloria quid aliud quàm fumus? Fumus quò magis ascendit, eò citiùs evanescit. Spatiatur velut in aëre, & gestit caput inter nubila condere. Hoc ipso perit. Idem de gloriolâ illâ, quam rumigeraucupidi, ut facetè magnus ille Scaliger ait, è scriptiunculis quærunt, velim te cogitare. Quando illi homunciones existimant, se famâ pulsare verticem cœli, gloriolæ fumus abit in auras. O verè igitur magnum animum, qui parva ista contemsit semel! Gloriam illam oportet quærere, quæ ab æterno in æternum durat. Hanc si extra Deum quæris, Deum non nosti. Et hanc si quæris, solam quærere debes, non aliam. O utinam hoc ita assequar, ut volo, ut conor! Ex parte tamen assequor, & hâc triumphali veluti tabellâ obsigno hoc præloquium. Gloriam ego nullam quæro, nisi Patris illius luminum, quem precor ut det nobis in hujus vitæ tenebris lumine Logico sic uti, ut illud nobis sit manuductio ad luminis supercælestis fulgorem cognoscendum, donec cum ipso in æternitate conjungamur.

AD LE-

AD LECTOREM

De collatione LOGICÆ cum aliis artibus.

NIl mirabilius Logicâ est. Confecit ea artes,
Séque ipsam fecit, quæ fuit antè nihil.
Se fabricata fuit, sese conservat & ipsam.
Mirum ænigma tibi, lector amice, damus.
Hæc veluti regina sedet, dijudicat omnia.
In sophia primum nempe tribunal habet.
Utque supra æthereos sol aureus emicat ignes;
Sic artes inter prominet hæc Logica.
Quid? Logice superat solem. Sol namque diurno
Tempore dat lucem, nocte sed hancce negat.
At Logicæ sidus nunquam occidit. Istud in ipsis
Tam tenebris splendet, quàm redeunte die.
Ergo legas Logicen isthanc studiosa juventus,
Quam dedit ALSTEDII *sedula cura tibi.*
Qui bene disserere, & Logicâ bene te docet uti:
Unicus hic Logicum qui facit usus erit.


GEORGIUS PASOR.

AD LECTOREM

De collatione Legum cum aliis scriptis.

[illegible]

[illegible]



LOGICORUM LIBER PRIMUS De THEMATE.

Cap. 1. Logicæ definitio & distributio, adeóque natura.

Logica est ars modum benè disserendi tradens. Definitio Logicæ.

Quod viatori est herma, scribæ calamus, Geometræ circinus & norma, infanti serperastra; id Philosopho, Theologo, Jurisconsulto & Medico est Logica; instrumentum videlicet non arbitrarium, sed necessarium. Hinc illa in Organi Aristotelici inscriptione vocatur ὄργανον ὀργάνων καὶ χεὶρ τῆς φιλοσοφίας; augusto sanè titulo. Malè igitur suis studiis consulunt, qui hoc instrumento necessario susque deque habito, in immenso infinitarum materiarum pelago se quasi volutant. Sed & illi non minùs malè sibi consulunt, qui Logicis chartis duntaxat impallescunt & tantùm non immoriuntur, alias verò disciplinas ne primoribus quidem labris degustant, existimantes ἅπαντα ὀκτώ, ut vetus est verbum, in Logico campo latere; de quibus *Lipsius lib. 1. manuduct. ad Stoicam Philosophiam dissert. 16.* ex Plutarcho eleganter: *Quidam philosophantium,* ait, AVIBUS *similes videntur, qui levitate quâdam & ambitione ingenii elati alta petunt, & physica scrutantur tantùm. Alii* CANIBUS, *qui laniare & vellicare avidi, soli Logicæ adhærescunt, ut pelli, & in eâ rixantur, & mentem ad ulteriora non mittunt.* Sic ille. Utrumq; hoc cacoëthes volui sanare, quando Logicam instrumentum dixi necessarium. Si enim est instrumentum

Logica quomodo sit instrumentum?

necessarium, principalis agens (sive sit Philosophus, sive alius facultatis sectator) ad producendum effectum simpliciter eo carere non potest. Et rursus, si instrumentum est, non continebit in gremio suo omne scibile, tanquam divina quædam favissa; id quod bene multi sibi persuasum habent, & aliis persuadere conantur. Ex his efficitur, Logicam hoc modo proponendam esse, qui prolixitate non fatiget, qui brevitate non obscuret, qui suavitate delectet. Si enim prolixa & tricubitalia volumina Logica scribantur, in quibus minutiæ Logicæ excutiantur, multi laudatissimam artem negligent, plures in eam opinionem venient, omnia ex Logicis disci posse. Si brevia nimium præcepta, & ea quidem exucca, sine Maximis, adferantur in medium, necessitas Logicæ tyronibus non patebit. Denique si barbaris & horridis terminis, quorum uberrima messis est apud quosdam Scholasticos, utare, venustam virginem panноso isto amictu omnibus invisam reddes. Hos scopulos evitabis, si lumen methodi & puritatem verborum, non dico superstitiosè, sed prudenter ubiq; tibi proponas. Puritatem verborum dum dico, non repudio terminos docendi discendiq; causâ ab artificibus excogitatos, sed barbariem, vel potius tenebras & ulcera vocabulorum rejicio. Lumen methodi requiro, quod discenti tenebras Cimmerias discutit, non autem nimiâ accuratione & rigore subtili potiùs quàm utili eum involvit. Cùm enim profectus discentium ex præscripto Dei Opt. Max. propositus esse debeat docentibus; nullus video, quomodo illum sibi præstituant ceu scopum & mensuram rigidi illi Methodici, qui methodum prudentiæ à sapientiæ methodo planè sejunctam volunt; contra quos agemus suo loco. Cæterùm lumen methodi quod in tradendis præceptis logicis sequi oportet, complecti hic lubet duobus axiomatis:

Modus docendi tria habet requisita.

1 *Disciplinæ operatrices disponendæ sunt methodo analyticâ, quæ jubet breviter præcognoscere finem & subjectum, & media cognoscere plenius.*

2 *Disciplina quælibet rectè traditur per præcepta & regulas, additis brevibus commentariis.*

Modus tra-

Hoc est quod dicunt majorum gentium philosophi, modum

dum docendi artem quamcunq; esse triplicem, νομικὸν, παραδειγματικὸν, ἀποδεικτικόν. Modus νομικὸς absolvitur præceptis & regulis, quibus exempla subjicienda, tanquam ὅμηροι, ut Plato ait, τῶν λόγων, *vades & obsides*, vel etiam, ut nonnemo dici, vates & interpretes, *præceptorum*, & regularum, qui est modus παραδειγματικός. Quia verò subinde dubia quædam suboriuntur ex præceptis & regulis, modus ἀποδεικτικὸς necessariò fuerit addendus, qui contineat didactica & elenctica simul. Utrumque hoc axioma in constitutione Logices observabimus, & ipsius naturam atque studium præcognoscemus è definitione & distributione ejusdem. Definitionem dedimus istam: *Logica est ars modum benè disserendi tradens.* Hanc ut intelligamus, paucula axiomata de *definito*, *genere*, & *differentiâ* colligemus.

Modus docendi disciplinas triplex.

1 Logica dicta est à Græco λόγος; aliâs Dialectica.

Logica unde dicta?

Vox *Logica* est adjectiva, ut & reliqua disciplinarum definita; sed usurpatur substantivè. *Crell. cap. 1. isag. Log.* vel potius ἐλλειπτικῶς, ita ut subintelligatur substantivum τέχνη. Dicta est à voce λόγος, qui duplex, ὁ ἔσω, καὶ ὁ ἔξω. Ille aliâs dicitur ἐνδιάθετος & πρὸς ἑαυτὸν, iste προφορικὸς & πρὸς ἕτερον. Utriusq; ars est Logica, rationis primariò seu principaliter, orationis secundariò seu minùs principaliter, quatenus verba habent rationem thematis, & illorum notatio Logica inquiritur. Unde *Augustinus lib. de principiis Dialecticæ cap. 3. & 5.* ait: *Dialecticus disponit de verbis, prout ad intellectum referuntur.* Præterea hæc eadem vox est ambigua. Interdum enim pro naturali Logicâ sumitur, *Arist. 1. Sophist. elench. cap. 11.* interdum pro artificiali. Et hoc modo sumitur vel *largè* pro quâvis arte dicendi, quo sensu Grammatica & Rhetorica in Logicis artibus numerantur; vel *strictè*, pro benè disserendi arte. Et sic iterum sumitur duobus modis; nunc pro Systemate Logico, nunc pro habitu. Nos hoc in loco usurpamus in eâ significatione, quâ Systema methodicum indigitatur; quod alii vocant Logicam systematicam, quæ dicitur *archetypa*, quatenus habitus Logicus, seu quod idem est, Logica habitualis per Systematis Logici cognitionem & exercitationem acquiritur; unde homo

Vocabulum Logica est ambiguum.

denominatur Logicus; ſed *ectypa*, quatenus methodus præceptorum eſt conſcripta juxta Logicam habitualem in mente alicujus authoris, ut Ariſtotelis, tanquam quoddam archetypum. Ergò pro diverſo conſiderationis modo ſyſtema Logicum, & habitus Logicus, archetypi & ectypi nomine veniunt apud varios authores, quatenus vel Syſtema habitus cauſa eſt, vel habitus Syſtematis. Sequitur in propoſito axiomate Synonymum Logicæ, videlicet *Dialectica*; quæ vox itidem Græca eſt, derivata à verbo διαλέγεσθαι, *diſſerere*. Sicut autem λόγος, ita & διάλεξις eſt duplex, interna & externa. De internâ accipe illud Homeri *Iliad.* λ.

Vocabulum Dialectica explicatū.

Ἀλλὰ τί ή μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός.

ubi brevium ſcholiorum author exponit διελογίσατο & ἐνεθυμήθη. Huc pertinet, quod *Snellius l.1. Dial.c.1.* dicit, quòd διαλέγεσθαι, interprete Platone, ſit τῷ λόγῳ χρῆσθαι. Quòd hæc ipſa vox etiam ſignificet diſſertationem externam, norunt jam primùm initiati ſacris Lycei Græci, qui nondum ære lavantur. Hoc verò altioris eſt indaginis, num Dialecticæ vox idem importet, quod Logicæ? Hîc diſtinctè eſt reſpondendum. Ariſtoteles infinitis locis διαλεκτικῆς vocem pro certâ tantùm Logicæ parte uſurpat, eâ nimirum, quæ tractat de Syllogiſmo Dialectico, ſeu contingenti, quam & τοπικὴν vocat, ſicut contrà huic oppoſitam ἀναλυτικὴν καὶ ἀποδεικτικήν, quæ tractat de Syllogiſmo apodictico. Rariùs hâc voce utitur pro totâ diſciplinâ, ut *1. el. Sophiſt. cap. 2. 1. Rhet. c. 1. 22. 23. & 1. Metaph. c. 4. & l. 13. c. 4.* Ariſtotelem ſequuntur omnes fere Peripatetici. Sed Ramus & Ramei, ſecuti Ciceronem & Rodolphum Agricolam, docent, Logicam eodem ſenſu dici Dialecticam, idque propriè. Sed Peripatetici nonniſi ſynecdochicè Dialecticam ſignificare totam diſſerendi artem contendunt. Aliâs dicitur μεθοδικὴ, ab Ariſtotele, ut Laërtius & Simplicius referunt: *Platoni in Theæt.* dicitur τέχνη λόγου, *ars rationis:* Ciceroni *ratio diſſerendi.* Sed ſatis de definito: videamus de genere proximo Logices.

Artis vocabulum eſt ambiguum.

2 Logica eſt ars.

Artis vocabulum eſt ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Sumitur enim latiſſimè & ſtrictè. Latiſſimè pro quovis ſyſtemate. Hoc ſen-

Hoc sensu à Luciano τέχνη definitur σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον ἐν τῷ βίῳ. Sic Metaphysica, Theologia, Politica, Jurisprudentia &c. dicuntur artes. Sed hæc acceptio est exoterica. Acroamatica est, quâ strictè ars sumitur, & distinguitur contra scientiam; quòd scientia sit rerum necessariarum, & notionum primarum. *Arist. 1. post. c. 12.* ars contingentium, & notionum secundarum, si sit liberalis; si verò illiberalis, contingentium tantùm, non etiam notionum secundarum. Res necessarias intellige illas, quæ à Deo fiunt per causas naturales operante, non autem à nostro intellectu, vel voluntate; ut sunt stellæ, quatuor elementa, omnia elementata. Res contingentes intellige omnes illas, quæ fieri possunt à nostro intellectu, vel voluntate: uti sunt virtutes, notiones secundæ, & opera mechanica. Vide *Zabar. l. 1. de nat. Logic. c. 2.* De rebus necessariis tractant *scientiæ*, strictè accepto vocabulo, seu disciplinæ contemplatrices, quæ sibi finem proponunt cognitionem. Sic v. g. Physica est scientia, seu disciplina theorica, quia terminum habet cognitionem τῶν ὄντων φυσικῶν. Cognosco siquidem naturam Solis, ut sciam. Et hîc subsisto, quâ Physicus; licet quâ Christianus illam cognitionem Solis dirigam ad finem ulteriorem, nempe gloriam Dei. De rebus contingentibus tractant prudentię & artes. *Prudentiæ* de virtutibus in communi & particulari docent, & sibi propositam habent praxin, strictè accepto vocabulo praxεως; unde & disciplinæ practicæ vocantur. Sic v. g. in Ethicis cognosco doctrinam de justitiâ, non ut sciam, sed ut operer. Neq; enim cognitio veri, sed actio boni facit philosophum practicum. *Artes*, quæ tractant de rebus contingentibus, in duplici sunt differentiâ. Aut enim liberales sunt, aut illiberales. Liberales agunt de rebus contingentibus, quæ vocantur notiones secundæ; quas efficit intellectus noster, quatenus est ποιητικός. Illiberales agunt de rebus contingentibus, quæ vocantur opera mechanica. De his, non de illis accipe definitionem philosophi, quæ est *6. Ethic. cap. 4.* quòd ars sit habitus cum rectâ ratione efficiens. Cùm enim propriè efficere dicatur, qui in alio efficit, ita ut in alio ars & efficiendi principium, in alio effectum & opus sit, nempe vel in materiâ externâ, ut in architectonicâ, vel in habitu

Res, quæ tractantur in disciplinis, sunt in duplici differentiâ.

Artes sunt liberales vel illiberales.

corporeo, ut in arte ſaltandi videre eſt. *Ariſtot. 2. Phyſ. cont. 3.* hæc definitio non competet in artes liberales; quoniam illæ hoc modo non efficiunt. Neque enim exiſtimandum eſt, ſyllogiſmum, philoſophicum v.g. aut theologicum, opus eſſe Logici. Syllogiſmus enim, ut opus Logici eſt, nuda illa, omniſq; materiei expers, forma eſt ſeu idea, quæ in animo Logici eſt: ſyllogiſmũ verò Theologicum conſtruere, eſt illâ formâ & ideâ uti, perinde ut cùm quis ſecuri, quæ fabri opus eſt, utitur. *Crell. iſag. Log. part. com. l. 1.* Quid ergo? An artes liberales nullo prorſus modo efficiunt? Efficiunt, ſed analogicè. Si .n. effectio propriè dicta refertur vel ad materiã externã, vel ad habitum corporeum, ut modò dictũ eſt, hoc ſanè modo Logica, vel Rhetorica nõ efficiet. Deinde Logica non fabricat inſtrumenta ratiocinandi, ſed præbet. Ratiocinandi ſiquidem inſtrumenta nihil aliud atque ipſa Logica. At nihil eſt efficiens ſui ipſius. Et inauditum; totum eſſe cauſam procreantem ſuarum partium. Non igitur Logica erit efficiens inſtrumentorum ſuorum. Quomodo itaque effectiva vel poëtica diſciplina dicetur Logica? Ratione præbitionis, quatenus præbet aliis artificibus inſtrumenta, quæ ſunt exemplaria ſeu ideæ, quarum finis eſt, fabricare exemplata. Atq; hoc ſenſu Logicam rationi inſtrumenta fabricare dixeris. *Scalig. exercit. 1. ſect. 3. & l. 3. poët. cap. 1.* Præterea hoc etiam modo Logica dicitur effectiva, quatenus generat; quæ generatio non eſt Phyſica, ſed mentalis, ſive Logica. Quia enim ſimplicis & intellectualis naturæ eſt Logica, opus ipſius à præceptis realiter non differt. Dum enim doctor vel candidatus Logicæ præcepta generandi ſyllogiſmi animo percipit, ſimul ſyllogiſmum generat. Sic ſcilicet fit, ut tam opus Logicæ, quàm præceptio in animo ſit, adeoque nec loco, nec tempore diſcriminentur, id quod fit in effectione propriè dictâ. Atque ſic patet, Logicam eſſe artem, non ſcientiam. Huc pertinet illud philoſophi *2. Metaphyſic. text. 1.* Abſurdum eſt, ſcientiam ſimul & modum ſciendi quærere. Logica autem eſt modus ſciendi; unde & Græcis τρόπος ἐπιστήμης dicitur, item ars tradens τρόπον παιδείας. Quod verò adfert *pater Mexicanus in Logic. quæſt. 2. procemiali*, Dialecticam habere plures demonſtrationes ex principiis per ſe notis procedentes, ex quarum frequenti uſu generetur

Artes liberales quomodo dicãtur effectivæ?

tetur habitus, ideoque esse scientiam: item, esse speculativam & practicam simul; speculativam quidem, quatenus perfectè contemplatur naturam sui objecti; practicam verò, quatenus ipsius conditio est circa opus versari, quod bene vel malè dirigi, aut ordinari potest, ejus autem virtute bene fit, aut bene ordinatur: hoc, inquam, nihil roboris habet. Nam scientiæ formalis ratio in hoc consistit, ut demonstrationes habeat de rebus necessariis. Jam verò res Logicæ sunt contingentes. Deinde speculatio tum demum sincerè dicitur speculatio, quando res ipsa speculationi subjecta, non est operabilis ex suâ naturâ: quando verò essentialiter, & ex suâ naturâ redigitur ad operationem, vel effectionem, qualis speculatio est in Ethicâ, Medicinâ, & hâc nostrâ Logicâ, licet ab aliquo speculationis gratiâ tantùm intendatur, tamen non est propriè & per se speculatio, sed secundùm quid, scilicet propter intentionem ejus, qui contemplationem tantùm spectat. *Thomas comm. in Boëth. de Trinit. quæst. 5. ar. 1. Arnisæus in notis ad Logicam Crell. pag. 26. 27.* Docet hoc expressè philosophus *7. politic. cap. 3.* dum meditationem architecti, etiam manum non admoventis, vocandam censet actionem, eò quòd ad opus perficiendum per se redigatur. Hîc etiam obiter nota, quòd Logica dicatur practica à multis non infimæ classis philosophis, latè accepto vocabulo praxeως, de quâ *Franc. Maro. 1. d. 48. q. 2.* ait, quòd praxis in genere, ut communis est praxi propriè acceptæ & effectioni, sit operatio regulata à ratione, h. e. operatio, cui regulam præscribat intellectus ad operandum. Paucis, quæ hactenus disputata sunt, sic comprehendo. Per appetitū innatum elicimus ex potētiâ intelligendi quandam speculationē, quæ si non dirigitur ad aliud, sed in speculatione acquiescit, pura denominatur speculatio, quæ venit nomine intelligētiæ, scientiæ & sapientiæ, qui sunt tres habitus intellectuales theorici: atq; hæc speculatio est actus elicitus. Si verò speculatio dirigitur ad aliud, nō ampliùs speculatio vocatur, sed generaliter praxis. Non terminatur autem ista praxis in ipso intellectu, sed extendit se ad subordinatam facultatem, illique imperat exequi id, quod apud intellectū conclusum est. Hæc praxis in communi considerata dividitur in praxin propriè dictam, & poësin. Illa est

Pura speculatio quæ sit?

Vocabulum praxis est ambiguum

prudentiæ, hæc artis: adeoq; praxis & effectio sunt actus imperati. Sequitur in definitione Logices differentia, desumta à subjecto & fine adæquatis.

Subjectum Logicæ triplex.

3 Subjectum Logicæ triplex est; tractationis, informationis, & operationis.

Subjectum tractationis.

Subjectum tractationis, seu doctrinæ (barbaris doctrinale) est, in quo docendo tota Logica est occupata. Estq; modus bene disserendi. Hujus subjecti duæ sunt partes, materiale & formale. *Zab. de trib. præcog.* Materiale est res ipsa considerata, videl. *instrumēta*, seu notiones secundæ, quatenus sunt organa intellectualia. Et hæc res considerata non est ꝓpria Logicæ, sed etiā Grammaticæ & Rhetoricæ competit. Sed formale, quod est modus considerandi, omninò proprium est Logicæ, videl. *modus benè disserendi*. Per hunc enim instrumenta Logica sunt Logica. *6. Metaph. text. 40.* In hoc formali excutiemus singula vocabula. *Modus* nihil est aliud, quàm via: unde Dialectica dicitur janua, per quam ingredi liceat ad speciales disciplinas addiscendas. Licet. n. Logica naturalis, quæ est vis naturæ sive lux quædam, hominib. sit insita: non tamen artificialis ideò non est necessaria, ut quidam contendunt. Ratio: quia natura habiles duntaxat facit, ars verò faciles, juxta illud Ciceronis: *Ars est dux certior, quàm natura.* Etenim Dialecticæ principia & semina homini indita, sunt duntaxat inchoatio Dialecticæ perfectæ, nō ἐντελέχεια. Hoc sensu Arist. *1. Rhet. ad Theodect. c. 1.* docet homines esse à naturâ Dialecticos & Rhetoricos. Quod igitur natura inchoavit, ars perficit. Nec est, quòd quis objiciat Logicam non esse necessariam propter alias scientias, vel res, cumprimis divinas, addiscendas; eò quòd aliæ scientiæ sua habeant principia & conclusiones, quæ intellectu ordinis & consequentiæ, quem à Deo habemus, cognosci possint, inprimis autem SS. Theologia, ut quæ non subjaceat lumini naturæ, sicut docet Ambrosius, dum ait: *Facessant Dialectici, ubi credendum est piscatoribus*; cui succinit *Lutherus tom. 1.* dum ait, *Veritatem & majestatem scripturæ in angustias rationis & syllogismum includi nō posse: ut quæ sit non quidem contra, sed extra, intra, supra, infra, citra omnem Dialecticam.* Si quis hæc talia nobis objiciat, huic talem comparatam volumus responsionem.

Logica est naturalis, vel artificialis.

Logica quomodo sit necessaria?

Logica

Logica artificialis ſimpliciter eſt neceſſaria, ad integram quamcunq; diſciplinam ordinario modo, etiam imperfectè comparandam; item ad refutandos Sophiſtas; licet non ſit neceſſaria ad unum vel alterum principium intelligendum, vel etiam concluſionem principiis valde affinem. Nam principia & concluſiones principiis intimè conjunctas naturæ lumine aſſequimur. At concluſiones à principiis remotiores, ſine Dialecticâ nullo modo aſſequi poſſumus. Probabimus ſingula. Eſt abſolutè neceſſaria Dialectica ad comparandam integram diſciplinam; quia præſcribit methodum. Eſt neceſſaria ſi velis refutare ſophiſtas; quia docet diſcernere verum à falſo per inſtrumenta convenientia. Eſt quoque neceſſaria, ſi velis concluſiones remotiores nectere è principiis; quia ſuppeditat normas veritatis & conſequentiæ. Quid multis? *Neſciens Logicam, etſi ſcire aliquid videatur, neſcit tamen, cùm rationem ſui ſciti neſciat*, ut ait *Albertus Magnus capit. 3. prædicabilium.* His adde quod *Auguſtinus lib. 2. de ordine cap. 13.* habet. Dialecticam ibi vocat diſciplinam diſciplinarum, addens: *Hæc docet docere, hæc docet diſcere, in hâc ſeipſam ratio demonſtrat, atq; aperit, quæ ſit, quid velit, quid valeat, ſcit ſcire, ſola facientes facere, non ſolum vult, ſed etiam poteſt.* Paucis hiſce verbis Auguſtinus eleganter oſtendit, quid ſit modus diſſerendi, videl. via diſſerendi, quam inſiſtant poſtea alii artifices. Nec enim res naſcuntur in Logicis, ſed modus cognoſcendi res ibi traditur. *Ariſt. 2. Metaph. cap. 3. Fonſ. 2. Metaph. cap. 1. q. 2. ſ. 2. Suarez diſput. 1. de nat. Metaph. ſect. 3. cont. 35. 36. Goclen. in exerc. 1. Scal. analyſi.* Sic verbi gratiâ, Logicus non definit, ſed vel Metaphyſicus, vel Phyſicus Logicè. Nam ſicut Logica non fabricat inſtrumenta ſua: ita nec iisdem ipſa, vel etiam Logicus utitur: ſed Philoſophus, ſed Medicus, ſed JCtus, ſed Theologus. *Zabar. l. 2. de nat. Log. c. 7.* Hæc enim eſt ſupellex cunctis apparata ſcientiis & facultatibus. Atq; ab hâc inſtrumentorum præbitione inſtrumentalis diſciplina nuncupata eſt. Sed nullum inſtrumentum efficiens purum eſt. Ideò principali agente indiget. Principale illud agens, Philoſophus eſt, vel alius facultatis ſtudioſus. Atque hoc ſibi volunt dicta illa in Scholis celebrata: *Logica eſt nihil, & omnia; Logica inſtrumenta à Logicâ non ſunt parabilia,*

nec usurpabilia. Sensus horum dictorum iste est: *Logica est nihil,* scilicet reale: quia tota est, quanta quanta est, de notionibus secundis: ut si de Deo, de Angelo, de jure disputandum sit, hæ res non satæ, non natæ sunt in agro Logico, sed ex propriâ sede evocantur. *Logica est omnia,* scilicet, quoad modum disserendi περὶ παντὸς νοητοῦ, quatenus præscribit leges definiendi, dividendi, argumentandi &c. *Logica instrumenta non sunt parabilia à Logicâ:* quia nihil est causa efficiens suiipsius. *Nec usurpabilia ab eâdem:* quia nihil utitur seipso. Jam verò instrumenta Logica conjuncta sunt idem, quod Logica, ut suprà evicimus. Porrò formali rationi objecti additur vocula *benè*, ut denotetur εὐπραξία specialis hujus artis. Εὐπραξία seu bonitas generalis, inquiat aliquis, est conditio artis cujusque; scio. *Scaliger exercitat. 326.* Sed generalis illa bonitas hâc voculâ non significatur. Ita enim tautologiâ laboraret definitio. Significatur autem specialis εὐπραξία. Dices itaque τὸ *Benè* hoc in loco esse idem quod *appositè, acutè,* sicut in definitione Grammatices idem est quod *purè,* & in definitione Rhetorices idem quod *ornatè.* Sed quid est *disserere?* Propriè accipias istam vocem, cujus simplex est sero, serui, unde sermo, series, sertum. Sicut autem sermo est duplex, internus & externus: ita & τὸ serere, sive disserere. Confer hæc cum iis, quæ suprà diximus de λόγῳ duplici, itemque de τοῦ διαλέγεσθαι. Atque hoc est subjectum tractationis. *Subjectum informationis* in Logicis est id ipsum, in quo excolendo, perficiendo, & dirigendo Logica versatur. Estque duplex, primarium, & secundarium. *Primarium* est anima nostra quoad intellectum poëticum, & memoriam intellectivam. Utriusque enim directrix & correctrix est Logica. *Keckerm. in Gymnas. Logic. præcognit.* Intellectus hominis unus est essentiâ, virtute triplex; Speculativus, activus, factivus. Dum enim hominem contemplor, speculativus est meus intellectus. Sed postquam intellexi, conjunctionem humanam esse viam ad beatitudinem, & inveni justitiam ejus conservatricem; ex speculativo fit activus. Itaque ago, quæ pertinent ad justitiam. Quocirca etiam artes instituo. Et sic ex activo factivus seu poëticus fio. *Scal. ex. 307. s. 31.* Hunc intellectum fa-

Εὐπραξία alicujus disciplinæ est generica vel specifica.

Subjectum informationis in Logicâ.

Intellectus quo sensu dicatur triplex?

ctivum dirigit Logica, quoad rationem benè disserendi. Neque hunc tantùm dirigit, sed & memoriam intellectivam, quam alii reminiscentiam vocant, ut à nobis dicetur ad librum ultimum hujus operæ. Secundarium subjectũ informationis est oratio; quod suprà probatum fuit. Ad extremum, *subjectum operationis* seu usus est id, in quo Logica exercetur, & ad usum applicatur. Et hoc est omne thema disserrabile, seu intelligibile, sive sit ens, sive non-ens. Hoc alii malunt dicere subjectum artificis potiùs, quàm artis, & hoc utuntur argumento. Idem est objectum & artis, & usus artis. Quomodo enim artifex utatur arte suâ in alieno, & sibi incognito subjecto? Respon. Logicus quâ Logicus tantùm sua præcepta tractat, videlicet definitiones & divisiones entium Logicorum: sed hoc fine, ut illa entia fiant organa sciendi prorsus generalia & applicabilia omnibus rebus, quæcunque disci ac doceri possunt. Dum itaque dicimus, omne ens & non-ens esse subjectum Logicæ, non hoc volumus, quòd Logica se exerceat in contemplatione entis & non-entis, sed hoc, quòd tanta sit Logicæ amplitudo, ut nihil sit in rerum universitate, quod ipsi non possit subjici. Logica itaque ratione applicationis dicitur habere hoc subjectum. Nimirum quàm latè patet humanæ rationis usus, tam latè etiam patet hoc objectum Logicæ. At nihil est, de quo humana ratio non possit disserere. Ergò & nihil est, cui non possint instrumenta Logica applicari. Distinguas hìc inter applicationem aptitudinalem & actualem. Illa locum habet in instrumentis Logicis, etiamsi nullus artifex iis utatur: ista tum demum, quando artifex potentiam deducit in actum. Culter suâ naturâ omne subjectum sectile indifferenter respicit, sed actualis applicatio est à causâ principali. Idem cogita de Logicis instrumentis, adeoque de ipsâ Logicâ. Illa ex se & suâ naturâ respicit hoc objectum, quod diximus operationis: sed determinatio est ab artifice: ut theologus, quâ theologus, definit & distribuit ecclesiam ex ipsis sacris fontibus, sed quatenus est simul Logicus, generalia instrumenta applicat suæ materiæ. Sic enim rectiùs dices, quàm quòd theologus suam materiam applicet ad definitiones & regulas Lo-

Subjectum operationis in Logicâ.

Applicatio duplex instrumentorum Logicorum.

gicas: quia ſcilicet Logica miniſtra eſt, quoad res; licet ſit magiſtra, quoad tuam rationem. Et ita patet, quòd ens & non-ens non ſolùm artificis, ſed etiam artis Logicæ ſubjectum rectè dicantur. Nunc videamus finem Logices.

Finis artis Logicæ.

4 Finis Logicæ proximus, internus, proprius, & totalis ſeu adæquatus eſt, tradere modum benè diſſerendi.

Suprà oſtendimus, inſtrumenta Logica eſſe ideas ſeu exemplaria, quorum finis internus ſit fabricare exemplata, hoc eſt, tradere modum fabricandi exemplata, adeoq; dirigere hominem in ipsâ diſſertatione, ut poſſit exempla definitionum, diviſionum & cæterorum exemplarium conficere. Hoc enim ſenſu τὸ fabricare accipiendum eſt, ut intelligamus loca magnorum Logicorum, in quibus docent Logicam fabricare. Nimirum ut malleus à fabro factus eidem ſubſervit: ita etiam Logica, partus rationis, vel filia à philoſopho genita, eidem rurſus inſervit, quâ de re tale circumfertur ænigma, in quo Logica introducitur loqui:

Filia ſum, cujus matrem vos eſſe putatis.
Principiò hæc genuit me, dein ea naſcitur ex me.
Ergò mihi nomen proprio de nomine finxit,
Nominis ejusdem ut genitrix & filia dicar.

Hisce verbis complectimur finem Logices tum proprium, tùm communem. Proprius finis, eſt tradere modum bene diſſerendi. Si enim ſubjectum tractationis in Logicâ eſt modus benè diſſerendi, neceſſum eſt, ut Logicus ad illud perfectè explicandum omnia ſua præcepta dirigat. Finis communis eſt perfectio & directio hominis. Cùm enim homini per naturam ignotus ſit ille modus benè diſſerendi, Logica illum modum homini explicat. Finis ille proprius eſt quoque internus, proximus, & totalis ſeu adæquatus Logicæ. Internus & proximus; quia cum illâ reciprocatur. Externus autem & ultimus eſt veritas in quâvis tractatione. Cùm enim veritate nihil per ſe dignius & præſtantius ſit (eſt enim ſummi ENTIS ſolius VERI radius quidam, ſolis jubare clarior & fulgidior) nihil menti à naturâ rectè formatæ, à doctrinâ informandæ clarius, nihil deſiderabilius

Veritatis cognitio quomodo ſit finis Logicæ.

illâ eſſe

illâ esse debet. Quare ad verum cognoscendum Logica etiam ultimò conferet, tanquam ad finem ultimum. Est quoque Logicæ finis totalis & adæquatus tradere modum bene disserendi; quia omnia & singula præcepta huc collineant, non aliter atque omnes lineæ ad centrum in aliquo circulo. Hinc Molinæus *lib.2.Logic. cap.2.* ait: *Media nobis tota Philosophia suggerit: Logica verò tradit non ipsa media, sed modum ea quærendi & discernendi.* Cum hâc sententiâ pugnare videntur ea, quæ paulò antè diximus de formali ratione subjecti, quòd sit modus bene disserendi. Si enim hæc est forma, non erit finis. Sed duobus modis responderi potest. 1. Aliud est modus bene disserendi, aliud tradere istum modum. Modus ille est finis objectivus: traditio modi est finis formalis. Terminos hos vide infrà explicatos. 2. Sæpe finis ingreditur essendi rationem, in instrumentis & institutis divinis & humanis, ut suo loco dicemus. Logica autem instrumentum est. Si dicas, Logicam hâc ratione non esse partem Philosophiæ, cùm sit instrumentum, dicam ego instrumentum diverso respectu esse partem; præsertim si instrumentum sit συντόςατον, uti est manus; item intellectuale, quale est Logica. Nunc ad distributionem Logices accedamus.

Logicæ partes duæ sunt; una generalis, altera specialis. *Illa communis, hæc particularis dici potest.* **Logicæ distributio.**

Innumeræ circumferuntur distributiones Logicæ, è quibus hanc unicam probamus, quæ est distributio integri, seu totius integralis in sua membra, non generis in species. Nam Logica Systematica est species infima, ideoque non debet distribui ut genus. Cæterùm fundamentum propositæ distributionis hoc syllogismo continetur: Sicut secatur modus disserendi, sic & Logica secari debet. At modus disserendi duas in partes secatur. Ergò. Major sic probatur. Distributio disciplinæ sumitur quàm rectissimè à subjecto tractationis adæquato, & fine proximo. Εὔδηλον. Minor est clara. Etenim modus disserendi consideratur primùm in genere, dehinc in specie. Hoc docent patres Conimbricenses *in append. quæst. Dial. procemial.* hæc in verba: *Cùm proprium & adæquatum subjectum Dialecticæ sit modus bene*

disserendi in commune, & sub eo sint variæ quasi modorum species: ita totalis Dialectica erit, quæ modum disserendi in toto suo ambitu explicat: partiales verò, quæ specificos disserendi modos enarrant. His adde Fonsecam, qui *2. Metaph. c. 3. quæst. 1. s. 3.* disertè affirmat, Dialecticæ proprium finem, in quem tota ipsa incumbit, nihil aliud esse, quàm formas omnes sive modos disserendi tradere. Objicis, hâc ratione Dialecticam non esse unam disciplinam, sed multiplicem. Respondeo, nos jam antè monuisse, Dialecticam non habere rationem generis, sed totius integralis. Quare allata partitio nil derogat unitati specificæ disciplinæ: quæ si sit theoretica, unitatem ab objecto principaliter; si practica vel poëtica, unitatem à fine principaliter habet. Rursus objicis: Omnis ars est duntaxat universalium. At Logica est ars. Ergò. Resp. Major universaliter accepta non dico falsa est, sed falsissima, id quod sic patet. Ars est mechanica, vel liberalis. Vide *6. top. cap. 4.* Mechanica versatur circa externa opera, & quidem tum communiter, tum singulariter. Falsum itaque, quòd omnis ars sit duntaxat universalium. Si dubitas hâc de re, lege Vitruvium de architecturâ, consultum i statuarium, & alios mechanicos. Ars liberalis est, quæ ad operationes animæ dirigendas ordinata est: quæ iccircò liberalis vocatur, quia circa operationes animæ liberas versatur. Atque in his est Logica, ut suprà probatum, & jam declarandum ex *Thom. Aquin. in 1. post. anal. lect. 1. Ad actus humanos*, ait, *faciliter & ordinatè perficiendos diversæ artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur, quàm certa ordinatio rationis, quâ per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. Ratio autem non solùm dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivæ partis, ut in seipsâ reflectatur. Nam intellectus intelligit seipsum, & similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sic igitur ex hoc, quòd ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars ædificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter, & ordinatè hos actus exercere potest. Eâdem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè, & faciliter, & sine errore procedat. Et hæc est ars Logica, id est, rationalis scientia, quæ non solùm rationalis est* ex hoc

Unitas disciplinę unde æstimetur?

ex hoc, quòd est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quòd est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam: & ideò videtur esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, à quo omnes artes procedunt. Hæc Thomas; è quibus videre est, quòd Logica sit directrix rationis, seu actus rationalis: item quòd omnis ars sit directrix. Jam autem directio generalis nequaquam sufficit, nisi specialis accedat: quia scilicet ratio nostra nunc generalibus, nunc specialibus cognoscendis est intenta. Hinc concludo, omnem artem esse & generalium, & specialium simul. Objicis illud: Singularium non est scientia. Respondeo dupliciter. Primò singularium vagorum, inordinatorum, casualium, & infinitorum non est scientia. At singularium certorum & perpetuorum omninò est scientia; ut Dei, Solis, Lunæ. Deinde pars altera Logices vocatur specialis, non quòd de singularibus seu individuis tractet; sed quòd præcepta tradat de modo disserendi in specie, non in individuo. Sicut enim pars generalis explicationem instrumentorum Logicorum continet: ita specialis applicationem seu usum, hoc est, præcepta de usu instrumentorum Logicorum habet. Et ita video, quosdam intelligere divisionem Logices in docentem, & utentem: licet alii aliter accipiant, quasi sit distributio generis in species, ita ut Logica docens sit systematica, utens seu operans ipse habitus Logicus seu Logica habitualis. Possit & nostræ divisioni lucem afferre illa, quâ Logica dividitur in abstractam & concretam; si nimirum abstractam Logicam dicas, quæ in genere modum disserendi planè sejunctum à speciali objecto explicet; concretam seu applicatam illam, quæ in specie præscribat modum applicandi instrumenta generalia. Verùm video patronos hujus divisionis aliter interpretari. Redeo igitur ad eam, quam à *Keckermanno* & *Timplero*, viris optimè meritis de omni disciplinarum genere traditam & propugnatam scio. Illa non solùm congruit cum fine proximo Dialectices, item cum subjecto tum tractationis, tum informationis, sed etiam cum fine remoto. Is est veritas, ut suprà docuimus. Ex hoc fine præsupposito sic dividenda Logica, ut doceat instrumenta ad veritatẽ ducentia. Hinc sic colligimus: Quot modis ascendimus ad veritatem,

Logica est docens vel utens.

tot partes erunt Logicæ; partes dico principales & eſſentiales. Duæ autem ſunt viæ attingendi veritatē, & duobus modis homo eſt ædificabilis, ut veritatem perdiſcat. Ergò & duę principales partes erunt Logicæ. Minor ſuadetur hoc modo: Veritas cognoſcitur à nobis vel in communi, vel in particulari. Tertium hîc nullum. Sed obſtrepunt hîc ſeculi incommoda, ineptiarum ſcriptores, finem non eſſe in artificis poteſtate; ideoq; illius rationem non eſſe habendam in diviſione alicujus diſciplinæ. Conſequentia hîc nulla eſt. Finis enim non ideò deſinit eſſe finis, ſi artifex illo fruſtretur. Finis piſcatoris eſt capere piſces. Ejus enim gratiâ explicat retia. Sed ſæpe totam noctem, multoſq; ex ordine dies in vanum laborat. Num ideò deſinet eſſe finis, cujus gratiâ piſcatio eſt? Nos itaque Logicam è fine dividendam adhuc cenſemus. Sic optimus methodi artifex *Galenus ad Thraſyb. cap.30.* ex fine medicinæ deducit duas partes, in quibus medicina conſumitur, quas *Galenus 1. tuen. ſan. in pr.* primas vocat & maximas, θεραπευτικὴν & ὑγιεινήν. Sed unicum quorundam arrogantium Logicorum reſtat fulmen brutum, revera brutum contra hanc partitionem. Non eſt, inquiunt, reciproca; quia Grammatica alia dicitur generalis, alia ſpecialis; quia partes Metaphyſicæ, Phyſicæ, Rhetoricæ, & omnium ferè diſciplinarum duas conſtituitis, unam generalem ſeu communem, alteram ſpecialem ſeu propriam. Hoc nimirum eſt illud putidum argumentum, quod etiam tyrunculus Logicæ ridendum potiùs quàm ſolvendum ſtatuat. Annon legiſtis, boni viri, reciprocationem diſtributionis eſſe vel apertam, vel tectam? Si non didiciſtis, adhuc diſcite.

Finis an ſemper in artificis poteſtate?

Reciprocatio diſtributionis eſt duplex.

Reciprocatio manifeſta eſt, quæ vocabulis conſtat ſpecialibus, ita ut non niſi propoſitæ rei competere poſſint: ut ſi dicas, animal eſt homo, vel brutum, Sacramentum N. T. eſt Baptiſmus, vel Cœna Domini. *Reciprocatio tecta* eſt, quę vocabulis cōſtat generalibus, quæ quomodo in hâc vel illâ diſtributione accipiantur, videre eſt è definitionibus partium, vel ſpecierum in quas facta eſt diſtributio, ut jam nihil dicā de ſubjectâ materiâ. Nimirum defectus vocabulorum eſt in causâ, quò minùs poſſimus partem & ſpeciem quamcunq; peculiari exprimere vocabulo. Sic pars generalis Logicæ non eſt pars generalis Metaphyſicæ vel Phyſicæ. Vocabula eadem

eadem ſunt, non nego: definitiones minimè. Si ita ludere libet, dicam ego distributionem Logices in inventionē & judicium (quam illi tantum non venerantur) non eſſe reciprocam; quia Grammatica, Rhetorica & artes mechanicæ etiam docent invenire & judicare: dicam diviſionem axiomatis in ſimplex, & compoſitum non eſſe reciprocam; quia infinita ſunt, quæ eodem modo dividuntur. Sed nolo ſic ineptire, ut qui ſciam vocabula generalia in distributionibus eſſe reſtringenda. Reſtringite igitur in propoſitâ Logices distributione vocabula hæc, *generalis, ſpecialis*, fine & objecto, & protinus ineptire deſinetis; id quod vobis ex animo precor. Unum ſupereſt quod moneam ad hanc diviſionem. Pars generalis, Syſtema; ſpecialis pars, Gymnaſium Logicum vocari poteſt docendi causâ; ut partes eſſentiales ceu principales habeant nomina principalia. Retinemus itaque hanc Logicæ partitionem, quia convenit cum fine Logicæ proximo & remoto, cum ſubjecto tractationis & informationis, & cum omnibus legibus ſeu normis bonæ distributionis, cùm ſit adæquata distributo, parteſq; habeat inter ſe diſſentientes & cum toto convenientes.

Pars generalis Logicæ.

Generalis pars Logicæ eſt, quæ modum benè diſſerendi in genere explicat. *Vel:* Generalis Logicæ pars docet de inſtrumentorum Logicorum naturâ.

In hac definitione omiſſum eſt genus. Nam jam antè monuimus, nos hîc laborare inopiâ vocabulorū; quod dum accidit, neceſſe habemus ipſum definitum repetere loco generis, vel omittere. Si velis ſupplere, dices: *eſt prima pars*. Simile accidit in diviſione propoſitionis in affirmantem & negantem, ſimplicem & compoſitam, item ſyllogiſmi in ſimplicem & compoſitum; niſi ibi velis ſubintelligere genus remotum, quod eſt *inſtrumentum noeticum*, & hîc *inſtrumentum dianoeticum*. Sed quęritur hîc de genere proximo, quod utiq; eſt propoſitio, item ſyllogiſmus. Hoc fieri in omnibus definitis, quæ unâ voce non poſſunt exprimi, ſuo loco dicetur. Talia definita ſunt, jus naturæ & poſitivum, Eccleſia Catholica & particularis, ens infinitum & finitum, ſubſtantia prima & ſecunda, & alia multa, quorum genera proxima

per primam definiti vocem exprimuntur. Cæterùm differentia in priori definitione explicatur per differentiam in posteriori definitione positam: videlicet tradere modum bene disserendi in genere, est explicare naturam instrumentorum Logicorum. Oportet enim in quocunque instrumento duo hæc accuratè adnotare, naturam & usum. Objicis, hâc ratione Dialecticam esse theoreticam & poëticam simul, cùm agat de naturâ & usu instrumentorum Logicorum. Sed suprà diluimus frigidam hanc oppositionem. Contemplatio sincera dicitur, quæ sibi ipsa est terminus sive finis. At hujusmodi contemplatio in Dialecticis non est. Sanè necessum est explicare quid sit definitio, antequam hoc instrumento utare. Num hæc talis explicatio faciet ut Dialectica sit theoretica? Nihil minùs. Sicut enim explicatio Ethica, quâ justitiæ natura ob oculos ponitur, nihil derogat praxi; ita & explicatio in Logicis non tollit poësin. Ais, tota Logica est generalis; quia suprà traditum est, quòd supellex Dialectica sit cunctis apparata scientiis ad utendum pro suo cujusque commodo & facultate: usus autem specialis est hujus & illius facultatis proprius. Ajo, est æquivocatio in voce *specialis*. Non enim pars altera Logices dicitur specialis eò, quòd materias speciales attingat; sed comparatè, quòd non æquè sit generalis atque prima. Sic in Metaphysicis pars illa, quæ tradit de prædicamentis, dicitur specialis, quatenus confertur cum primâ, quæ est generalior. Paucis rem totam sic accipe: Aristoteles in topicis Dialecticam appellat δύναμιν, *facultatem*; quòd instrumenta ejus potestatem scientiis constituant ad disceptationes seu dissertationes quascunq;. Ipsius itaq; munus est, talem potestatem explicare, quæ postea in actum educitur à Physico, Medico &c. Potestas autem illa duobus modis cōsiderari potest, scil. ratione οὐσίας, & ἐξουσίας, h.e. ratione essentiæ, & potestatis ipsius formaliter. Omnis enim potestas præsupponit essentiā: v.g. definitio, vel syllogismus cōsideratur ratione tū essentiæ, quid & quotuplex sit; tū potestatis, quomodo possimus uti utroq;, in analysi, in genesi, & utriusque specieb. Itaq; pars Logicæ generalis naturā definitionis & syllogismi solummodo evolvit, at specialis illa modum iis utēdi præscribit, non utitur ipsa; id q; hoc in loco repetimus, ut natu-

Contēplatio sincera quæ sit?

ut naturā Logicæ pleniùs perspiciant studiosi laudatissimæ hujus disciplinæ, quæ non disserit, sed modum disserendi præscribit, quo postea utitur Physicus vel Astronomus. Adscribam verba Goclenii *in anal. exercitat.1.Scalig.section.3. Physicus utitur ratione definiendi & dividendi à Logico acceptâ. Logicus ipse non definit, non dividit, veluti navim fabricat artifex, quâ acceptâ utitur gubernator, remex &c. sua quisq; ad commoda, suos ad fines.* Et paulò pôst: *Si quid docet Grammaticus, Rhetor, Mathematicus, non suo, sed Logicæ artificio docebit. Logica est & aliarum disciplinarum administra, & mater ac formatrix, & cæteris artibus imperat eadem. Leges enim definiendi, dividendi, & quidlibet arguendi, leges enunciandi, ordinandi & concludendi præscribit.* Ecce Physicus accipit rationem definiendi, legesque dividendi à Logicâ. Debet itaque nosse, quid sit definitio, quomodoque illâ utendum sit. Utrumque hoc docet Logica. Hinc apparet verum esse quod diximus, Dialectitam tradere instrumentorum suorum naturam & usum, hoc est, præcepta de naturâ & usu illorum proponere.

Instrumentum Logicum est vel verum, vel apparens. Prima divisio instrumenti Logici.

Hoc præceptum cohæret cum posteriori illâ definitione partis generalis.

Instrumentum Logicum verum, est notio secunda, cujus adminiculo vir bonus ad bene disserendum utitur.

Instrumento Logico vir bonus utitur, malus abutitur. Quanquā verò ex accidenti hoc posterius fit, nihilq; ad essentiam instrumēti Logici facit: nihilominus tamen de abusu etiam præcipiendū est, ut ita contraria juxta se posita clariùs elucescant, & juventus, thesaurus ille utriusque politiæ, plenissimè condiscat rationem detegēdi fallacias, quas non statim cognoscere potest, qui rationē veri instrumenti novit. Non enim hæc sunt instrumenta corporalia, quorū usus vel abusus, rectitudo vel irrectitudo ad oculum patet.

Instrumentum Logicum verum, est noëticum, vel dianoëticum.

Sufficientia hujus dichotomiæ inde probatur, quòd omnis disſertatio fiat, vel ſine discurſu, vel cum discurſu.

Noeticum eſt quod ſine discurſu ad benè disſerendum adhibetur.


Eſtque vel terminus, vel axioma.

Antequam progrediamur ad ſpecialiora, hîc ὡς ἐν τύπῳ numerum & ordinem inſtrumentorum Logicorum adeoq; partium Logices deſignabimus. *In tertio de animâ* tradit Philoſophus, ſcientias ſecari, quemadmodum & res, de quibus illæ tractant. Cùm igitur Logica tradat ratiocinandi inſtrumenta, ſeu notiones ſecundas ad ratiocinium conferentes, non dicam æquum, ſed æquiſſimum fuerit, eam ita ſecari, ſicut res ſubjectæ, quæ ſunt ratiocinandi inſtrumenta, ſecantur. Principiò igitur non Logica dividenda, ſed inſtrumenta, quæ illa nobis præbet; deinde ipſa Logica: qui ordo eſt accuratiſſimus, aut certè accuratiſſimo proximus. Hîc utimur quibusdam vocabulis in Scholâ Latinitatis non uſquequaq; uſitatis: ſed confidimus, philoſophos cordatos res potiùs quàm verba ſpectaturos, id quod ſi hodiè quidam malè feriati attenderent, non tot ineptæ in Republ. literatâ eſſent logomachiæ, quæ ſunt in causâ, quò minùs poſſimus unam ædificare Trojam, ut eſt in proverbio. Nam quivis fermè ſibi ſtruit caſtellum, quod facilè poteſt expugnari, vel uno adhibito ariete. Sed jam ſequitur ſynopſis noſtra:


Logicæ distributio duob. modis inſtitui poteſt.

SYNO-

SYNOPSIS LOGICÆ.




C


Pars
Generalis
Primaria
Noëtica de
Termino
Themate; dicitur Thematica. Lib. 1.
Argumento; dicitur argumētosa, seu categorica, estque de argumento
Simplice; ut pars
Communis. Lib. 2.
Propria. Lib. 3.
Complexo
Horistica. Lib. 4.
Meristica. Lib. 5.
Axiomate; dicitur axiomatica Lib. 6.
Dianoëtica
Syllogistica. Lib. 7.
Methodica. Lib. 8.
Secundaria, Sophistica. Lib. 9.
Specialis. Lib. 10.

Synopſis iſta complectitur geminam Logices diviſionem, quam ſic evolvimus hoc diagrammate harmonico:

Inſtrumenta Logices ſunt	Partes Logicæ ſunt	
1 Thema.	1 Thematica.	Pars generalis.
2 Argumentum ſimplex commune.	2 Categorica communis.	
3 Argumentum ſimplex proprium.	3 Categorica propria.	
4 Definitio.	4 Horiſtica.	
5 Distributio.	5 Meriſtica.	
6 Axioma.	6 Axiomatica.	
7 Syllogiſmus.	7 Syllogiſtica.	
8 Methodus.	8 Methodica.	
9 Fallacia.	9 Sophiſtica.	
Quorum uſus 10 Libro.	10 De uſu inſtrumentorum.	Pars ſpecialis.

Poteris & hoc modo procedere in diviſione inſtrumentorum Logicorum, quòd



Materialia dicuntur, non quòd conſtituant materiã Logices; ſed quòd materiam diſſertationis regant. Idem de formalibus judicium eſto. Si quis velit retinere illam Rameorum diviſionem, quâ Logicam (ſed intellige generalem) dividunt in inventionem & diſpoſitionem, facilè poterit noſtram methodum illi distributioni accommodare, mutatis mutandis, iiſque pauciſſimis. Atque ita vidimus naturam Logices, cui nunc ſubnectemus paucula de ſtudio ejusdem.

I. *Quicunque Logicam diſcere cupit, præditus ſit ingenio Logico.*

Ingenium Logicum dicimus,quod est φιλοκαθόλου,φιλαίτιον,φιλομεθοδικὸν,quæ tria admirantur viri magni in Aristotelis ingenio, quod fuit λογικώτατον.Ingeniũ φιλοκαθόλȣ est,quod amat generalia.Generalia autẽ sunt vel realia,qualia in Metaphysicis traduntur,vel notionalia,qualia in Logicis. Hîc itaq; necesse fuerit Metaphysicam reginam & dictatricem illam consultum ire,si felices in Logicis progressus facere velimus. Tãta enim necessitudo Logicæ cum Metaphysicâ (quæ non ab re dicitur prima Philosophia) ut illa sine hâc doceri & disci nequeat fundamẽtotenus. Metaphysicus enim docet,quid sit causa,quid causatũ,& similes entis primas differentias, per quas ipsum primò dividitur,explanat: Logicus autem docet rationem argumentandi à causâ, causato, & similibus. Rectè itaque Suarez in Metaphysicis docet, ad Metaphysicum pertinere,instrumentorum Logicorum primas radices & causas tradere. Nam etiamsi Dialecticus definire & dividere doceat; non tamen potest è propriis principiis hujusmodi instrumenta declarare. Sic verbi gratiâ,definitio declarat essentiam rei.Sed rationem essentiæ declarare, ad Metaphysicam pertinet. Divisio declarat rerum distinctionem. Sed quid sit rerũ distinctio,primus Philosopus planum facit. Dialecticus utitur his effatis: *Impossibile est idem esse & non-esse*, quod primũ est principium cognoscendi: item, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter sese:* sed hæc principia sunt propria Metaphysicæ,ad quã pertinet tractare de ente & non-ente,possibili & impossibili,eodem & diverso. Ex his patet,quòd Metaphysicæ propriũ sit, causam,causatum,& similia definire: Logicæ verò,monstrare,quomodo ex notionibus istis primis,tanquam favissâ aliquâ,eruantur argumenta,quæ sunt notiones secundæ. Ingenium φιλαίτιον dicimus;illud,quod non contentũ est cognitione quòd sit,quam Græci vocant cognitionẽ τȣ͂ ὅτι,sed maximè venatur cognitionẽ quare sit, quod Græcis est τὸ διότι. Deniq; ingenium φιλομεθοδικὸν est, quod detestatur ἀμεθοδίαν,tanquã matrem errorum & novercam intelligentiæ atque memoriæ.Ille itaq; homo πέφυκε,seu aptus natus est ad discendam Logicam, qui præditus est hujusmodi ingenio. Cyclopica verò ingenia, quæ investigationem causarum, & ordinis lumen fugiunt, minimè studio Logico sese dedere possunt.

Ingenium Logicũ est. 1. φιλοκαθόλȣ.

2. φιλαίτιον.

3. φιλομεθοδικόν.

II. Qui-

II. Quicunq; Logicam diſcere cupit, ſit amans libertatis philoſophicæ ſeu Socraticæ.

Libertatem philoſophicam vocamus, non arrogantiã illam, quâ nonnulli maleferiati δοκησίσοφοι omnes omninò authores deſpiciunt, quos vident paululùm abire à methodo vel ſententiâ illius, quem ipſi à teneris, ut ita dicam, in deliciis habuerunt; ſed modeſtiam libero homine dignam, quâ quis ſic ſtatuit, Deum non omnia omnibus conferre, ac proinde varios authores legendos eſſe, & inter ſeſe conferendos, ut ita pateat, num eadem dicant, vel diverſa. Minimè itaque Logici evadent illi, qui jurant in verba hujus, vel illius magiſtri, adeoque ſervum fiunt pecus, quod Horatius de ineptis imitatoribus pronunciat. Volumus igitur ſtudioſum Logices cognoſcere τὰ ἀρέσκοντα omnium ſectarum Logicarum, quarum aliæ ſunt veteres, aliæ recentiores. Veteres Scholæ Logicorum inſigniores recenſentur quatuor, divina, mathematica, phyſica, politica. *Ram.lib.1.Schol.Dial.* Divina fuit Hebræorum. *Polyd.Verg.de invent.rer.lib.1.c.16. Scalichius lib.1.miſcell.Ram.lib.1.Schol.dial.cap.1.* Schola ſecunda Logica, fuit mathematica, & inprimis Pythagoreorum. *Ariſt.13.Metaph.* Tertia Phyſica, Ionica illa, quæ in varios magiſtros ad Socratem uſque eſt diviſa. Quarta Dialecticæ ſchola à Socrate & Socraticis πολιτικώτερα fuit, quæ poſtea peperit Peripateticam & Academicam. In Peripateticâ ſcholâ excelluit Ariſtoteles; quem qui legere cupit (cupere autem debent omnes philoſophiæ ſtudioſi) is diſtinguere debet didactica ab elencticis ſeu polemicis, præcepta à commentariis. In Academicâ ſcholâ Logicâ princeps extitit Cicero. Illius enim unius ſcripta hodie adhuc extant. Hæ ſunt veteres illæ Logicorum ſcriptorum ſcholæ atq; ſectæ. Recentiores ſunt numero duæ, Peripatetica ſeu Ariſtotelica, & Academica ſeu Ramea. Quapropter bibliotheca Logica ſic adornetur, ut contineat varios claſſium modò dictarum ſcriptores, qui tum demum legendi, ubi breve Syſtema fuerit impreſſum, ad quod reſpiciamus tanquam filum Ariadnes. Itaque

Libertas Socratica quæ ſit?

Variæ Scholæ Logicæ.

Sit lectio triplex in ſtudio Logico: puerilis, creſcens, & adulta.

Lectio triplex in ſtudio Logices.

Puerilis illa uni velut adhærescat & innutriatur systemati methodico, tanquam Polycleti regulę. Crescens, uni illi adjungat alia methodica scripta. Adulta liberè se exerat, & adjungat omnes dictarum classium scriptores; sic tamen ut ne consenescamus in agro Logico excolendo.

Triplex impressio in studio Logico.

III. Tribus impressionibus Systema Logicum ediscatur.

Primâ impressione discatur methodus præceptorum utriusq; partis, tùm generalis, tùm specialis. Secundâ impressione canones adjungantur. Tertiâ commentarii percurrantur. Hoc sic velim accipias. Quodlibet caput in Logicis habet ista tria, methodum præceptorum, canones & commentarios. Itaq; vel de capite ad caput sic progredi licet, ut vel in quolibet hæc tria distinctè memoriæ commendes, vel primò methodum totius systematis, dehinc canones, & ultimo loco commentaria percurras. Et verò quoniam ingenium hominis fermè est volaticum, opus erit Calendario Logico, quod nihil est aliud quàm typus studiorũ, tum methodicus, tum horarius. Methodicus partitur authorem, quem legendum suscipimus, in certa τμήματα: horarius ordinem temporis adjungit.

Utilitas canonum in Logicis.

IV. Vitentur systemata illa, quæ nudas & pauculas habent definitiones & distributiones, itemq; exempla duntaxat oratoria & poëtica.

Nam definitiones & divisiones illæ sunt arculæ cassæ rerum, nî accedant Maximæ. Neq; valet suffugium, præceptoris est, regulas addere. Hîc enim quæritur, annõ canones æquè sint necessarii in Logicis, atq; theoremata in Metaphysicis, ut regulę in Grammaticis. Miserrimus sanè est coquus, qui juris satis, carniũ nihil vel parum apponit. Sicut ergo in scientiis traduntur theoremata: ita in artibus & prudentiis canones sunto. Si enim sciam, quòd causa sit, cujus vi res est: quomodo exin potero demonstrare animam esse immortalem? Quid illa definitio ad Andromachen? An jam didicit Epicurus, animam esse immortalẽ? Exẽpla quod attinet, illa petenda sunt ex limpidis artiũ fontibus, non è turbidis poëtarum & oratorum lacunis haurienda. *Timp. libr. 1. Logic. c. 3. quæst. 12.* Cùm enim Logica instrumenta ad veri & falsi discretio-

discretionem ultimò referãtur, ideoq; verborum proprietatem & perspicuitatem efflagitent; exempla autem oratorum & poëtarum præcipuè animorũ delectationem & cõmotionem sibi proponant, adeoq; variis calamistris orationis artificium Logicũ tegant; non video quâ ratione ad illustranda præcepta Logica facere possint exempla illorum authorum, qui ad leges Logicas de ratione benè disserendi traditas se adstringi non patiuntur. In parte tamen speciali Logices hæc talia exempla locum habere possunt, ubi modus utendi instrumentis Logicis præscribitur.

V. Vitentur Systemata illa, quæ partem specialem prætermittunt. Necessitas partis specialis in Logicâ.

Vir magnus dicit: *Dimidius & semidoctus Logicus miserrimum est & pestilens animal.* Est enim ita, ut Vives ait, homines liberalibus disciplinis semitinctos valde esse noxios. Hujusmodi semidoctos Logicos arbitramur esse omnes illos, qui ad notiones Logicas, veluti Sirenum scopulos adhærescunt, posthabitis præceptis de usu Logices. Nimirum notiones istæ Logicæ crepundia tantùm quædam sunt, & velut citharœdorum teretismata, quæ mentem titillant. Quare cùm notiones Logicæ sint instrumenta, nos juvantia ad veri cognitionem, necessum est ut ad hunc finem dirigantur. Dirigi autem non possunt ad illum finem, sine peculiari instructione. Iccirco in arte Logicâ tradendâ non sufficiunt præcepta, de naturâ instrumentorum Logicorum; sed requiritur insuper institutio peculiaris, quomodo instrumẽta illa ad rerum cognitionem possint dextrè atque expeditè applicari. Hîc occurritur nobis à quibusdam, hoc fieri in ipso Systemate, ubi præceptis exempla adduntur, atque ita Logicorum instrumentoram usus in exemplis monstratur. Respond. Exempla nihil aliud sunt quàm vades & interpretes præceptorum, non autẽ usum illorum indicant. Explicationi præceptorũ serviunt, applicationem minimè ostendunt. Sunt tamen qui dicant, exempla rationẽ utendi præceptis confusè & implicitè, non autem distinctè & explicitè lectoribus insinuare. Et hi volunt, specialem Logicæ partem explicatè tradere rationẽ utendi instrumentis. Sed nos priorem sententiam potiorẽ ducimus. Dum

enim, verbi gratiâ, in Logicâ generali ponis hoc præcеptum; *definitionis partes sunt, terminus convenientiæ & differentiæ, seu genus & differentia*; & *addis hoc exemplum, Peccatum est actio ἄνομος, contra legem*: non statim scis quomodo sit utendum definitione si velis explicare, demonstrare, vel amplificare. Manet ergo quod modò diximus, exempla servire explicationi præceptorum, applicationem minimè monstrare.

Satis de præcognitis Logicis, in quibus naturam & studium hujus artis explicatè tradidimus: nunc ipsorum instrumentorum explicationem aggrediemur, primò dicturi de termino.

Cap. 2. Thematis communes affectiones.

Vocabulum termini explicatum.

TErminus est instrumentū noëticum materiam ad bene disserendi propositam regens.

Aptissimum est vocabulum hoc *terminus* ad naturam sequentium instrumentorum, quæ sub se habet, tanquam genus suas species, declarandam. Propriè significat limitem, qui agrum ab agro dividit, & per tralationem pro quovis fine accipitur. Cum igitur instrumenta Logica alia sint materialia magis, alia formalia, quorum illa sic dicuntur, quia materiam dissertationis gubernant; ista, quòd formam ejus dirigant; rectissimè materialia illa instrumenta vocantur termini; quia terminant dissertationem, hoc est, certos fines circumscribunt, extra quos inter disserendum non liceat vagari. Tales termini sunt thema & argumentū. Nihil enim aliud præter hæc duo in quâvis dissertatione juxta Logica præcepta institutâ occurrit.

Terminus est thema, vel argumentum.

Sufficientia hujus divisionis patet è modò dictis. Hîc obiter notandum, nos minimè repudiare sententiam illorum, qui trichotomiam Logices generalis proponunt, ita ut prima pars illis dirigat primam mentis operationem in apprehensione terminorū simplicium; secunda, compositionem &

Trichotomia Logices an possit consistere?

divisionem

divisionem in propositione; tertia, discursum in syllogismo & methodo. Optimè convenit huic divisioni cum nostrâ partitione Logicæ generalis, si hoc unum notetur, authores hujus divisionis terminum simplicem latiùs accipere, ita ut definitio quoq; & distributio illis sint termini simplices, quatenus scil. non sunt ita compositi termini, ut axiomata. Nos autem strictiùs accipimus vocem termini hoc loco, & existimamus axioma seu propositionem non satis philosophicè appellari terminum complexum. Propriè enim terminus complexus est oratio nondum axiomatica, ut ferrum ignitum, item ars benè disserendi &c. Hoc ideò monemus, ut sciat Logicæ studiosus, definitionem & divisionem ab aliis vocari terminos simplices priori modo, & ita nos non negare id posse fieri: nobis verò terminum simplicem & complexum infrà in doctrinâ argumenti strictissimè accipi, quatenus τὸ simplex absolutè significat rem unam, τὸ complexum res duas non axiomaticè cohærentes. Breviter: definitio dicitur terminus simplex, comparatè, quatenus illa non est ita composita, ut axioma. Hîc etiam illud observetur, nos per synecdochen subinde dicere Logicam generalem, Logicam specialem, Logicam thematicam, & sic deinceps, ubi dicendum erat, pars generalis, pars specialis, pars thematica &c. Item interdum pluraliter audias dici Logica generalia, Logica specialia, Logica thematica &c.

Terminus simplex quis sit?

Thema est terminus, seu instrumentum noëticum, quod materiam, de quâ disserendum est, dirigit.

Hîc tria sunt ostendenda. 1. An doctrina de themate ad Logicam pertineat? 2. An thema sit instrumentum Logicum? 3. Quotuplex sit materia disertationis? Ad primum dico, Logicam istam abnormi laborare imperfectione, quæ thematis naturam non explicat. Id enim debet esse in arte quod est in usu. Jam verò in usu benè disserendi themata verbalia à realibus, simplicia à conjunctis &c. sunt distinguenda, ut hâc ratione scire possimus, quomodo themata sint tractanda, an per explicationem, an verò per probationem. Unde apparet, fundamentum esse totius Logicæ rectè distinguere inter themata, de quibus secundùm artis Logi-

Doctrina de themate est necessaria in Logicis.

cæ normam cogitationes instituere volumus. Hîc objicere aliquis possit ex Domini Timpleri Logicis, quòd thema non sit instrumentum Logicum, sed duntaxat res intelligibilis, de quâ dissertatio cognitionis gratiâ instituitur, prout ille definit thema *lib. 1. Logic. cap. 2.* Huic objectioni sic occurrendum esse censeo. Thema est vox Græca, significans omne id, quod ponitur, seu proponitur, unde & Latinis propositio dicitur. Ab hâc generali significatione per Synecdochen usitatissimam transfertur ad specialem, ut sumatur pro omni eo, quod ad disserendum proponitur. Et hoc modo rursus est vox vel primæ, vel secundæ notionis. Primæ, quatenus determinata materia ad disserendum proponitur, puta thema physicum, theologicum, medicum. Secundæ, quatenus thema in genere consideratur, non restrictum ad hanc vel illam materiam. Et hoc modo est instrumentum Logicum, quod sic probatur. Thema & argumentum esse relata, principium est Logicum. Patet id è definitione thematis vulgatâ, quâ thema definitur instrumentum inveniendi, quod ab argumento arguitur. *Beurhusius in procem. pædag. Logic. part. 3.* quam definitionem probant omnes Logici, neque à nostrâ modò allatâ discrepat, si probè trutines utramque. Si ergo thema & argumentum sunt relata, & quidem secundùm esse, consequitur, esse notiones secundas. Neque enim video, quomodo possit perfecta relatio intercedere inter notionem primam & secundam. Atque ita soluta est quæstio secunda. Superest tertium quæsitum, quotuplex sit materia dissertationis? Duplex illa est uno verbo. Aut enim est *materia de quâ* disserendum est, seu *qua* ad disserendum proponitur, seu *circa quam* versatur disserens: aut est *materia ex quâ* disseritur, seu quâ explicatur & demonstratur materia circa quam. Illa est thema, quod aliâs dicitur propositio, στάσις, *status*, propositum, objectum tractabile: hæc est argumentum. Illam per me licet dicas *principium* dissertationis QUOD; hanc, *principium* QUO.

Materia dissertationis duplex est.

Thematis occurrunt communes affectiones, & species.

Commu-

Communes affectiones thematis ſunt unitæ, vel disjunctæ.

Sicut in primâ philoſophiâ entis affectiones in duas claſſes diſpeſcuntur, quarum prima continet affectiones unitas, quales ſunt, unitas, veritas, bonitas, numerus, perfectio, pulchritudo & ordo, ut in Metaphyſicis noſtris videre eſt; altera complectitur affectiones disjunctas, quales ſunt actus & potentia, prioritas & poſterioritas &ç. ita & thematis Logici affectiones dividi poſſunt.

Affectiones thematis unitæ ſunt, quæ convenire debent omni themati ſine disjunctione.

Suntque bonitas, & reductio.

Nota, bonitatem hoc loco includere thematis veritatem quâ verè ſit aliquid cognoſcibile: item unitatem, quâ ſit aliquid comprehenſibile unitate ordinis, ſeu argumẽtis homogeneis.

Bonitas eſt, quâ thema proponendum eſt utile. *Hinc canon:*

In omni diſſertatione hæc eſto prima cura, ut diſpiciatur, num thema proponendum, vel propoſitum, ſit utile, nec ne.

Utile autem eſt illud, quod non eſt manifeſtè falſum & abſurdum, neque manifeſtè puerile. Manifeſtè falſum cenſetur thema, quod pietati & bonis moribus adverſatur; qualia ſunt illa de arte amandi apud Ovidium, & multa politica apud Machiavellum. Manifeſtè puerile cenſetur thema, quod è circulis eſt petitum, ideoque agyrtis relinquendum eſt: ut ſi quis diſſerere inſtituat de numero arenæ maris, de menſurâ Angelorum, de ponderando aëre, & ſimilibus. Pertinet huc elegans dictum: *De impoſſibilibus nemo ſapiens diſſerit.* Sunt autem impoſſibilia triplicia: lege, naturâ, & conſuetudine. Impoſſibilia lege dicuntur, quæ lex vetat; ut furari. Si quis ergo profiteatur artem furandi, ut multi loquuntur, violabit propoſitum canonem. Impoſſibilia naturâ dicuntur, quæ fieri per naturam non poſſunt; ut ſpatio unius diei conficere milliaria Germanica triginta. Si quis ergo hoc thema

Thema utile quodnã ſit?

Impoſſibile aliquid dicitur tribus modis.

sibi tractandum sumat, sibilis imò scuticis dignus erit. Impossibile consuetudine dicunt, quod repugnat consuetudini alicujus loci; ut multæ consuetudines in hâc Republicâ pugnant cum consuetudinibus illius Reipubl. Si quis ergò pugnantem consuetudinem in Republ. velit laudare, vel suadere, tractabit thema inutile. Hîc duo quæruntur; 1. an themata favorabilia duntaxat: 2. practicabilia duntaxat proponenda? Respon. ad 1. negando. Veritas enim semper spectanda, non aura popularis captanda. Ad 2. distinguendo. Practicabile est vel suâ naturâ tale, vel nobis. Si posteriori modo intelligatur quæstio, neganda est. Multa enim in Ethicis præcipiuntur de virtutis naturâ, item de officio principis (nam ibi spectamus ideam) quæ quidem ex se sunt practicabilia, licet nobis non semper.

Reductio est, quâ thema ad certam sedem reducitur; eamq; tum disciplinæ, tum prædicamenti certi.

Vulgò dicimus in Scholis: *De quâlibet re judicandum est è propriâ sede*. Satis rectè. Sicut enim locus cognitus multùm facit ad cognitionem locati: sic & natura cujusque thematis è proprio loco quàm felicissimè eruitur. Sedes autem illa est duplex, disciplina nimirum & series prædicamentalis. Hinc canon:

Quando jam constat de bonitate thematis, cogitabis de reductione.

Reductio thematis ad sedem propriam quo modo instituenda?

Reductio thematis ad certam disciplinam est facilis, si attendas ad decantatam disciplinarum divisionem, quòd aliæ sint liberales, illiberales aliæ. Sic enim tibi nihil occurret in totâ rerum universitate, quod non possis reducere ad universitatem disciplinarum, juxta illud: *Orbis disciplinarum* (Græcis ἐγκυκλοπαιδεία, & κυκλοπαιδεία) *repræsentat circulum seu orbem mundi*. Si v. g. de homine disserendum sit, primò dispiciendum fuerit, num theologicè, physicè, medicè &c. homo consideretur. Reductio ad seriem prædicamentalem præsupponit cognitionem Metaphysices, ubi ostenditur, quomodo res sint in prædicamentis, num directè vel indirectè, num univocè vel analogicè, per se vel per

vel per accidens. Libro tertio Logicorum hoc obiter attingemus.

Affectiones thematis disjunctæ ſunt, quæ conveniunt illi per diviſionem: ut, quòd omne thema ſit 1. verum vel fictum. 2. protonoëmaticum vel deuteronoëmaticum. 3. principale vel minùs principale.

Thema verum eſt rei exiſtentis: fictum contra:

Ut, vita æterna eſt thema verum, purgatorium eſt fictum. Hîc obiter obſerva, thema fictum eſſe vel otioſum, ut eſt limbus patrum; vel fructuoſum, ut ſunt multa figmenta poëtica, quæ ethicè, politicè & phyſicè explicata ſingularem habent uſum; uti videre eſt in *Mythologiâ Natalis Comitis, & Davidis Schrami Phyſicâ & Ethicâ.*

Thema protonoëmaticū eſt, quod exprimit notionem primam, *ut homo, cœlum:* deuteronoëmaticum eſt, quod exprimit notionem ſecundam:

Ut, nominativus, metaphora, ſyllogiſmus, zodiacus. Notiones ſecundæ aliis dicuntur *ſecundæ cogitationes, ſecundò cogitata*, Platoni λόγοι τεχνικοὶ, Ariſtoteli λόγοι κατὰ ἐπιστήμην, Tertulliano *verba legitima*; in Gloſſario veteri dicuntur *axamenta.* Quid ſit notio prima, quid ſecunda, in Metaphyſicis docetur. Non itaque pertinet ad Logica præcepta hæc tractatio, ſed ad commentaria, in quibus breviter hæc doctrina è primâ philoſophiâ repetenda eſt. Notio in philoſophiâ eſt conceptus mentis. Hic conceptus eſt triplex, formalis, objectivus, & objectivus conſequenter. Conceptus formalis, qui rem formaliter cognitam menti repræſentat. Vocatur formalis, quia repræſentat rem ſecundùm realia attributa. Conceptus objectivus, eſt ipſum cognitum objectum, circa quod conceptus formalis verſatur. Conceptus objectivus conſequenter eſt, qui ſequitur conceptum objectivum, tanquam umbra corpus. e. g. video hominem, quem mens mea concipit formaliter, dum actualiter convertitur in hominem, vel hominem convertit in ſe. Nam cognitio eſt aſſimilatio cognoſcentis & cogniti. Perinde igitur eſt, ſive dicas intellectionem, quâ intellectus canem co-

Conceptus rei poteſt eſſe triplex.

gnoſcit, eſſe converſionem intellectus in canem, vel canis in intellectum: quod poſterius videtur eſſe accuratius, eò quòd anima noſtra habeat in ſe vim quandam identificam, quâ poſſit ſibi ſuum objectum aſſimilare, vel ſi ita velis identificare. Hæc igitur actualis cognitio dicitur conceptus formalis. Ceſſante hâc cognitione, quâ mens mea cognovit hominem, ſtatim ſubſequitur homo cognitus in mente meâ. Sed dum hominem ita conceptum à me recogito, & de illo enuncio terminos technologicos, ut caſus varios, item genera & ſpecies, dicor concipere hominem objectivè conſequenter. His ita diſputatis, facillimum erit cognoſcere, quid ſit notio prima, quid ſecunda. Notio prima eſt conceptus rei, quâ res eſt, ideoque immediatè fundatur in re: ſed notio ſecunda eſt conceptus τȣ̃ conceptus, ideoque mediante notione primâ fundatur in re: ut homo eſt notio prima, quatenus concipitur. Huic enim conceptui, ſive formalis ſit, ſive objectivus, reſpondet aliquid in rerum naturâ. Sed ſi dicam genus, vel nominativus, non dederis mihi rem in mundo, hoc tali conceptu repræſentatam. Hujusmodi notiones ſecundæ occurrunt in Grammaticis, Rhetoricis, Logicis & Aſtronomiæ parte ſphæricâ hypotheſes de circulis, & in theoricâ planetarum. Hinc colligere eſt ſcientias & prudentias philoſophicas de notionibus primis, artes verò de ſecundis tradere.

Thema principale eſt, quod primariò tractandum ſuſcipitur: minùs principale, quod obiter ſeu incidenter tractatur.

Maximè curandum eſt, ut in omni tractatione thema principale diſtinguamus à minùs principalibus; id quod fit juxta hunc canonem:

Thema principale invenitur, ſi conſtet de principali authoris ſcopo.

Etenim finis principalis eſt, ad quem omnia referuntur. Si igitur nobis conſtet, quò retulerit author omnia illa, quæ protulit, non poterit nos fugere thema principale.

Cap. 3.

Cap.3. Vocis affectiones.

FUerunt communes thematis affectiones; species sequuntur, secundùm quas thema est solitarium, vel aggregatum seu socium.

Thema solitarium est, quod unius est naturæ.

Estque vel verbale, vel reale.

Thema verbale est vox ex instituto rem aliquam significans ad tractandum proposita.

Ad hoc præceptum duo quæruntur. 1. An omnis vox significet ex instituto? 2. An tractatio vocum sit Logica? Respon. ad. 1. Vox est inarticulata, vel articulata. Inarticulata est signum planè φυσικόν, ut boatus, grunnitus: est inquam signum per naturam signans affectum animalis, quatenus est animal; excepto risu, qui signat affectum hominis, non quatenus est animal, sed quatenus est tale animal, hoc est rationale. Atq; hæc vox inarticulata non potest scribi. Vox articulata est signum planè θετικόν, seu ex instituto, si formale ipsius attendas, quod est significatio. Materiale enim si spectes, videl. sonum, & literarum combinationem; ratione illius dicenda erit naturalis, sed ratione istius ex instituto. Rectè itaque vox articulata dicitur significare ex instituto: quia à potiori debet fieri denominatio. Jam verò forma est potior materiâ. Taceo quòd altera pars materiæ etiam sit ex instituto. Hinc rectè dicimus, omnem vocem esse impositionis, vel primæ, vel secundę; itemq; vocum impositionem esse vel ἀπὸ τύχης, vel ἀπὸ τέχνης. Neque est quòd objicias vel vocabula πεποιημένα, ut vocant, qualia sunt halare, hinnire, vel interjectiones. Nec enim statim naturale est, quod rei naturam nobis declarat; sed illud naturale est, quod per naturam designat ipsam naturam. Non hîc moror ea, quæ solent afferri de linguâ Hebræâ, quòd illa sit naturalis; item de linguâ Phrygum apud Herodotum, vel de linguâ brutorum apud Plutarchum. Hæc enim partim fabulosa, partim ἀπροσδιόνυσα sunt. Resp. ad 2. Vox refertur vel ad solam loquentis mentem, vel insuper ad conversationem.

An voces significent ex instituto?

An consideratio vocis sit Logica? Quatenus ad mentem refertur, est illius index & character. Ita consideratur in Physiognomicis. Quatenus refertur ad conversationem, ferit vel mentem, vel cor illorum, quibuscum conversamur. Hinc Philosophus *1.polit.cap.2.* probat, hominem naturâ esse animal πολιτικὸν, quia naturâ habeat usum sermonis, qui sit κοινωνίας ὄργανον. Jam si feriat vox articulata mentem, consideratur vel ut technologema ad purè loquendum necessarium, vel ut technologema ad benè disserendum faciens. Si feriat cor, consideratur ut technologema ad ornatè dicendum necessarium. Primo modo vox subjicitur operæ Grammatices; secundo modo pertinet ad Logicam, non primariò, sed secundariò; tertio modo Rhetorica sibi adscribit vocis tractationem.

Vocis considerantur affectiones, & divisiones.

Affectiones vocis sunt perspicuitas, & adæquatio.

Illa est necessaria, hæc honoraria.

Perspicuitas est, per quam vox apta est ad significandum animo quod debet: *& aliâs dicitur* rotunditas sermonis.

Perspicuitas vocis est duplex. Perspicuitas est prima virtus vocis, quæ est aptitudo illius ad celeriter & ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ, ut loquitur Philosophus, repræsentandum rem, cui imposita est. Itaque vox obscura æquivocè dicitur vox. Objicis, hanc non esse proprietatem vocis, eò quòd vox ambigua non possit esse perspicua. Resp. Vox ambigua est distinguenda, & hâc ratione ipsa est perspicua. Cæterùm perspicuitas est duplex, αἰσθητικὴ & νοητική. Illa est sensualis, & spectatur ab oratore & poëtâ in tropis, nominatim in metaphoris illustribus. Ista est intellectualis, & à Logico spectatur, qui etiam admittit voces didacticas, docendi discendiq; causâ excogitatas, quales sunt *entitas, quidditas, ratio formalis, ratio objectiva, esse formale & reale, esse cognitum seu objectivum seu intentionale.*

Adæquatio est, per quam vox est adæquata rei significandæ: *aliâs* commensuratio vocis *dicitur.*

Hæc est altera virtus vocis, sed honoraria duntaxat. Non enim omnes voces possunt esse adæquatæ rebus suis. Ratio hujus

hujus est, quia plures sunt res quàm voces propriæ. Hinc est, quòd multæ voces sunt latiores, vel angustiores rebus significatis.

Cap.4. Vocis divisiones è causis.

SEquuntur vocis divisiones; secundùm quas vox alia est simplex, alia conjuncta.

Vox simplex est signum rei extra dispositionem.

Dispositio in Logicis est plena, vel semiplena. Plena est axiomatica, syllogistica, methodica. Semiplena est, quæ fit sine vinculo seu copulâ; ut liberum arbitrium, homo doctus; cujusmodi voces dicuntur simplices, non quòd uno simplici conceptu rem aliquam repræsentent, sed quòd non sint ita complexæ, ut est vox conjuncta, quæ integram sententiam absolvit. Sic etiam voces collectivæ & concretæ dicuntur simplices, non simpliciter, sed secundùm quid, nimirum comparatè. Erit tamen accuratius, si procedas hoc modo: vox est simplex, vel conjuncta: & hæc est vel complexa, ut virtus heroica, vel est phrasis plenè disposita. Dispositio in Logicis quotuplex?

Vox simplex consideratur vel sola, vel collata cum aliis vocibus.

Vox sola considerata dividitur è causis, effectis, subjectis, & adjunctis suis.

E causis dividitur vox quadrifariam, videl. è fine, efficiente, materiâ, & formâ.

E fine vox est vel extrema, vel media.

Vox extrema est, quæ vel in bonam tantùm, vel in malam tantùm partem accipitur: *ut pietas semper in bono accipitur, impietas in malo.*

Hujusmodi voces vocantur extremæ, termino Ethico nonnihil immutato; quia significant extrema moralia, h. e. virtutem vel vitium, quæ hîc opponuntur tanquam duo ex-

trema. Alioquin in Ethicis virtus dicitur interjacere inter duo extrema vitia, nimirum excessum & defectum.

Vox media est, quæ nunc in bonam, nunc in malam partem accipitur: *aliâs dicitur* indifferens, *&* vox medii usus.

Hujusmodi voces sunt facinus, tentare, sacer: quæ tum in laude, tum in vitio ponuntur. Vulgò solent hæc exempla adferre, tyrannus, secta, hæresis, latro, fur. Sed οὐδὲν πρὸς θέσιν hæc talia. Non enim hodiè illa vocabula sunt μέσα, neq; primitùs fuerunt. Sicut enim olim nonnisi in bonam partem accipiebantur: ita nunc temporis nonnisi in malam. De voce *magus* hîc quæritur, num sit media: & dicendum videtur quòd sit. Ratio: quia hodiè ab eruditis nunc in virtute, nunc in vitio ponitur, licet sæpius à vulgo in malam partem usurpetur.

E causâ efficiente vox est divina, vel humana.

Suprà diximus, vocem omnem esse ἐκ θέσεως sive συνθήκης. Impositio illa habet authorem vel Deum, vel hominem; unde vox rectè dividitur in divinam & humanam.

Vox divina est, quam Deus instituit: *ut Jehovah, Ehejeh, &c.*

Quænam voces sint divinæ? Hîc notetur error quorundam, qui putant omnes voces divinas esse, quæ in sacris literis utriusque Testamenti occurrunt. Sanè voces veteris Testamenti omnes possunt appellari divinæ. Sunt enim tales, vel ἀμέσως, *immediatè*, quas Deus, reserans sacrosanctum suum os, imposuit: vel ἐμμέσως, *mediatè*, quas prophetæ & sancti viri in veteri populo usurparunt. Vel si ita placet, voces illæ possunt appellari divinæ, quia Adamus protoplastus, primus ille ὀνοματοθέτης, illas à Deo accepit. Voces biblicæ novi instrumenti, vel à Deo sunt traditæ mediatè scil. vel ab Apostolis duntaxat sanctificatæ eo ipso, quòd in canonem sunt relatæ. Illæ omninò divinæ sunt, quia sunt ex instituto divino: hæ nonnisi secundùm quid divinæ dici possunt. Etenim illæ ignotæ fuerunt reliquis nationibus, vel quoad materiale & formale, ut vox ἰησοῦς; vel quoad formale tantùm, ut παλιγγενεσία, διχαιοῦσθαι: hæ verò notissimæ, ut βίβλος, ἔρχομαι.

Vox

Vox humana eſt, quæ ex hominum inſtituto manavit:

Ut εἱμαρμένη, *fatum*, vox Stoicorum eſt. Ita ſingulæ diſciplinæ ſuos ſibi habent terminos. Hîc oritur quæſtio, an linguæ in confuſione Babylonicâ ortæ, ſint dicendæ divinæ, vel humanæ? Hanc in medio tanquam difficilem relinquo.

E materiâ vox primò eſt abſtracta, vel concreta.

Vox abſtracta eſt, quæ ſolam formam ſignificat.

Eſtque abſtracta, vel ab inferioribus, vel à connotatione ſubjecti: *ut loquuntur Thomiſtæ ex* Thom. de eſſentiâ cap. 5.

Abſtracta ab inferioribus eſt, quæ notat formam ſubſtantialem genericam vel ſpecificam:

Ut animalitas, humanitas. Hæc enim vocabula reſpiciunt inferiora ſua, uti genus ſpeciem, & ſpecies individuum reſpicere dicitur.

Abſtracta à connotatione ſubjecti eſt, quæ notat formam accidentalem: *ut albedo, fides*; vel ſubſtantialem individuificam ſeu numericam, *ut Platonitas, Ariſtoteleitas.*

Utraq; enim hæc forma abſtrahitur à ſuo ſubjecto, tanquam ſuperior ab inferioribus ſuis.

Vox concreta eſt, quæ notat formam unà cum formato.

Vulgò vox abſtracta definitur, quæ rem denominantem ſignificat; & concreta, quæ rem denominatam. Non malè. Nam forma eſt res denominans, ut juſtitia; ſed formatum eſt denominatum, ut juſtus. Hinc dicimus, juſtitia eſt, à quâ aliquis denominatur juſtus. Unde patet, vocem concretam habere duplicem ſignificationem; quarum una eſt primaria & formalis, altera ſecundaria & materialis: v. g. philoſophus materialiter ſignificat eum, in quo eſt philoſophia; formaliter ipſam philoſophiam.

Eſtq; duplex, connotans relationem vel ad ſua inferiora, *ut animal, homo*; vel ad ſubjecta, *ut albus, fidelis.*

Ad posteriorem hanc classem referuntur omnia concreta relativa, ut ulna, limes, locus, baptismus, pater, filius: quæ licet multis videantur abstracta, tamen concreta sunt. Non enim omnia substantiva abstracta sunt.

Deinde è materiâ vox est incomplexa, vel complexa.

Vox incomplexa est, quæ sola separatim sumta rem significat:

Ut cœlum, terra, pius, virtus. Aliâs simplex dicitur.

Vox complexa est, quæ pluribus vocib. constat.

Estq; vel minùs, vel magis complexa.

Vox minùs complexa est, quæ rem unam denotat:

Ut Filius Dei, Cœna Domini, Apostolus ille gentium, liberum arbitrium.

Vox magis complexa est, quæ res plures significat; *ut homo pius, eruditio omnigena.*

Tertiò è materiâ vox est significationis sejunctæ, vel collectæ.

Vox significationis sejunctæ est, quæ rem sine collectione significat: *ut homo, pomum.*

Vox significationis collectæ est, quæ significat multa per aggregationem: *aliâs* vox collectiva *dicitur: ut grex, silva, ecclesia, philosophia, civitas, Respublica.*

E formâ vox est vel unius significationis, vel plurium. *Illa Græcis* μονόζημος, *hæc* πολύσημος *dicitur.*

Vox unius significationis est, quæ tantùm est propria: *ut palàm.*

Vox plurium significationum est, quæ nunc propria est, nunc tropica:

Ut oculus significat propriè membrum animalis, tropicè tribuitur surculis arborum: Ecclesia Catholica propriè significat civitatem illam Dei ex Angelis bonis (ut Calvinus, Polanus, & alii volunt) & electis hominib. constantem, synecdochicè

ecclesiasticè usurpatur pro universitate electorum hominum, qui fuerunt, sunt, & erunt. Vide *Polan. Syntag. Log. p. 8.*

Cap. 5. Vocis divisiones ex effectis.

VOx ex effectis, *seu re significatâ*, est categorematica, syncategorematica, vel mixta.

Vox categorematica est, quæ per se rem aliquam integrè significat:

Ut sunt inprimis nomina, & verba, è quibus oratio principaliter constituitur, ut ignis, urit; animal, movetur; homo, scribit. Atque has voces Logici maximo curant opere. *Molinæus l. 1. Logic. c. 1.*

Vox syncategorematica est, quæ aliis vocibus juncta vim consignificandi habet:

Unde & consignificans Latinis dicitur. Hujus classis sunt pronomina pleraque, adverbia, præpositiones, conjunctiones. Hæ enim voces ex se nihil significant, sed simillimæ sunt ziphris, quas Logistæ vocant nullas; quæ quidem solæ nihil significant, interim numeris additæ magnam vim habent. Sunt & syncategorematicæ voces *omnis*, *cunctus*, *universus*, *nullus*. Participia, ipso hoc nomine teste, affinitatem habent cum nomine & verbo, ideoque categorematicis vocibus accensentur. De interjectionibus non sine causâ aliquis dubitaverit, utri ordini sint adscribendæ. Ego bonâ pace magni nominis Logicorum categorematicis accensuero. Nam non minùs significant, quàm nomina. Et hoc volui innuere, quando paulò antè dixi nomina & verba INPRIMIS esse voces categorematicas. Quænam voces sint syncategorematicæ?

Vox mixta est, quæ & significat, & consignificat.

Hæc vox dicitur significare, quatenus ponitur pro categorematicâ: at consignificare dicitur, cùm categorematicæ adhæret: ut in illo

——— *Nemo sine crimine vivit:*

vox *nemo* est categorematica, idem valens quod nullus ho-

mo: ſed in illo *nemo homo adfuit*, eſt ſyncategorematica. Sic in illo

Nullus ubiq; poteſt felici ludere dextrâ;

vox *nullus* eſt categorematica, quia ſola eſt poſita pro nullus homo: ſed in illo *nullus malus magnus piſcis* eſt ſyncategorematica. Vox *nihil* in illo

——*Nihil eſt ab omni*
Parte beatum

eſt categorematica; quia ponitur pro *nulla res*: ſed quando dico *nihil boni præſagit mihi animus* non ſignificat, ſed conſignificat.

Cap.6. Vocis diviſiones è ſubjectis.

VOx è ſubjectis primò eſt cardinalis, vel dependens.

Hæc eſt diviſio è ſubjecto loco.

Vox cardinalis eſt Hebræa, Græca, Latina, vel Germanica.

Has quatuor cenſeo cardinales poſſe dici optimo jure: eò quòd quatuor mundi cardines, ſingulæ ſingulos occuparint, ſi non ita rigidè quis examinet. Si tamen malis has linguas appellare cardinales κατὰ μεταφορὰν, non repugnabo.

Vox dependens eſt, quæ à cardinali orta eſt:

Ut, à linguâ ſanctâ, videlicet Hebræâ, ortæ ſunt omnes orientales; à Germanicâ ſeptentrionales; à Latinâ occidentales; à Græcâ meridionales, à quâ tamen Lithvanica & Moſcovica linguæ etiam deſcendunt. Hîc non attinet diſputare, quot in univerſum ſint linguæ? Nos accedimus iis, qui ſeptuaginta duas numerant, exceptis dialectis. Sanè poſſent eſſe infinitæ linguæ, ſi quis varias literarum combinationes urgeret; ſed ut in omnibus natura abominatur infinitum: ita etiam in linguis. Hîc & illud ob-

illud observa, frigidum esse & dilutum, quod quidam tradunt, plures esse voces, quàm res, si quis spectet omnes nationes. Non enim quæritur à Philologis, an plures sint voces quàm res, si spectentur variæ linguæ, sed, si spectetur certa lingua, utputa Latina, Hebraica.

Deinde vox è subjectis est, vel propria, vel communis.

Vox propria est, quæ unicam rem singularem significat: *ut Jehovah, virgo Maria, Hierosolyma.*

Vox communis est, quæ res plures significat.

Estque vel distincta, vel ambigua.

Illa vulgò *univoca*, ista *æquivoca* dicitur: quâ de re paucis sic accipe. Scholastici *univoca* dividunt in *univocantia*, & *univocata*; illis voces univocas, his res univocas intelligunt. Similiter æquivoca dividunt in *æquivocantia*, & *æquivocata*; illis voces æquivocas, his res æquivocas intelligunt. Hoc ideò te monendum duxi, ut scire possis, vocabula propriè non dici univoca, vel æquivoca, sed res vocabulis expressas. Itaque vox univoca erit, quæ res univocas significat, æquivoca quæ æquivocas. Res autem univocæ sunt, quæ habent nomen & esse commune, ut homo & bestia respectu animalis. Res æquivocæ sunt quæ commune quidem nomen habent, sed non esse: ut homo vivus & mortuus dicuntur æquivoca, Aristoteli ὁμώνυμα; sicut univoca eidem dicuntur συνώνυμα. Confer *Fonsec. l. 1. instit. Dialect. cap. 22.* Sed Grammaticis συνώνυμα dicuntur vocabula ἰσοδυναμοῦντα, *æquipollentia*, ut ensis, gladius: qualia synonyma qui dari negat, sciolus est. Univoca & æquivoca sunt duplicia.

Vox distincta est, quæ plures res eâdem ratione significat:

Aliâs (ut modò monuimus) *univoca univocans*, & *synonyma* dicitur: ut ignis, aër, aqua, terra, animal.

Vox ambigua est, quæ res naturâ diversas confusè significat:

Aliâs *homonyma*, & *æquivoca æquivocans*, item φωνὴ ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Quod quidam vir doctus disputat, vocem ambiguam non esse vocem; quia nihil certi significet, aut menti repræsentet; ideoque ἀκύρως & ὡς ἐν πλάτει dici vocem, frivolum est. Nulla enim vox est, quæ non primùm uni certæ rei sit destinata. Ambiguitas autem postea per accidens accessit vocibus propter multitudinem rerum propriis nominibus carentium.

Estque vel simpliciter, vel secundùm quid ambigua.

Vox ambigua simpliciter est, quæ sine aliquâ ratione significat res diversas:

Aliâs dicitur *purè æquivoca*, item ὁμώνυμος ἀπὸ τύχης, *æquivoca ex casu*: ut Gallus modò significat hominem oriundum è Franciâ, modò gallum gallinaceum; jus nunc offam, nunc id quod lege jubetur, significat.

Vox ambigua secundùm quid est, quæ certâ aliquâ ratione significat res diversas;

Vulgò dicitur ὁμώνυμος ἐκ προαιρέσεως, vel ἀπὸ τέχνης, *æquivoca à consilio*. Alberto Magno dicitur *æquivoca secundùm rem*.

Estq; vel dependentiæ, vel similitudinis.

Vox ambigua dependentiæ est, quæ tribuitur superiori tanquam independenti, & inferiori tanquam dependenti;

Ut *ens* tribuitur substantiæ tanquam superiori & principaliori, accidenti verò tanquam inferiori & dependenti à substantiâ.

Vox ambigua similitudinis est, quæ diversis rebus tribuitur ob quandam similitudinem.

Qui reb. hęc nomina imposuerunt ambigua, causam hujus rei habuerunt duplicem, vel unius ab altero necessariam dependentiam, vel similitudinem unius cum altero quoad effecta vel accidentia quædam. Hinc patet non insulsam esse divisionem hanc, quâ Logici vocem æquivocam à consilio

ſilio dividunt è dependentiâ & ſimilitudine iſtâ, quam in rebus obſervarunt primi illi ὀνοματοθέται.

Eſtq; vel ſimplicis ſimilitudinis, vel compoſitæ.

Vox ambigua ſimplicis ſimilitudinis, eſt cùm ſimilitudo conſiſtit inter duo tantùm.

Eaque rurſus eſt vel ex merito rerum, vel conceptus noſtri.

Illa eodem ſenſu dicitur ſimilitudo ex parte rei, item κατὰ πρᾶγμα; hæc è parte conceptus, & καθ' ἡμᾶς.

Vox ambigua ſimilitudinis ex merito rerum eſt, quæ ſignificat res obtinentes ſimilitudinem extra mentem noſtram.

Quales ſunt pleræq; voces metaphoricæ, ut ſacramentũ ſignificat formulam jurisjurandi militaris, & actionem ſacram in Eccleſia; ſic homo dicitur ſanus, & urina ſana, item cibus ſanus; animal terreſtre dicitur lupus, itemque piſcis.

Vox ambigua ſimilitudinis ex merito conceptus noſtri eſt, quæ notat res diverſas, obtinentes ſimilitudinem propter conceptum noſtrum:

Cujusmodi ſunt pleraque attributa divina, ut juſtitia, ſapientia, miſericordia &c. quæ voces directè impoſitæ ſunt virtutibus hominum ſignificandis; indirectè autem ad Deum pertinent, quatenus nos tales in Deo virtutes, ſimilitudine earum, quæ in hominibus ſunt, virtutũ concipimus; ita tamẽ, ut adhibeamus *judicium correctivũ*, quo Dei eminentiam, noſtramq; imbecillitatem agnoſcentes ſtatuimus, modo longè eminentiori hæc talia eſſe in Deo, ita ut ſint ipſe Deus. Sic vox hæc Spiritus, tribuitur Deo, Angelo, animæ hominis &c. Vulgò hujusmodi voces dicuntur ambiguæ πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνός, idque rectè; interdum etiam *analogica*, minùs rectè. Nam analogia eſt in compoſitâ ſimilitudine, quæ conſiſtit inter quatuor, uti jam dicemus.

Judicium correctivũ in doctrinâ de Deo eſt perneceſſarium.

Vox ambigua compoſitæ ſimilitudinis eſt, quæ notat res diverſas obtinentes ſimilitudinem conſiſtentem in proportione, quæ eſt inter quatuor.

Ut vox *gubernator* hoc ſenſu eſt ambigua, quatenus tribuitur rectori navis & magiſtratui. Eſt enim hîc analogia ſeu proportio quatuor terminorum. Sicut enim nauclerus ſe habet ad navim: ita magiſtratus ad Rempublicam. Ita vox hæc *Deus* ἀναλόγως tribuitur Jehovæ & magiſtratui; vox *caro* analogicè dicitur de animalibus & prunis. Hæc non ſunt λεπτὰ, ſed ex intimis Logicæ fundamentis exſculpta. Tradunt enim Logices conſulti, ſimilitudinem eſſe contractã, vel explicatam. Illa etiam ſimplex ſimilitudo & metaphora; hæc compoſita ſimilitudo & proportio, ſeu analogia dicitur. Sic enim Ariſtoteles analogiã conſiderat, quòd propriè conſiſtat inter quatuor. Scholaſtici autem fecerunt analogiam duplicem, *attributionis*, qualis eſt entis ad ſubſtantiam & accidens; & *proportionis*, quæ Ariſtoteli eſt analogia κυριολέκτως. *4. Metaph. cap. 2. & 1. Ethic. cap. 6.*

Cap. 7. Vocis diviſio ex adjunctis.

EX adjunctis vox eſt finita, vel infinita.

Hæc vocis diviſio in doctrinâ de propoſitionibus eſt inſignis.

Vox finita eſt, quæ certi aliquid ſignificat:

Ut homo, cęlum, mundus. Hujusmodi voces ſunt omnes illæ, quæ non habent præfixum adverbium negandi.

Vox infinita eſt, quæ certi nihil ſignificat:

Ut, non-homo, non-cælum, non-mundus. Hujusmodi voces ſunt omnes illæ, quibus negativa particula per ὑφ' ἓν, ſeu notam unionis adjungitur. Vocantur infinitæ, quia nihil finiti ponunt, v. g. non-homo, non-cælum, quidvis ſignificant præter hominem & cælum.

Cap. 8. Vox ſimplex collata cum aliis.

COnſiderata fuit vox ſimplex ſola: nunc conſideranda venit vox ſimplex collata cum aliis. Eſtque,

Primò

Primò vel ὁμόσημος, vel ἑτερόσημος.

Vox ὁμόσημος est, quæ cum aliâ collata planè idem significat: sive ambæ sint unius linguæ, *ut* λατρεία *&* δουλεία, *ensis & gladius*: sive diversarum linguarum, *ut* ἄρτος, *panis*; εἴδωλον, simulacrum.

Grammaticis hæc vocabula dicuntur ἰσοδυναμοῦντα, *æquipollentia*, ut suprà diximus, item Synonyma. Ubi hic canon notandus:

In tractatione thematis verbalis non solùm unius linguæ synonyma sunt coacervanda, sed etiam diversarum, maximè principalium, & vernaculæ.

Exempli gratiâ, homo Latinis aliâ voce dicitur mortalis; Græcis ἄνθρωπος & μέροψ; Hebræis *Adam & Enosch*; Germanis mensch.

Vox ἑτερόσημος est, quæ aliud significat, quàm ea, cum quâ confertur:

Ut homo & platanus; serperastra & circinus, circinus & circulus; vena, arteria & nervus.

Deinde est vel verè, vel apparenter conjugata.

Verè conjugata vox est, quæ ejusdem cum alterâ est originis & significationis diversæ; *ut Deus & deitas*; *divinus, divinitas.*

Apparenter conjugata est, quæ ejusdem quidem cum alterâ est originis, at significationis planè adversæ: *ut informare & informis.*

Hîc distinguimus inter significationem diversam & adversam, secuti Logicorum illam maximam: *diversa non sunt adversa.* Diversam illam significationem poteris etiam appellare subordinatam, & dependentem. Sic sapiens & sapientia sunt significationis subordinatæ seu dependentis.

Cap. 9. Vox conjuncta.

IN theoriâ vocis restat vox conjuncta, quæ est signum rei plenè dispositum.

Non solùm thema reale sic dividendum est, ut vulgò fit, quòd aliud sit simplex, aliud conjunctum: sed etiam thema verbale. Nam non solùm in themate verbali considero simplicem vocem, qualis est Deus, orbis; item Deus justus, orbis perfectus: sed etiam observo totam phrasin, quatenus de illâ formari potest quæstio, ad quã possit responderi per ita vel non; ut, an illa verba *Gen.1. In principio creavit Deus cælum & terram*: sint accipienda de principio temporis, an verò de Filio Dei? Cæterùm vox conjuncta easdem fermè admittit divisiones, quas vidimus in voce simplici. Supersedemus ergò actum agere. Hunc solummodo canonem adnotamus;

Quòd omnis vox simplex induere possit naturam conjunctæ:

Ut si dicam Philosophia, & statim quæram, an hoc nomen exprimat naturam rei cui impositum est à Pythagora, jam est thema verbale conjunctum. Sic enim accipias oportet vocem conjunctam, quòd nempe idem sit quod thema verbale conjunctum.

Cap. 10. Thematis realis communes affectiones.

HActenus fuit thema solitarium verbale; sequitur thema solitarium reale, quod est res voce aliquâ significata ad tractandum proposita.

Ejus occurrunt communes affectiones, & divisiones.

Communes thematis realis affectiones sunt, quòd sit 1. Positivum, vel negativum. 2. Absolutum,

solutum, vel respectivum. 3. Universale, vel singulare. 4. Theoreticum, vel practicum.

Thema reale positivum est, quod aliquid affirmat:

Ut Deus, homo; an quoddã bellum est præferẽdum paci?

Negativum est, quod aliquid tollit: *ut non-homo; non omnia possumus omnes.*

Thema absolutum est, quod citra relationem consideratur:

Ut Bucephalus; quomodo Alexãder tam brevi temporis spatio fines imperii sui dilatavit? an Deus est author peccati?

Respectivum est, quod in relatione consistit:

Ut pater; quare Deus se vocat patrem nostrum?

Thema reale universale est, in quo universalis res occurrit tractanda:

Ut virtus; an virtus Theologica differt specie à virtute morali?

Estque vel definitum, vel indefinitum.

Definitum est, quod signo aliquo est determinatum:

Ut omnis homo mendax; aliqua virtus est heroica.

Indefinitum est, quod signo determinante est destitutum: *ut virtus laudem meretur.*

Utrumq; est generale, vel particulare: quorum illud universali signo est determinatum, hoc particulari.

Thema singulare est, in quo individuum tractandum occurrit.

Ut Judas; an Papa Italiam dono accepit à Constantino Magno? Aliâs hoc thema vocatur *individuale, & proprium.*

De his affectionibus est canon:

Positivum negativo; absolutum respectivo; universale singulari est dignius: ideoq; indignius per dignius est examinandum.

Ratio hujus: quia quod principalius est, mensura est & norma illius quod est minùs principale. Pertinent huc illa a-

xiomata: *Affirmatio est mensura negationis; omne respectivũ fundatur in absoluto; universale est mensura sui singularis.*

Thema theoreticum est, quod cognitionis gratiâ proponitur: *ut, cælum, an terra est rotunda?*

Practicum est, quod proponitur actionis gratiâ: *ut, an bona opera sunt necessaria ad salutem?*

De hâc divisione est canon:

Tractatio thematis practici est facilior tractatione thematis theoretici.

Ratio est, quia principia practica dependent à theoreticis. Cognitis itaq; theoreticis, faciliùs cognosci possunt practica. Quòd verò practica dependeant à theoreticis, vel inde videre est, quòd intellectus practicus theoreticum, & voluntas intellectum sequatur.

Cap. 11. Thema reale simplex.

Divisiones thematis realis sequuntur, secundùm quas est vel simplex, vel compositum.

Thema reale simplex est, quod ad declarandum sive explicandum proponitur: *unde &* exemplum declarationis dicitur.

Estq; vel terminus simplex, vel quęstio simplex.

Terminus realis simplex est, qui unâ voce rem aliquam proponit: *ut Oceanus, pietas.*

Magnæ hoc in loco & plusquam Cimmeriæ occurrunt tenebræ apud plerosq; Logicos. Multi enim Logici confundunt thema cum quæstione. Multi quoq; thema simplex definiũt, quòd sit res unica unâ voce significata. Errãt errorem sat crassum. Principiò enim thema & quæstio non sunt planè idem. Quid enim? Annon hoc est thema, Angelus? At non est quæstio. Quid? Annon est thema, si dicam: Solus sapiens est dives. At non est quæstio, nisi virtualiter: quia nondum possum respõdere ad illud propositũ, nisi prȩfigatur an, num, vel utrũ. Deinde nõ omne thema simplex est res una unico termino significata. Nam si dicam, quomodo Adam est lapsus? est the-

Thema simplex quodnam propriè sit?

est thema simplex; & tamen non est unicus ibi terminus. Has tenebras dispellere conati sumus hâc divisione, quòd thema reale simplex sit vel terminus, vel quæstio simplex. Cæterùm terminus realis simplex nobis finitus est, quòd unâ voce rem aliquam proponat; ubi per vocem unam intelliges tum simpliciter unam, uti est mundus; tum re ipsâ & sensu unam, uti est cœna Domini, vel Maria virgo, vel Abraham patriarcha. Has enim voces Logicus considerat sub uno conceptu; id quod è superioris vocis tractatione jam constare arbitror. Hæc non pugnant cum iis, quæ infrà diximus de definitione, quòd illa non sit conceptus simplex. Nã Logicus in definitione non considerat simplicem illum conceptum, sed ostendit, quomodo definitio sit constituenda ex genere, & differentiâ.

Quæstio simplex est, ad quam non responderi potest ita vel non.

Retineo vulgarem illam quæstionis simplicis definitionem, tanquam receptam, & si rem ipsam consideres, non ineptam. De quæstione simplici est hic canon:

Quæstio simplex quærit de explicatione rei per argumenta Logica.

Itaq; omnis quæstio per *quomdo, quale, quot, quid, quantum, quare, quando, ubi &c.* est simplex. Si enim quæram, quomodo studia sint rectè instituenda, quæro de explicatione hujus rei per suas causas; quibus nimirum causis possimus consequi effectum studiorum nostrorum. Si item quæram, qualis fuerit Alexander Magnus, quęro de explicatione Alexãdri per genus, differentiam, accidentia. Si dicam, quot sunt elementa, non peto cõfirmari verum, vel falsum refutari, sed solicitus sum de explicatione rei per quantitatem. Numerus enim quantitas est. Summa; in quæstione simplici non quæritur, an aliquid sit verum vel falsum, sed quæritur nuda rei alicujus explicatio.

Cap. 12. Thema reale conjunctum.

THema reale conjunctum est, quod proponitur ad probandum seu demonstrandum:

unde eleganter vocari solet exemplum demonstrationis.

Et hoc thema, ut paulò ante monuimus contra receptam Logicorum opinionem, non semper est quæstio: sed nunc simpliciter proponitur sine interrogatione, θετικῶς; ut Ἀνήχειρες non sunt fortes; ventriculus tempore hyberno magis calet quàm æstivo: nunc per modum quæstionis proponitur; ut, an Petrus fuit Episcopus Romæ? an Papa est successor Petri? Præterea hoc thema est difficilius tractatu, quàm simplex. Ratio: quia constat συμπλοκῇ plurium simplicium. Hinc canon:

Tractatio thematis conjuncti, seu compositi, pendet à tractatione thematum simplicium.

Hîc non erit ab re adnotare discrepantem quorundam Logicorum opinionem de quæstione simplici & conjuncta. *Olevian. lib. 1. Dial. cap. 1.* secutus Rodolphum Agricolam, sic definit quæstionem simplicem & compositam. Simplex est, ait, quæ quærit unum de uno: ut Archias qualisnam est? Respondetur, civis Romanus. Ex hâc quæstione & responsione, cùm nudâ ejus intelligentiâ non contenti, ejus veritatem indagamus, fit propositio simplex. Ea similiter est, cùm quæritur, an de re simplici altera res simplex verè affirmetur, aut negetur; ut, an Archias sit civis Romanus? Composita est, cùm quæritur non de rebus simplicibus, sed de sententiis duabus pluribúsve inter se conjunctis, ut de se invicem affirmentur, aut negentur, cujus affirmationis aut negationis veritas inquiritur: ut, an si Archias civis Romanus non sit, nihilominus in numerum civium accersendus sit? Sic Olevianus, cujus sententia non potest consistere, nisi quis illam sic explicare velit, quòd quæstio hæc ultima magis sit composita, quàm secunda illa: ita ut in sensu comparato (ut loquuntur) hæc quæstio sit simplex: an Archias sit civis Romanus? ultima verò illa composita. Verùm malo hîc sequi communem sententiam, quæ quæstionem conjunctam illam esse tenet, ad quam potest responderi ita vel non. Interdum κατ' ἐξοχὴν vocatur *quæstio*: Græcis κρινόμενον, ζητούμενον: Latinis *quæstio controversa*, & *status controversiæ*.

Thema

Thema reale conjunctum, eſt

Primò abſolutum, vel comparatum: deinde purum, vel mixtum.

Abſolutum eſt, in quo unum de altero citra comparationem enunciatur:

Ut, an dantur fatales periodi Rerumpublicarum? an ſunt orbes cœleſtes reales?

Comparatum eſt, in quo unum de altero per comparationem effertur:

Ut, an unicus homo eſt præſtantior toto mundo? an hoc mundi ſeculo præſtat diſcere philoſophiam practicam, quàm theoreticam?

Purum eſt, quod conſtat ex terminis ejusdem diſciplinæ:

Ut, an metalla poſſunt transmutari? an ſubſtantia eſt neceſſaria ad ſuſtentationem accidentium? In illâ quæſtione termini ſunt merè phyſici; in hâc merè logici.

Mixtum eſt, cujus termini ſunt deſumti ex diverſis diſciplinis: *Thema mixtum quodnam ſit?*

Ut, ſi unum thema ſimplex ſit Logicum, alterum Theologicum, unum Phyſicum, alterum Metaphyſicum, aut Theologicum & Phyſicum; aut Theologicum & Juridicum; aut Arithmeticum & Politicum; & ſic deinceps per omnes diſciplinas. exempli gratiâ, an ſubſtantia ſit genus peccati? an homo ſit omnium creaturarum corporearum menſura? an imago Dei fuerit in animâ & corpore ſimul? an Eccleſia ſubſit magiſtratui politico? an quingenteſimus annus ſit fatalis Rebusp. Quòd ſi hujusmodi problemata mixta occurrant, id debemus dare operam, ut utrumque thema ſimplex è propriâ diſciplinâ dijudicemus: quod niſi fiat, errorum uberrima ſurget meſſis in diſputationibus difficilioribus. Hoc imprimis notare debent ſobriæ philoſophiæ ebrii flagellatores; qui ad Kalendas Græcas ſolvent themata mixta, quæ ſunt multa in SS. Theologiâ: ut; Deus non eſt ſpecie unus; corpus Chriſti non eſt accidens τοῦ λόγου; Deus non eſt genus; Deus Pater ab æterno genuit Filium; Decreta Dei ſunt in Deo per vim identificam; Mundus ex nihi-

lo est creatus, non genitus; Mundus est à Deo non per emanationem, ut decreta, sed per effectionem; proprietates divinæ non differunt ab essentiâ, vel à se invicem realiter, sed virtualiter, seu ratione ratiocinatâ, &c. Solent hoc loco thema conjunctum dividere in thesin, & hypothesin. Thesis est thema continens sententiam generalem; ut, moralia sunt præferenda ceremonialibus; lex generalis cedit speciali. Hypothesis est thema continens sententiam singularem: ut David rectè fecit, quòd panes propositionis ederit; Simson occidendo seipsum non peccavit. Verùm hæc divisio non competit soli themati conjuncto. Suprà enim monuimus in genere, quòd omne thema conjunctum sit vel universale, vel singulare.

Cap. 13. Thema aggregatum.

EXpedito themate solitario, expediendum restat aggregatum, *seu socium*; quod ex diversis thematibus est coacervatum.

In oratione, concione, epistolâ, scripto, & omni omninò tractatione non semper est materia unius modi. Sæpe tria, quatuor, vel plura occurrunt themata. Hoc dum fit, thema aggregatum dicitur tractari.

Thema aggregatum est homogeneum, vel heterogeneum.

Homogeneum est, quod constat ex diversis thematibus ejusdem naturæ.

Hoc fit tribus modis: nimirum quando proponuntur varia themata ejusdem

1. *Disciplinæ:* ut, si in aliquâ oratione agam de Deo & operibus ejus; si in scripto aliquo disseram de cœlo, elementis, meteoris & metallis; Si in concione quæram, quâ in re consistat summum hominis bonum? Et, quæ sit via ad summum bonum perveniendi?

2. *Prædicamenti:* ut, si dicam de Angelo & homine; si quæram, an unitas sit numerus? &, an denarius sit numerorum perfectissimus? Si item disseram de ordine œconomico, politico & ecclesiastico.

3. *Spe-*

3. *Speciei:* ut si duo vel plura themata verbalia, vel plura simplicia realia, vel plura conjuncta tractem eâdem operâ. v.g. Si explicem vocabulum Theologiæ & Philosophiæ simul: Si quæram, quid sit Deus,& quænam illius actiones? Si item quæram, an mundus sit ab æterno,& an potuerit aliquid Deo esse coæternum?

Thema heterogeneum est, quod constat ex diversis thematibus diversæ naturæ.


Hoc itidem fit tribus modis; quando scilicet proponuntur themata varia è diversis


1. *Disciplinis:* ut, si in eâdem oratione ostendam ex Theologiâ quæ sint bona opera, & virtutes Deo placentes, & mox ex Ethicis tractem illam quæstionem, an virtutes ethnicorum Deo placuerint?

2. *Prædicamentis:* ut, si dicturus de homine, è categoriâ substantiæ proponam doctrinam de animâ, è categoriâ qualitatis titulum de virtutibus Ethicis, è prædicamento actionis titulum de sensibus.

3. *Speciebus:* seu classibus thematum; ut si misceam tractationem rhematis verbalis cum tractatione reali. v.g. Si explicem vocabulum Deus, & tum descendam ad considerationem essentiæ, proprietatum & operationum.

Satis de themate, quod nobis absolvit librum primum Logices. Hunc campum ut feliciùs decurrere possis, synopsin tabellarem proponemus totius doctrinæ thematicæ, ut eam uno obtutu possis perlustrare:


In Logica sunt
Præcognita, de illius
Naturâ
Studio
cap. 1.
Tractatio; cujus prima pars est thema, cujus
Communes affectiones. cap. 2.
Divisiones; quòd sit
Solitarium
Verbale, seu vox, cujus
Affectiones. cap. 3.
Species. Est
Simplex
Sola quæ divid. ex
Causis. cap. 4.
Effectis. cap. 5.
Subjectis. cap. 6.
Adjunctis. cap. 7.
Collata cum aliis. cap. 8.
Conjuncta. cap. 9.
Reale, cujus
Affectiones. cap. 10.
Divisio. Est
Simplex. cap. 11.
Conjunctum. cap. 12.
Aggregatum. cap. 13.



LOGICORUM LIBER SECUNDUS De ARGUMENTO SIMPLICI COMMUNI.

Cap. I. Argumentum quid sit?

SIc explicatum est thema, deinceps explicandum erit argumentum.

Argumentum est terminus dirigens materiam ex quâ disserendum est: *vulgò* locus inventionis *per catachresin dicitur.*

In hâc definitione perpendemus definitum, genus & differentiam. Definitum est *argumentum*. Hanc vocẽ permulti Peripatetici sugillant, eò quòd apud Ciceronem hoc sensu non occurrat. Etenim Cicero, Quintilianus, Agricola, & alii argumentum definiunt inventum probabile, per quod minus dubium rei dubiæ fides fiat. Verùm illis hanc comparatam volo responsionẽ, libertatẽ philosophis, præsertim Logicis, non esse adimendam, quâ pro exigentiâ ipsius materiæ possint vocabula ampliare, vel restringere, præsertim si πειθανάγκη illos urgeat; id hoc quod in loco fit. Etenim in primo limine Logicus docere debet de themate. Εὔδηλον è libro superiori. Jam velim scire, quid themati possit opponi. Num terminus? Minimè. Nàm & ipsum thema est terminus. Manente itaq; hâc hypothesi, de themate docendũ esse primo loco in Logicis: manet & hæc hypothesis, themati aliquid opponi relativè. Illud est argumentum, ipsis quoque Rhetoribus testibus, qui argumenta dividunt in explicantia seu declarantia, & demonstrantia seu probantia, & amplificantia. Non itaq; moramur rigidos illos Logicos, qui vocem hanc *argumentũ* strictè accipiũt pro ratione probabili fidem faciente rei dubiæ. Genus argumenti fecimus terminũ. Falluntur siquidẽ, qui argumentũ in Logicis faciunt genus generalissimũ. At argumentũ supra se habet terminũ, item in-


Vox argumenti num sit in Logicis ferenda, quatenus accipitur more Raméo?

Argumentum non est genus generalissimũ

SYNOPSIS LIBRI PRIMI DE THEMATE.

In Logica sunt

- Præcognita, de illius
  - Naturâ
  - Studio
  - cap. 1.
- Tractatio; cujus prima pars est thema, cujus
  - Communes affectiones. cap. 2.
  - Divisiones; quòd sit
    - Solitarium
      - Verbale, seu vox, cujus
        - Affectiones. cap. 3.
        - Species. Est
          - Simplex
            - Sola quæ divid. ex
              - Causis. cap. 4.
              - Effectis. cap. 5.
              - Subjectis. cap. 6.
              - Adjunctis. cap. 7.
            - Collata cum aliis. cap. 8.
          - Conjuncta. cap. 9.
      - Reale, cujus
        - Affectiones. cap. 10.
        - Divisio. Est
          - Simplex. cap. 11.
          - Conjunctum. cap. 12.
    - Aggregatum. cap. 13.



LOGICORUM LIBER SECUNDUS

De ARGUMENTO SIMPLICI COMMUNI.

Cap. I. Argumentum quid sit?

SIc explicatum eſt thema, deinceps explicandum erit argumentum.

Argumentum eſt terminus dirigens materiam ex quâ diſſerendum eſt: *vulgò* locus inventionis *per catachreſin dicitur.*

Vox argumenti num ſit in Logicis ferenda, quatenus accipitur more Raméo?

In hâc definitione perpendemus definitum, genus & differentiam. Definitum eſt *argumentum.* Hanc vocẽ permulti Peripatetici ſugillant, eò quòd apud Ciceronem hoc ſenſu non occurrat. Etenim Cicero, Quintilianus, Agricola, & alii argumentum definiunt inventum probabile, per quod minus dubium rei dubiæ fides fiat. Verùm illis hanc comparatam volo reſponſionẽ, libertatẽ philoſophis, præſertim Logicis, non eſſe adimendam, quâ pro exigentiâ ipſius materiæ poſſint vocabula ampliare, vel reſtringere, præſertim ſi πειθανάγκη illos urgeat; id hoc quod in loco fit. Etenim in primo limine Logicus docere debet de themate. Εὔδηλον è libro ſuperiori. Jam velim ſcire, quid themati poſſit opponi. Num terminus? Minimè. Nàm & ipſum thema eſt terminus. Manente itaq; hâc hypotheſi, de themate docendũ eſſe primo loco in Logicis: manet & hæc hypotheſis, themati aliquid opponi relativè. Illud eſt argumentum, ipſis quoque Rhetoribus teſtibus, qui argumenta dividunt in explicantia ſeu declarantia, & demonſtrantia ſeu probantia, & amplificantia. Non itaq; moramur rigidos illos Logicos, qui vocem hanc *argumentũ* ſtrictè accipiũt pro ratione probabili fidem faciente rei dubiæ. Genus argumenti fecimus terminũ. Falluntur ſiquidẽ, qui argumentũ in Logicis faciunt genus generaliſſimũ. At argumentũ ſupra ſe habet terminũ, item in-

Argumentum non eſt genus generaliſſimũ

ſtrumentũ Logicum, item notionem ſecundã. Hic enim eſt ordo. Quid eſt argumentũ? Terminus. Quid terminus? Eſt inſtrumentũ Logicum. Quid eſt inſtrumentũ Logicum? Eſt notio ſecunda. Hîc ὡς ἐν παρόδῳ ridere liceat nonneminẽ ineptum Logicũ, qui contendit, vocem hanc *terminus* in Logicis non eſſe ferendam; eò quòd horrida ſit metaphora. Huic bello diſputatori à nobis factũ eſt ſatis ſuprà *lib.1.c.3.* ab initio. Sequitur differentia in hâc definitione his verbis *dirigens materiam ex quâ diſſerendum eſt.* Duobus modis definiri poteſt argumentum, ut etiam thema. Nam utrumq; refertur vel ad materiam, quam dirigere debet inter diſſerendum, vel ad ſuum relativè oppoſitũ. Illo modo thema definitur, quòd ſit terminus dirigens materiã *de* quâ diſſerendum eſt; & argumentum, quòd ſit terminus dirigens materiam, *ex* quâ diſſerendũ eſt. Hoc modo thema finietur, quod ab argumento arguitur; argumentũ, quod arguit ſuum thema. Priores definitiones tanquam uſui accõmodatiores retinemus. Sic enim primo intuitu patet, quem nobis uſum præſtet utrumq; hoc inſtrumentum. e. g. Vis diſſerere de homine, neceſſum eſt habeas materiam de quâ, & eam probè examines. Hæc eſt ipſe homo, thema tuũ. Jam videas oportet ex quâ materiâ velis hoc thema tractare. Hanc materiam dirigunt argumenta Logica. Προσθήκης ἕνεκα in propoſitâ argumenti definitione excutiamus conſectarium de Synonymo argumenti. Id vulgo eſt locus inventionis. Sed hoc fit καταχρηστικῶς. Propriè enim locus invẽtionis eſt, è quo depromitur argumentum; & argumentum eſt id, quod depromitur è tali loco. Sic enim Cicero: U*t earum rerum,* ait, *quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato & notato loco facilis eſt inventio: ſic cum perveſtigare argumentũ aliquod volumus, locos noſſe debemus.* Itaque licet definire, locum eſſe argumenti ſedem. Si nolis admittere hanc κατάχρησιν, ſic dices, unum idemq; ens Logicum conſiderari poſſe ut argumentum, & locum inventionis. v. g. cauſa in Logicis dici poteſt argumentum, quatenus arguit thema ad diſſerendum propoſitum, tanquã cauſatum. Eadem dici poteſt locus inventionis, quatenus ſub ſe comprehendit circulum, ut ita dicam totius cauſalitatis, hoc eſt, quatenus ſub ſe comprehendit omnes res, quæ ſuſcipere poſſunt rationẽ cauſæ. Idem de reliquis argumentis judi-

tis judicium esto. Observa etiam Ciceronem aliter accipere locos inventionis, aliter Aristotelem. Ciceroni sunt sedes argumentorũ. Aristoteles verò capita illa inventionis, ut causam, effectum &c. vocat *Notas* & *Differentias*: Locos verò appellat *Maximas*, *seu canones*, *seu axiomata*, quæ de notis singulis sunt cognoscẽda. Itaq; secundùm Aristotelem, axiomata pertinentia ad genus, definitionẽ &c. dicenda sunt loci à genere, definitione. At secundùm Ciceronem ipsum genus, aut definitio est locus: ideoq; dicendi sunt loci generis aut definitionis.

Argumenti videbimus communes affectiones & species.

Cap. 2. Argumenti communes affectiones.

COmmunes argumenti affectiones sunt, quæ argumento in genere conveniunt.

Hæc doctrina de communibus argumenti affectionibus magno juventutis malo est à vulgaribus Logicis prætermissa. Nam impossibile est eum rectè uti argumentis, qui illorum proprietates, seu naturam in genere non tenet. Dabimus igitur operam, ut hâc in parte aliquid saltem præstemus, quod sit ex usu.

Communes argumenti affectiones competunt argumẽto, vel ex ipsâ naturæ vi, vel ex diverso usu.

Ex ipsa naturæ vi argumento convenientes affectiones sunt principales, vel minùs principales.

Affectiones principales sunt unitæ, vel disjunctæ.

Hæc divisio lucem accipiet è *lib.1.cap.3.*

Affectiones unitæ sunt, quæ conveniunt omni argumento citra disjunctionem.

Suntq; potentia, relatio, & exæquatio.

Potentia est affectio argumenti, quâ illud aptum natum est, ut arguat.

Hæc eſt palmaria argumenti affectio ut ſit diſpoſitum ſive πεφυκὸς, ut arguat ſuum thema. Arguere autem eſt declarare, demonſtrare & amplificare. Itaque non adferenda ſunt argumenta falſa, non aliena. Non illa: quia ſunt inepta ad probandum. Non iſta: quia ſunt inepta ad declarandum, demonſtrandum ſeu probandum & amplificandum: Illa Græcis dicuntur σοφιστικά; hæc ἀπροσδιόνυσα, ἀλλότρια, γελαστικά. Sophiſticũ eſt hoc argumentũ: Terra movetur; quia omne centrum movetur. Alienum ſeu ridiculũ eſt hoc: Homo eſt diſciplinæ capax; quia cælum vertitur. Equus eſt quadrupes; quia ſedeo in ſcamno. Hujuſmodi argumenta quando adferuntur, dicimus facetè: A baculo ad angulum non valet argumentatio. Atq; hæc eſt prima argumenti affectio, ἐπιτηδειότης illa, & quidem triplex, videlicet potentia explicandi, probandi & amplificandi. Hoc ſingulare eſt & valde utile, ſcire quòd omne argumentum habeat triplicem illam vim. Sed objicis, diverſa & ſimilia duntaxat τοπικῶς & ἀξιωματικῶς, non autem συλλογιστικῶς conſiderari. Reſpond. 1. Diverſa discretivè diſpoſita vim probandi non habent, ſed categoricè diſpoſita habent: ut ſi dicam, Quamvis Ulyſſes non fuerit formoſus, tamen fuit facundus, vel contrà; non poſſum argumentari. At ſi dicam, Ulyſſes non erat formoſus. Atqui erat facundus. Ergò quidam facundus non eſt formoſus: argumẽtatio eſt legitima. 2. Similia probant, ſi non extendantur ultra ſcopum diſſerentis e. g. poſitâ hâc hypotheſi, Solem & Logicam eſſe ſimilia, neceſſariò ſequetur: Si Sol illuminat univerſum mundum, etiã Dialectica illuminabit omnes artes. Item, ſicut binarius ſe habet ad quaternarium, ita ſe habet quaternarius ad octonarium. Sed binarius ſe habet ad quaternarium in proportione duplâ, ſeu bis continetur in quaternario. Ergo & quaternarius ad octonarium ſe habebit in proportione duplâ. Hinc jam fluit canon:

Argumenta ſophiſtica & aliena quæ ſint?

Argumentum omne habet vim explicandi, probandi, & amplificandi.

Græcis vocabulis dices omne argumentum eſſe ἐξηγητικὸν, ἀποδεικτικὸν, αὐξητικόν: ubi latè accipias oportet vocabulũ apodixeωs, ut infrà monebimus in doctrinâ ſyllogiſticâ

Relatio

Relatio est affectio argumenti, quâ argumentum respicit suum thema.

Hæc affectio fluit ex priori. Si enim omne argumentum est affectum ad thema suum arguendum, sanè relatum erit. Hinc canon:

Omnia argumenta sunt relata.

Hunc canonem sic intellige, quòd omnia argumenta mutuam arguendi affectionem inter se habeant; ut, causa arguit effectum, & vicissim; subjectum arguit adjunctum, & vice versâ. Sed nota tropum in hoc canone. Dicimus enim omnia argumenta esse relata, i. e. unum argumentum arguere alterum argumentum, non tanquam argumentum, sed tanquam thema. e. g. Deus creavit mundum. Hîc duo sunt argumenta, Deus & mundus, causa scil. & effectum. Causa si arguat, dicetur propriè argumentum; at si arguatur, propriè dicetur thema, & tropicè argumentum, hoc sensu: causa, quæ suâ naturâ est argumentum seu arguens, jam est thema seu argutum. Præterea scias, duplicem esse relationem. Una est generalis, in ipsis notionibus secundis; altera specialis, in notionibus primis, seu ipsis rebus. Priori modo omnia argumenta sunt relata, quatenus argumenta sunt termini technologici, ad thema arguendum affecti. Posteriori modo non item. Tum enim res ipsæ, quibus affectio argumenti accidit, terminique hi technologici imponuntur, sunt vel absolutæ, ut Deus, mundus: vel relatæ, ut pater, magistratus. Hoc paulò fusiùs ostendere libet. Relata sunt alia secundùm dici, alia secundùm esse. Illa ita sunt relata, ut unum alterius essentiam non constituat, sed duntaxat dicat respectum. Hoc sensu omnia argumenta dicuntur relata, sed dupliciter. 1. Actu: ut Johannes est excellentior prophetâ. Hîc τὸ Johannes arguit tanquam majus; τὸ propheta arguitur tanquam minus. 2. Potentiâ; quatenus nomen & natura argumenti pro dispari ratione affectionis potest permutari: ut induratio passiva ratione differentiæ suæ specificæ est peccatum, ratione peccatorum sequentium est causa efficiens, respectu antecedentium peccatorum est pœna seu effectum, respectu Dei induratio activa itidem est effectum. Sic sapientia & valetudo sunt diversa, quatenus pos-

Relatio est duplex.

ſunt eſſe in uno ſubjecto, videlicet homine: ſed ſunt disparata, quia non poſſunt eſſe in animâ vel corpore ſimul. Ita differunt ſubjectis. Hoc idem cogita de relatione cauſæ ad cauſatum, disſentanei ad disſentaneum, totius ad partes &c. Relata ſecundùm eſſe ſunt, quæ hoc ipſum quod ſunt, aliorum ſunt: ut locator & conductor, maritus & uxor. Hoc ſenſu non dici poſſunt omnia argumenta relata. Cæterùm ex hoc canone fluunt alii duo, quibus totidem affectiones argumenti è relatione quaſi pullulantes, continentur:

1 Omnia argumenta ſunt συνυπάρχοντα, h. e. naturaliter coëxiſtentia.

Συνυπαρξία, h. e. coëxiſtentia naturalis dicitur, quâ fit ut argumenta, quatenus argumenta, ex vi relationis mutuę ſint ſimul naturâ; ideoq; ſe mutuò ponant & tollant. Dico, quatenus argumenta. Nam alioquin una res, argumento denotata, eſt prior alterâ: ut, inter Deum & mundum eſt naturalis coexiſtentia, quatenus relatio attenditur, quæ eſt inter cauſam & effectum. Alioqui Deus, quâ ens abſolutum, eſt prior mundo.

2 Omnia argumenta ſunt æquè nota.

Hoc canone proponitur ὁμογνωσία argumentorum, hoc eſt, æqua & mutua cognitio. Omnia enim argumenta, quatenus ſunt argumenta, ex vi relationis mutuæ, ſunt æquè nota, ſeque mutuò notificant. Hæc enim eſt natura relatorum, ut ſe mutuò ponant & tollant, ut in eſſendo, ſic in cognoſcendo. Retineamus paulò antè allatum exemplum. Deus & mundus ſe mutuò notificant, vi relationis, quæ eſt inter cauſam & effectum. Nam qui novit quid ſit Deus, faciliùs cognoſcere poteſt naturam mundi; & viciſſim mundus nos quaſi manuducit ad cognitionem ſui opificis. Hæc tamen ὁμογνωσία peculiariter tribuitur disſentaneis & comparatis, ut infra ſuis locis disputatum eſt. Nam evidentior eſt ὁμογνωσία inter ſimile & ſimile, quàm inter cauſam & effectum; quia cauſa ſemper eſt notior cauſato, non quidem quatenus argumentum, ſed tamen quatenus ipſius prioritas attenditur.

Exæquatio eſt affectio argumenti, quâ argumentum ſuo themati eſt adæquatum: *de quâ canon:*

Argumen-

Argumentum sit exæquatum suo themati.

Hoc est, ita commensuretur suo themati, ut totam illius naturam aperiat, ita ut nihil in argumento redundet, deficiat nihil: ut, homo est animal rationale; hîç definitio adæquata est suo definito. At si quis addat, τὸ mortale; jam redundat aliquid in definitione. Si quis sic disputet; Ille est bonus Logicus. Q. artificium disserendi tenet, & habet bona vestimenta; aliquid redundat in argumento. Sic, Ille est vir doctus. Q. domi habet instructam bibliothecam. Hoc argumentum non est exæquatum sive commensuratum suo themati. Nam bibliotheca est duntaxat causa instrumentalis, quæ sola nil potest. Hinc jo culariter dicimus: Ad choream ducendam aliquid amplius requiritur, quàm par rubicundorum calceorum.

Affectiones argumenti disjunctæ sunt 1. veritas & falsitas. 2. consensio & dissensio. 3. necessitas & contingentia. 4. absolutio & comparatio.

Omne enim argumentum est verum vel falsum, consentaneum vel dissentaneum, necessarium vel contingens, absolutum vel comparatum.

Veritas est, secundùm quam argumentum reipsâ arguit suum thema: falsitas, secundùm quam arguit suum thema tantùm apparenter.

Veritas argumentorum oritur ex naturâ ipsarum rerum, quæ rationem argumentorum suscipiunt, quatenus nimirum illæ conveniunt cum intellectu divino, si spectes naturalia; vel cum intellectu hominis, si spectes artificialia. Falsitas autem oritur, partim ex apparentiâ rerum, quatenus illæ discrepant à suo archetypo; partim ex opinione & pravo hominum de rebus judicio. Atque hinc est, quòd elenchus seu fallacia materialis detur per omnia argumentorum genera. Dicimus enim, est elenchus falsæ causæ, falsi subjecti &ç.

Veritas & falsitas argumentorum unde pendeat?

Consensio est, secundùm quam argumentum consentit cum themate suo: dissensio, secundùm quam ab eodem dissentit.

Illa est basis affirmationis, hæc negationis. *Libavius in Logic.emendatâ.* Sic effectio mundi non posset de Deo prædicari affirmatè, nisi inter mundi effectionem & Deum esset amica consensio, fundamentum affirmationis existens. Omne ens cum altero consentit, vel ab eodem dissentit. Cùm igitur argumenta sint entia, nimirum rationis, etiam has affectiones transcendentales recipient. Oritur autem ista consensio & dissensio è tribus, nimirum vel ex ipsâ naturâ rerum, quibus accidit ratio arguendi; vel è mutuâ illâ σχέσει, *relatione*, quam paulò antè circumscripsimus; vel ex diverso argumentorum usu in disserendo. Hinc etiam fit, ut omne argumentum, diverso respectu, possit esse consentaneum & dissentaneum, juxta canonem:

Quodlibet argumentum pro diverso respectu diversam naturam, h. e. relationem, induit.

Verbi gratiâ, homo potest habere rationem causæ efficientis, & contrarii, quemadmodum una persona potest sustinere officium consulis & doctoris. Atque hoc est quod dicunt Doctores Logici: Una eademq; res, excepto Deo, per omnia inventionis loca deduci potest. Sic argumenta orta possunt subire comparationis palæstram, depositâ suâ veste, & assumtâ togâ comparatorum. Ita Petrus ut causa, effectum, subjectum &c. considerari potest.

Necessitas est, secundùm quam argumentum suum thema arguit necessariò; contingentia, secundùm quam arguit contingenter.

Hinc *Guil. Ursin. disput.3. Logic.* Argumentum necessarium est, quod cum themate vel necessariò jungitur, vel ab eodem disjungitur necessariò. Sicut res, quæ continentur hujus mundi ambitu, sunt vel necessariæ, vel contingentes: ita & argumenta; ut causam dicimus necessariam vel contingentem, effectum, subjectum &c. necessaria, vel contingentia. De modis necessitatis disserere non est hujus loci. E primâ philosophiâ hoc discas licet. Hîc discas illum canonem:

Nexus unius argumenti cum alio est varius.

Argumenti cum argumento nexus est varius.

Nam quædam argumenta habent inter se nexum 1. contingentem

tingentem & accidentalem, qualis est inter fabrum & opus, studiosum & diligentiam. 2. necessarium, sed tamen non essentialem, ut caput hominis cohæret cum homine, necessariò quidem, at non essentialiter, hoc est, ita ut sit pars essentialis. 3. essentialem & necessarium. Nam omnis nexus essentialis est necessarius, sed non contrà. Talis nexus est inter materiam & materiatum, formam & formatum, subjectum & adjunctum proprium, genus & speciem, definitum & definitionem perfectam. 4. essentialem, & reciprocum: qualis est inter subjectum & adjunctum proprium, differentiam perfectam & speciem, definitum & definitionem, distributum & distributionem. Hîc obiter nota ex Zabarellâ, essentiale esse duplex, constituens essentiam rei, uti est forma; & essentiam rei proximè & immediatè sequens, ut est proprietas. Hinc jam emergit talis scala, in quâ regredimur à principaliori ad minùs principale: nexus reciprocus est arctior quàm essentialis; essentialis est arctior, quàm necessarius; necessarius est arctior quàm contingens; contingens est arctior quàm falsus & sophisticus. **Essentiale est duplex.**

Absolutio est affectio argumenti, secundùm quam argumentum citra comparationem arguit suum thema: comparatio contrà.

Quòd absolutio & comparatio sint affectiones argumentorum, inde patet, quòd comparari possunt inter se omnia argumenta, vel simpliciter considerari. Neque tamen ideò comparata non possunt peculiarem argumentorum classem constituere. Est enim comparatio, ut suprà de relatione diximus, generalis, vel specialis. Generalis est in notionibus secundis, specialis in rebus certis, quæ significantur comparatione speciali Logicâ. Vide infrà locum de comparatis.

Affectiones argumenti minùs principales, sunt proprietas & communitas, affirmatio & negatio, perspicuitas & obscuritas.

Proprietas est, secundùm quam argumentum

arguit unum thema ſolum, *& non aliud*: communitas, ſecundùm quam ita thema ſuum arguit, ut aliis etiam arguendis aptum ſit.

Ita eſt cauſa communis vel propria; finis communis vel proprius; effectum commune vel proprium.

Affirmatio eſt, ſecundùm quam argumentum arguit ſuum thema ponendo aliquid: negatio, ſecundùm quam arguit tollendo.

Affirmatio & negatio duplex.

Vulgò affirmationem & negationem faciunt communes affectiones axiomatis ſeu propoſitionis. Sed hoc verum eſt de affirmatione & negatione complexâ, quæ dicitur compoſitio & diviſio, vel certè reſultat è compoſitione & diviſione terminorum ſimplicium. Hoc autem loco intelligimus affirmationem & negationem incomplexam, ſecundùm quam omne ens dicitur poſitivum, vel negativum.

Sequuntur communes affectiones argumenti, quæ competunt ipſi ex diverſo uſu: ſuntque prædicatio tum ſignata, tum exercita; Prædicabilitas, tum directa, tum indirecta; Coordinatio & ſubordinatio.

Prædicatio ſignata eſt, in quâ ponitur ipſum nomen argumenti:

Prædicatio ſignata & exercita quid?

Ut, homo eſt ſubjectum virtutum & vitiorum; Deus eſt cauſa efficiens mundi; homo negatur de beſtiâ; Deus & Diabolus ſunt adverſa; divitem & doctum eſſe, ſunt diverſa; hominem eſſe humanum, ſunt conjugata.

Prædicatio exercita eſt, in quâ diſponuntur argumenta vocabulis non technologicis:

Ut, homo eſt virtutibus, vel vitiis præditus; DEUS creavit mundum &c. Hujuſmodi prædicationes dicuntur exercitæ; quia in illis id quod in ſignatâ erat involutum, ex ipſis ſignis evolvitur. Hinc dicunt, quòd in præ-

in prædicatione exercitâ signata reipsâ exerceatur, & in actum transferatur, & quasi in lucem proferatur. Hæc prædicationis distinctio profecta est ex Scholâ Scoti; nec est inutilis, sicut vel ex hoc solo canone discere est:

Argumenta prædicationis exercitæ & signatæ non semper sunt ejusdem classis.

Interim tamen prædicatio exercita semper respondet signatæ: ut, Diabolus adversatur Deo: est propositio signata, estque in classe consentaneorum: quia adversari Deo est proprium Diaboli. Æquipollet igitur huic, Deus & Diabolus sunt adversa. At hæc, Diabolus non est Deus, ex dissentaneis disponit adversa, ut vel anniculo Logico apparet. Quid ergò? An Deus & Diabolus in prædicatione signatâ sunt consentanea? Minimè gentium. Nam Dei & Diaboli propria dissentiunt, etiamsi affirmatè dicas: Diabolus adversatur Deo, sive, Deus & Diabolus sunt adversa. Oportet hîc distinguere inter τὸ materialiter, & formaliter. Formaliter, hoc est, ratione dispositionis, Deus & Diabolus sunt consentanea in prædicatione signatâ: nihilosecius sunt dissentanea materialiter considerata in prædicatione exercitâ. Sic vides quomodo argumenta possint esse prædicationis signatæ & exercitæ: quæ est prima affectio argumentis conveniens ex ipso usu.

Prædicabilitas directa est affectio argumenti, secundùm quam argumentum de argumento prædicari potest primariò: indirecta, secundùm quam potest secundariò.

Multis disputari solet de numero prædicabilium, & loco, quem in agro Logico occupare debeant. Sed non opus est operosâ istâ disputatione, si quis attendat, prædicabilitatem esse affectionem omnium argumentorum. Nam prædicari & dici de aliquo, ut & attribui alicui, sunt idem. Cùm ergò omnia argumenta sint subjicibilia & dicibilia, ut loquuntur, etiam prædicabilia censenda e- *Prædicabilium doctrina quomodo tradenda?*

runt. Sed non uno modo prædicantur. Etenim alia ſunt directè prædicabilia, alia indirectè. Directè prædicabilia ſunt quinque; videlicet genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens. De his ſic philoſophantur Logici. Prædicatur aliquid vel in quid, ut genus & ſpecies: vel in quale, idque eſſentiale, accidentale, & medium inter eſſentiale & accidentale. Illo modo differentia prædicatur de ſpecie; iſto accidens de ſubjecto; hoc proprium de ſpecie, & individuis ejusdem ſpeciei. *Zabarell. in tabb. Logic.* Alii ſic hâc eâdem de re diſputant. Res univerſalis de aliis prædicari apta eſt, aut οὐσιωδῶς, *eſſentialiter*, aut ἐπουσιωδῶς, *accidentaliter*. Si eſſentialiter, aut in quæſtione quid, ut genus, quod de pluribus ſpecie differentibus dicitur; & ſpecies, quæ de pluribus numero differentibus, ſeu individuis dicitur: aut in quæſtione quale quid eſt, & dicitur differentia. Sin accidentaliter, aut neceſſariò & inſeparabiter, & dicitur proprium: aut contingenter & ſeparabiliter, & dicitur accidens. Alii dicunt prædicabilia iſta prædicari vel συνωνύμως, *univocè*, ut ſunt genus & ſpecies; vel παρωνύμως, *denominativè*, ut ſunt differentia, proprium, accidens. Atque hæc ſunt directè prædicabilia, ideoque menſura reliquorum argumentorum indirectè prædicabilium. Quòd enim definitio de definito, cauſatum de causâ, partes eſſentiales de toto, & alia argumenta de aliis prædicantur, hoc omne fit propter prædicationem directam. Omne ſiquidem directum eſt menſura indirecti, ideoque hoc ad illud debet reduci. His obſervatis facilè eſt judicare de numero & ſede prædicabilium. De numero: quia diximus tot eſſe prædicabilia, quot argumenta, è quibus vulgo quinque κατ᾽ ἐξοχὴν dicuntur prædicabilia. De ſede: quia oſtendimus prædicabilitatem eſſe affectionem argumentorum: unde hoc πόρισμα fluit, de illâ affectione docendum eſſe ante ſingulas argumentorum ſpecies.

Quinq; prædicabilia κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicta.

Coordinatio eſt affectio argumenti, ſecundùm quam argumentum cum alio collatum eſt ejusdem generis, ſive ordinis: ſubordinatio eſt, ſecundùm quam eſt diverſi ordinis, & ſuperiori ſubjectū.

Si quis unum argumentum cum altero conferat, deprehendet

hendet συστοιχίαν ϗ ὑποστοιχίαν, *coordinationem & ſubordinationem*: unde argumentum aliud eſt coordinatum, aliud ſubordinatum. Coordinatum eſt, quod ejuſdem eſt claſſis: ut ſi quis dicat de cœlo, & adferat cauſam efficientem proximam, item materiam & finem tales. Subordinatum eſt, quod eſt infra ſuum ſuperius: ut ſi quis de cœlo verba facturus, conſideret cauſam efficientem principalem & minùs principalem; materiam proximam & remotam. Hîc enim minùs principale ſubordinatur principali, & proximum remoto.

Cap. 3. Argumenti generales diviſiones.

SEquuntur ſpecies argumenti, quòd nempe ſit ſimplex, vel complexum.

Hæc diviſio fermè neglecta eſt à choro Logicorum, qui exiſtimarunt, omne argumentum eſſe notionem ſimplicem. Sed infrà falſitatis convincemus hanc ſententiam, ubi oſtendemus, definitionem & diſtributionem eſſe argumenta complexa, licet nondum axiomaticè.

Argumentum ſimplex eſt terminus extra omnem diſpoſitionem dirigens materiam ex quâ diſſerendum eſt.

In hâc definitione ſignificanter dicimus, *extra omnem diſpoſitionem*. Nobis enim diſpoſitio Logica eſt quadruplex, topica, axiomatica, ſyllogiſtica & methodica. Topicam agnoſcimus in definitione & diſtributione: quâ de re in libro de definitione agemus copioſiùs. **Diſpoſitio Logica quadruplex.**

Argumentum ſimplex eſt commune, vel proprium.

Illud vulgò argumentum ſimpliciter ſine epitheto, hoc prædicamentum dicitur. Hanc diviſionem his fundamentis fultam contendimus. Scitum eſt, notiones ſecundas verificari in primis: item, notiones ſecundas non evertere primas. Tot igitur ſpecies notionum ſecundarum Logicarum ſimplicium agnoſcere debet Logicus, quot in Metaphyſicâ

traduntur ſpecies primarum. Atqui in Metaphyſicâ traduntur communes entis differentiæ,& ſpecies ejus in prædicamentis. Ergò & totidem ſumma genera notionum ſuarum ſimplicium agnoſcere debet Logicus. Communes entis differentiæ, per quas ipſum primò dividitur, ſunt cauſa & cauſatum,pars & totum &c. His differentiis reſpondent argumenta Logica communia, quæ alii vocant argumenta ſimpliciter. Speciebus entis reſpondent in Logicis argumenta propria,quæ dicuntur prædicamenta. Ecce primæ philoſophiæ & Logicæ quoddam quaſi oſculum! Sed latiùs extendamus illud oſculum. In metaphyſicâ eſt ens, de quo omnia dicuntur,quæ ibi tractantur. Sic in Logicis eſt thema,de quo reliqua enunciantur. Utrumque eſt quaſi centrum, in quo concurrunt omnes lineæ, uti in circulo videre eſt. Ens habet ſua attributa; & diviſiones. Attributa ſunt communes affectiones, quæ etiam in Logicis exprimuntur terminis technologicis. Diviſiones entis palmariæ ſunt duæ: una continet, uti diximus, primas ejus differentias; atque hæ exprimuntur argumentis communibus: altera ens dividit in incomplexum, & complexum. His terminis etiam reſpondent inſtrumenta Logica, quorum alia incomplexa, complexa alia. Ens incomplexum dividitur in ſubſtantiam & accidens. Huic diviſioni ἀναλόγως reſpondet doctrina argumenti proprii. Hæc è ſequentibus manifeſtiora evadent. Duntaxat hîc teneatur, quòd argumenta ſint notiones ſecundæ,contra Petrum Ramum, qui *lib.4.ſchol.Dialect.capit.5.* reprobat numerum categoriarum duplici potiſſimùm nomine, tum quòd enti tantùm, non etiam non-enti competant: tùm quòd meliores entis ſpecies ab ipſo traditæ ſint, nimirum cauſa, effectum, ſubjectum &c. Utrumque ridiculum. Principiò enim entia Logica non debent competere enti & non-enti: Quicquid enim competit malo,ut malo,non poteſt competere bono,quia malum privativè opponitur bono. Cùm igitur entis & non-entis major ſit diſtantia, nimirum contradictoria, multò minùs de uno verum erit, quod de altero verum fuit. Entis eſſe cauſam rectè dixerit Ramus. At non-ens non habet cauſam.Malè itaque locutus eſt Ramus. Sic autem loqui debebat, quòd entia Logica

Oſculum Metaphyſicæ & Logicæ.

Argumenta non ſunt notiones primæ.

Quomodo Logica verſetur circa ens & non ens?

pro

pro suâ generalitate ab artifice Logico possint applicari omni tractationi, sive illa sit de ente, sive de non-ente. Et quidem si de non-entibus contingat disputari, sciat Ramus, intellectum nostrum de iis ratiocinari, non quatenus sunt non-entia, sed quatenus ad naturam entium accedunt. Non-entium siquidem, quâ sunt non-entia, nullus est conceptus, nisi per oppositum suum, quod sunt entia. Deinde falsum est, quod dicit, argumenta Logica esse entis species. Logici enim non est species entis inquirere, sed instrumentorum suorum naturam & usum exquirere; id quod ipse Ramus testatur in *compend. contra Schegk.* ubì negat Logicam tractare res. Si argumenta sunt species entis, jam nihil dicetur de specie, quod non possit particulariter dici de genere. De specie verò, verbi gratiâ, homine, verum est, quòd vivat, quòd disputet. Hinc licet à specie ad genus ascendere particulariter: Ergò etiam quoddam argumentum vivit, disputat. *Arnisæus in Logic. Crellii pag. 63. & seqq.* Interim manet, quòd argumenta sint species entis Logici. Verùm huc Ramus non respexit. Præterea monstri esset similis Logica, si partim de notionibus primis, partim de secundis disputaret. Turpissima hæc est confusio, & philosopho indigna. Objicis, hoc omninò esse factitandum. Aut enim Metaphysica nulla est, aut est aliqua. Si nulla, certè notiones illæ primæ tanquam generalissimæ, causa, effectum, subjectum &ç. in Logicâ, disciplinâ generalissimâ tradendæ fuerint. Si aliqua, illæ notiones duntaxat fuerint in Metaphysicis tradendæ, in Logicis minimè. Respon. Esse Metaphysicam supponimus, & ad posterius objectionis membrum dicimus, distinguendum esse inter rem consideratam & modum considerandi. Res considerata, videlicet causa, causatum, totum, pars &ç. est communis Metaphysicæ & Logicæ. Nam res considerata est velut materia, cujus quidditas est communem esse. Sed modus considerationis, tanquam forma, est alius in Metaphysicâ, alius item in Logicâ. In Metaphysicâ quidem modò commemorati termini sunt protonoëmatici, & considerantur tanquam primæ entis differentiæ. Omne siquidem ens est vel causa, vel effectum &ç. In Logicâ verò iidem termini sunt deu-

In subjecto tractationis materiale à formali est distinguendum.

teronoëmatici, seu technologici, & considerantur quatenus sunt instrumenta benè disserendi, & species argumenti, seu entis Logici. Excipis, unam eandemque esse definitionem causæ &ç. in Metaphysicis & Logicis, & proinde eundem considerationis modum. Respon. Vulgò quidem hoc fit, sed ἀλόγως. Nam causa in Metaphysicis definienda est tanquam notio prima, hoc modo: Causa est, cujus vi causatum est. At in Logicis definiri debet argumentum, quod vi causalitatis suæ thema arguit. Idem de causato, subjecto, adjuncto &ç. judicium esto. Itaque causa prout est rès, Metaphysicæ est jurisdictionis; prout argumentum est, Logicæ. Sic est notio secunda. Ergò argumentum esse, seu arguere, accidit isti notioni primæ, hoc modo. Res est ipsum materiale, quod consideratur extra mentem: v. g. animal. Sed notio est, per quam illa res intelligitur. Hæc notio est prima, vel secunda. Prima est velut imago in speculo, per quam imaginem res ipsa repræsentatur primò & directè. Secunda est, quæ rem repræsentat mediante notione primâ. Itaque notio prima est media inter rem ipsam & notionem secundam, hoc ordine:

Notio est prima vel secunda.

Animal extra mentem — Animal in mente — Genus.

Per genus secundariò intelligo rem, per notionem primam primariò. Itaque notio secunda longiùs abest à re, quàm prima. Scholastici rationes seu notiones istas vocant formalitates, res autem ipsas dicunt materialitates. Hæc ad nostrum institutum applicemus. Video hunc hominem. Concipio illum, tanquam singulare. Hæc est notio prima Metaphysica. Hoc singulare voco individuum. Hæc est notio secunda Logica. Sic dum causam dico, dico notionem primam: dum causam dico argumentum, huic notioni primæ adjungo secundam. Rursùs excipis: At eædem divisiones causæ, causati &ç. occurrunt in Logicis & Metaphysicis. Respon. Modus considerandi itidem est alius. Nam in Metaphysicâ causa dividitur in externam & internam, ut ita ipsius essentia cognoscatur: at in Logicâ causa dividitur in externam & internam, ut ita pateat, quis sit usus illius distributionis in disserendo. Rectè igitur *Molinæus libr.2. Logic.cap.10.* ait: Explicare quid sit causa & quotuplex, est Metaphysici: Logici verò, docere

cere quomodo ſint adminicula cognoſcendi, ſive ſyllogiſmorum media. Sic ille. Summa: Una eademq; diviſio poteſt habere locum in Metaphyſicâ & Logicâ, ſi ibi tradatur protonoëmaticè, hîc deuteronoëmaticè. Logica non debet mutare eſſentiam notionum Metaphyſicarum, ſed accidentalem tantùm conſiderationem illis attribuere. Utrobique igitur conſideratur cauſa, definitur & dividitur, ſed diverſo modo, ut explicavimus. Sed de his ſatis. τὸ γὰρ λίαν ἀκριβὲς ψεῦδος. Nobis id cordi eſt, ut præcepta ex uſu æſtimata ad uſum accommodatè tradamus.

Argumentum ſimplex commune eſt, quod dirigit materiam ex quâ diſſerendum eſt generaliter.

Hoc argumentum reſpondet differentiis entis, quæ ipſæ communes ſunt. Si ergò inveſtigem hominis naturam ex argumento cauſæ vel cauſati, dicor adferre argumentum commune. At ſi cauſam inveſtigem per varia prædicamenta, dicor adferre argumentum proprium & ſingulare.

Eſtque inſitum, vel aſſumtum. *Illud* artificiale, *hoc* inartificiale *aliis dicitur. Illud etiam* inventionis propriæ, *hoc* alienæ *dicitur.*

Inſitum eſt, quod intrinſecè attingit ſuum thema.

Græcis ἔμφυτον. Hoc dicitur artificiale, non quòd plus artis habeat, quàm inartificiale. Utrumque enim invenire artis eſt; & interdum plus artis habet adhibere teſtimonium, quàm argumentum artificiale. Artificiale igitur ſic dicitur, quòd intrinſecè & magis rem attingat. Nam inartificiale non ita propè attingit thema. Hinc argumenta artificialia dici poſſent propiora, inartificialia remotiora; quia majori intervallo diſtant ab arce cauſæ, vel rei capite, ut dicitur. e. g. An Deus poteſt excitare eandem numero carnem? A. Q. eſt omnipotens. Hoc argumentum inſidet quaſi ſubjecto quæſtionis. At ſi dicam: Q. Scriptura hoc teſtatur, non eſt inſitum. Quia Scriptura neque Deum, neq; mundum intrinſecè attingit. Huc facit canon:

Argumentum artificiale quo ſenſu dicatur?

Argumentum artificiale prius est inartificiali.

Hoc enim est remotius, illud propius. Sicut ergò causa per accidens supponit causam per se: sic argumentum inartificiale præsupponit artificiale. Proinde artificiale est efficacius & fortius inartificiali. Utar phrasibus militaribus: argumentum artificiale cominus pugnat, seu rem suam agit, inartificiale eminus. Ergò si velis in disputationis palæstrâ cominus pugnare, adhibe argumentum ἔντεχνον, quod propinquiori facultate arguit, quàm ἄτεχνον.

Estq; primum, vel à primo ortum.

Primum est, quod suam arguendi vim non habet aliunde.

Argumentum primũ quodnã sit?

Primum argumentum non satis plenè definitur, quod aliunde non derivatur; item quòd sit suæ originis. Hâc enim ratione effectum non foret argumentum primum; quippe quod è causis derivatur. Licet autem derivetur ex causis: non tamen derivatam seu communicatam arguendi rationem habet, sed nativam. Objicis: si essentia effecti oritur è causis, etiam arguendi affectio: quia sicuti se res habet in essendo, ita in prædicando. Respon. Ortum argumentum dicitur, quod naturam primi in arguendo imitatur, non autem domesticam vim arguendi habet. Ergò duo consideranda veniunt in argumento orto; derivatio seu ipse ortus, & imitatio seu repræsentatio primi. Prius illud est in effectis, sed alterum non item. Hinc fluit canon:

Argumentum primum est mensura sui orti.

Sicut enim mensuratum æstimatur & judicatur è suâ mensurâ: sic & ortum quoad arguendi affectionem è suo primo, quod impertit illi affectionem arguendi: ut bonus & bonitas sunt conjugata, orta ex effecto formato, & causâ formali. Objicis: Ergò etiam comparata sunt argumenta orta; quia omnis comparatio in aliquo primo consistit: exempli gratiâ, Stultus mutatur ut luna: hîc mutatio est adjunctum, stultus & luna sunt subjectum istius mutationis. Resp. Comparatum fundatur in simplici; non tamen statim ortum est argumentum, ut è modò traditâ primi argumenti definitione constat.

Argumen-

Argumentum primum est simplex, vel comparatum.

Simplex est, quod arguit suum thema citra collationem in aliquo tertio.

Suprà monuimus, comparationem esse duplicem, generalem & specialem. Nihil itaq; absurdi committimus, quando argumenti species constituimus τὸ simplex & comparatum; quia angustiori significatu accipimus hîc, quàm suprà. Sicut enim omnia argumenta relata sunt; & tamen relata sunt peculiaris species argumenti Logici: sic & de comparatis, adeoq; simplicibus argumentis cogitandum est.

Argumentum simplex est consentaneum vel dissentaneum: seu, conjunctum, vel disjunctum.

Consentaneum est, quod vi solius consensionis thema suum arguit: *Seu, Conjunctum est, quod cum themate suo vi argutionis cohæret: seu, quod arguit suum thema vi solius conjunctionis, scil. primæ.*

Quidam carpunt hanc divisionem, quòd non solùm argumenta simplicia sint consentanea, vel dissentanea; sed omnia omninò argumenta. Cum itaque, ajunt illi, hæc divisio argumenti in consentaneum & dissentaneum generi competat, non est tribuenda uni argumenti speciei. Neque est quod dicas, ajunt iidem, consensionem posse considerari generaliter & specialiter: quia nulla specialis consensio dari potest realiter distincta ab illâ generali. Sic philosophantur illi. Sed pace illorum dictum velim; inepta est hæc philosophia. Etenim consentaneum argumentum in specie dicitur, quod vi solius consensionis primæ arguit suum thema. Nam etiam orta esse possunt consentanea; sed ibi est consensio orta. Idem de conjuncto argumento statuatur. Supra igitur definita est consensio generalis, hîc specialis.

Argumentum consentaneum est primarium, vel secundarium. *Illud vocatur consentaneum absolutè, hoc modo quodam.*

Primarium est, quod cum themate suo cohæret principaliter.

Estque causa, & causatum.

Dico causam cum causato cohærere principaliter. Dignior enim est & arctior cohærentia causæ cum causato, & contrà; quàm subjecti cum adjuncto, vel contrà. Illam consensionem non ineptè comparaveris consanguinitatis vinculo, istam affinitatis.

Cap. 4. Causa in genere.

CAusa est argumentũ consentaneum seu conjunctum primarium, quod vi causalitatis arguit thema ut causatum.

Causa unde dicta? Definitum est Latinum, à Græco καίω, καύσω; & ita scribitur simplici S. Hoc modo causa est id, quod urit, hoc est, urget aliquem. Qui cum gemino s scribunt, putant causam dici quasi cavissam, à cavendo. Hoc in loco accipitur pro specie argumenti, cujus esse in arguendo causato consistit. Genus notum est ex antegressis. In differentiâ oportet adnotare vocabulum causalitatis. Est autem hęc nihil aliud quàm ratio causandi, quæ ratione distinguitur ab ipsâ causâ. Causalitas quid sit? Quando igitur occurrit illa definitio: Causa est, cujus vi causatum est: per vim intelligas oportet non accidens causæ, sed ipsius causæ essentiam. Si namque vis illa esset accidens causæ, omnis causa efficeret per accidens ceu medium & instrumentum: quod est contra decreta sapientum, qui statuunt nihil penitus intercedere inter causam & effectum. *Scaliger exercitatione 1. section. 1. & exerc. 307. section. 16.*

Causa consideratur in genere & in specie.

In genere considerantur causæ affectiones unitæ & disjunctæ.

Affectiones unitæ sunt prioritas, & influxus ratio.

Prioritas est, quâ causa est prior causato, juxta canonem:

Causa

Causa prior est causato, ordine naturæ, cognitionis, & dignitatis.

Causa quomodo prior sit causato?

Evolvamus singula. Causa est prior suo causato naturâ, licet simul esse possint tempore, ita ut eo ipso momento, quo incipit causa agere, incipiat etiam effectus: ut Sol elevatus supra horizontem nostrum, eodem momento secum affert diem. Interim Sol est prior naturâ. Est autem prius naturâ, quod sine aliis esse potest, & sine quo alia esse non possunt: prius tempore est, quod ante aliud duravit, uti V. T. fuit prius novo. Omne itaque prius tempore est etiam prius naturâ, sed non contrà: ut architectus est prior tempore suâ architectatione; ergò & naturâ. Sed non omne prius naturâ, est etiam prius tempore. Objicis contra hanc prioritatatem causæ, 1. quòd causa & causatum tanquam relata sint ἅμα φύσει. 2. quòd Pater in sacrosancta Trinitate sit causa Filii, & tamen Filius sit simul cum Patre. Hinc infers: non omnem causam esse priorem causato. Respond. ad 1. Causa causato suo non est prior ratione essentiæ respectivæ, sed ratione entitatis absolutæ & dependentiæ. Ad 2. Pater in divinis non dicitur causa, sed principium Filii; nisi velis dicere causam analogicè consideratam. Quòd autem Pater non possit appellari causa Filii, hæc est causa; quia Patris & Filii essentia est una eademque numero; adeò ut Pater sit in Filio, & Filius in Patre; quam Græci Patres dixerunt ἐνάλληλον ἐμπεριχώρησιν, Latini Patres barbarè, *in se invicem immanentiam*, secundùm illud Nazianzeni: οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι· οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Interim tamen Pater est prior Filio prioritate originis & personalis enumerationis, ut vocant Theologi; quæ prioritas tota est analogica. Deinde causa est cognitione prior suo causato: quia unde aliquid habet ut sit, inde quoque habet ut cognoscatur. Est autem aliquid prius cognitione distinctâ & intellectuali, vel confusâ & sensuali. Illo modo causa est prior causato; hoc modo causatum prius esse dicitur causâ suâ. Denique causa prior est causato suo dignitate. Quod enim dat, præstantius est eo, quod accipit. *Colleg. Conimbric. 2. Phys. cap. 7. quæst. 5. artic. 1.* Atqui omnis

causa confert esse. Nam principia, in quantum talia, non accipiunt, sed dant. *Scalig. exercitat. 12. section. 2.* Intelligenda igitur hîc fuerit præstantia respectu dationis, & ignobilitas respectu acceptionis, non ratione accidentium: hoc est, causa est nobilior effecto, quatenus confert essentiam; effectum est ignobilius ratione dependentiæ: ut calamus præstantior est scripturâ aureâ, non ratione accidentium, quæ effectui inesse vel adesse possunt: sed ratione dependentiæ. Sic pater est filio dignior, licet filius sit doctior, ditior, humanior.

Ratio influxus est, quâ causa concurrit ad producendum causatum: aliâs dicitur ratio concursus.

Ratio influxus est gemina, vel quoad causas, vel quoad causatum.

Dum enim causa importat influxum ad esse causati, non solùm causatum respicit, sed etiam alias causas.

De priori influxu est canon:

Quomodo causæ sint sibi invicem causæ?

Causæ sunt sibi invicem causæ.

Sic efficiens est causa materiæ, ut Deus: materia est causa formæ ex parte, quatenus illam sustentat: forma ex parte est causa materiæ, quatenus illam determinat, perficit, & in certâ entis specie constituit; finis movet prætergressas tres causas. Singulas enim allicit ad officium & pensum. Est itaque propositus canon de mutuâ causarum operâ intelligendus; quòd nimirum altera alteri sit adminiculo in causati productione. Non simpliciter igitur hoc accipias, quasi efficiens sit efficiens materiæ, & materia sit materia efficientis, aut materia sit materia formæ, aut forma sit forma finis; aut finis sit finis formæ: sed mutuum causarum consortium & auxilium intelligas, quo fit ut intra unam activitatis sphæram faciant singulæ officium suum. Itaque

Nulla causa producit sola effectum, sed omnium & singularum conventus requiritur.

Sic efficiens non producit effectum expers materiæ, formæ &

mæ & finis. Quamvis enim Deus ſine materiâ præjacente condiderit hoc univerſum, tamen non produxit immateriale. Etiam Angelis ſua eſt materia, ſcilicet analogica. Facere enim quippiam ſine materiâ, eſt facere ſomnium ſine ſomno. Entia imbecilliora depoſcunt etiam quatuor iſtas cauſas, ut ambulatio. Si ergo hæc languidiora entia ſtare non poſſunt, niſi fulciantur globo omnium cauſarum velut tibicine aliquo, multò minus ſtabunt ſine tali concurſu entia illa graviora.

De poſteriori influxu ſunt hi canones:

1 Qualis cauſa, talis effectus.

Ut Deus eſt bonus, ergo & ipſius creaturæ. Unio duarum naturarum in Chriſto eſt realis, non fictitia. Ergo & communicatio idiomatũ eſt realis, non verbalis. Hæc enim illius effectum eſt. Objicis: At non ſequitur: Deus eſt æternus. Ergo & mundus. Reſp. Non ſtatim neceſſum eſt, ut quæ in cauſam cadunt, etiam cadant in effectum. Deus mundum fecit non æternitate ſua, ſed bonitate, cujus radius cum creatura communicatus eſt; illa verò à priori conſiderata omninò eſt ἀκοινώνητος. Sic architectus eſt ratione præditus, neque tamen ædificium eſt tale. Hîc committeretur fallacia accidentis, ſi à ratione architecti ad rationem operis quis vellet argumentari. Nam architectus per ſe, quatenus eſt architectus, nõ eſt præditus ratione, ſed qua homo. Non autem facit domum, qua homo. Valet itaq; hoc axioma. 1. In cauſis per ſe: ut, homo generat hominem: non per accidens; ut, homo doctus non generat hominem doctum. 2. In cauſis univocis, quando cauſæ ſunt ejusdem generis: ut in generatione hominis videre eſt: non in æquivocis, ut Deus non creavit Deum, ſed creaturam. Si quis ergò præfractè hoc axioma limitatum tanquam illimitatum urgere velit, nihil aget. Non enim quidquid prædicatur de causâ, idem neceſſariò prædicandũ eſt de effecto: quia, ut antè diximus, multa inſunt cauſæ, quæ non inſunt effectui; & multa effectui, quæ non inſunt cauſæ: ut pater eſt cæcus, nec tamen cæcus eſt filius; filius eſt doctus, nec tamen pater eſt doctus; quia utrinque multa inſunt per accidens. Deinde obſervetur vocula *quatenus*. Parens non genuit filium doctorali gradu, vel cæcitate, ſed naturæ ſuæ vi. Alioqui ſi cæcita-

te vel claudicatione filius esset genitus,& ipse cęcus vel claudus foret.

2 Causa uno eodemq́ modo se habens unum eundemq́ producit effectum.

Sic manus eodem modo disposita producit eandem scripturam. At parentes diversâ formâ progenerant liberos: quia causæ illæ procreantes non semper uno eodemq; modo sunt dispositæ; ex quâ variâ dispositione varius effectus. Sol & aër non semper se habent eodẽ modo. Ergo nec idem semper sequitur effectus. Aliâs sic enunciatur hic canon: *Causa eadem producit idem. Item: Causa eadem in quantum est eadem,non producit nisi idem.*

3 Nulla causa prædicatur de causato in casu recto.

Esset enim sic causa genus, & effectum species: id quod ἄτοπον. Dices itaque,mundus est à Deo,non autem mundus est Deus: vestis est à sartore confecta; non autem,vestis est ipse sartor. Sic non rectè dicis, peccatum originis est natura corrupta; cùm sit ipsissima corruptio. Objicis: At genus in casu recto dicitur de specie. Et genus est causa,sive habet se per modum causæ ad species suas: Resp. Genus non est simpliciter causa, sed causæ symbolum. Nulla enim causa habet rationem generis respectu causati. Non efficiens est genus effecti, non materia materiati, non forma formati, nec finis finiti. Si quis ergo dicat,genus esse causam;statues locutionem esse vulgarem, rhetoricam, & exotericam; non accuratam, dialecticam & acroamaticam.

4 Nihil sui ipsius causa est.

Nam causa dicitur causa respectu causati, non ratione sui ipsius; quia sic foret aliquid se ipso prius & posterius: quod absurdum. Alii sic efferunt hunc canonem: *Nihil est in causâ effectivâ erga se ipsum.*

5 Ut sine causâ non est effectus, ita nec sine causâ distinctè cognoscitur.

divulgatum.

Hinc illud πολυθρύλλητον: Scire est rem per causas cognoscere. Et hæc est cognitio à priori: quæ sola censetur perfecta.

6 Causa

6 Causa nihil dare potest effectui, quod ipsa non habet formaliter, vel eminenter.

Sic vinum calefacit: quia est calidum eminenter. At ignis calefacit, quia calidus est formaliter.

Sequuntur affectiones causæ, quæ dicuntur disjunctæ: suntq; generales distinctiones, quæ omnibus in universum causis conveniunt. Tales sunt numero quinq;. Nam omnis causa est 1. Potentiâ vel actu causa. 2. Per se, vel per accidens. 3. Universalis, vel particularis. 4. Prima, vel secunda. 5. Propinqua, vel remota.

De primâ distinctione hi sunt canones:

1 Causæ actu producunt effectum actu, & causæ potentiâ producunt effectum potentiâ. Causa est actu vel potestate.

In omnibus causarum generibus datur potentia & actus. Rectè igitur diximus, quòd omnis causa sit vel potestate, vel actu. Qualis itaque causa, talis erit effectus. Causa actu Græcis dicitur αἴτιον ἐνεργείᾳ: sic artifex est actu efficiens causa domus, quam ædificat, vel ædificavit: argentum, ex quo factum est poculum, est causa materialis actu. Causa potestate Græcis dicitur αἴτιον δυνάμει: ita Deus est causa resurrectionis universalis, si intelligas potentiam activam. At argentum, ex quo potest fieri poculum, est materia potentialis, scilicet potentiâ passivâ.

2 Positâ causâ ponitur effectus, & sublatâ tollitur.

Hoc est, positis causis sufficientibus in actu, effectus ponitur. Ergò non sequitur: habet lupulum & aquam. Ergò & cerevisiam; quia causæ non sunt sufficientes, nec in actu positæ. Nec sequitur: habet par calceorum elegantissimorum. Ergò saltare potest; quia ponitur sola causa instrumentalis. Sicut igitur causa ponitur: ita & effectus. Causa autem ponitur vel actu vel potentiâ. Non itaq; si causa ponitur potentiâ, ponitur effectus actu: quia nulla proportio hîc est. Itaque

Causa actu & effectus actu simul sunt: sed causa potestate & effectus actu non sunt simul.

Diximus etiam in canone, quòd ſublatâ causâ tollatur effectus. Hoc verum eſt, ſi de relatione ipsâ intelligas, non autẽ de rebus ipſis; hoc eſt, effectus tollitur, quoad relationem, quæ ceſſante causâ ceſſat, non quoad rem. Sic ſublatâ relatione tollitur limes, vi relationis; hoc eſt, limes deſinit eſſe limes, ſed non deſinit eſſe res, ſeu ſubſtantia, putà lapis. Poteſt & hæc res pleniùs ſic explicari. Verum eſt poſterius hoc canonis membrum: 1. De efficiente movente: ut, ceſſante ambulante ceſſat ipſa ambulatio; ceſſante ſcribente ceſſat ſcriptio, at ipſa ſcriptura non tollitur; quia hæc non conſiſtit in actione, ſed in opere. Hinc dicimus: *actio ſeu motus eſſentialiter copulatur cum ſuâ causâ.* 2. De materiâ & formâ. Alterutrâ enim ſublatâ tollitur effectus; quia hæ duæ cauſæ eſſentialiter conſtituunt compoſitum. Sublatâ hominis animâ, tollitur ipſe homo; ut & ſublato corpore. Non autem verum eſt 1. De cauſa efficiente, cujus effectum in opere conſiſtit. Non enim ſublato architecto tollitur ædificiũ; nec amoto calamo tollitur ſcriptura. 2. De omni cauſa finali. Sublato enim fine res ipſa manere quandoq; poteſt. Sic conjugii finis eſt procreatio ſobolis, vel, ut divinus ille Plato ait, ut Deo cultores poſt nos relinquamus: nec tamen ſublato vel negato hoc fine ceſſat ipſum conjugium. Ratio: quia poſſunt eſſe alii fines conjugii.

Cauſa eſt per ſe, vel per accidẽs.

Secundò, Omnis cauſa eſt vel per ſe, vel per accidens.

Non opus eſt horum terminorum explicatione; quippe quæ in prima Philoſophia locum habet. Properemus itaque ad canones.

1 Cauſa per accidens eſt reducenda ad cauſam per ſe.

Nam cauſa per accidens, eſt complicata cum aliqua cauſa per ſe. Si itaque aqua calefacit per accidens, aſſignanda erit cauſa per ſe calefaciens, qualis eſt ignis. Hoc fundamento *Franciſcus Valeſius de ſeculari Theolog.* adverſus Epicureos, ſtatuentes mundum ex fortuito atomorum concurſu conflatum eſſe, probat Deum eſſe cauſam mundi per ſe. Hæc enim eſt Epicureorum hypotheſis, quòd concurſus atomorum ſit fortuitus. Hinc infert Valeſius: Ergò illi atomi vel

mi vel ad creaturam aliquam, vel ad Deum reducendi sunt. Si enim causa per accidens revocari debet ad causam aliquam per se; certè illi atomi quoque hoc modo revocari debent. Febris dicitur causa efficiens temperantiæ per accidens. Erit igitur aliqua causa illius per se. Theologi finis per se est, explicare sacram Scripturam, sed per accidens cistam sibi conficere. Sutor per se habet finem sibi propositum, ut suat calceum; sed ut celebret Deum, non per se, sed per accidens intendit, non qua sutor, sed qua homo, vel qua Christianus. Materia muris per se est sperma; sed quisquiliæ navales per accidens. Forma quoque alia est per se, alia per accidens: ut avaritiæ forma per se est ἀνομία illa specialis, per accidens autem est cupiditas auri vel æquivalentis. Sic patet, quòd τὸ per se & per accidens sit communis affectio omnium causarum; licet maximè sit evidens in causa efficiente.

2 *Causa causæ est etiam causa causati.*

Hic canon valet in essentialiter subordinatis: ut tritavus est causa atavi, atavus abavi, abavus proavi, proavus avi, avus patris; pater filii. Sed in causis per accidens subordinatis non procedit. Non enim sequitur: Deus est causa hominis: & homo peccati causa. Ergò & Deus peccati causa existit. Cohæret enim Deus cum homine in productione peccati non per se, non essentialiter, sed per accidens. Nam homo consideratus in essentia & bonitate sua est à Deo; & sic non est causa peccati, sed quatenus à Diabolo seducitur, ejusque suggestionibus est audiens. Deus quidem à theologis nonnullis appellatur causa efficiens peccati per accidens: sed tamen non est causa efficiens peccati. Nam illi intelligunt causam efficientem per accidens, sine qua aliquid effici non potest, neque tamen ipsa concurrit efficaciter ad effectum, sed vel subjectivè, vel adjunctivè se habet ad illud: quo sensu lux, cujus irradiatione scribis, dicitur ab iisdem causa scripturæ per accidens. Itaque cum grano salis accipienda est illa theologorum phrasis.

Tertiò, Omnis causa est vel universalis, vel particularis. Causa est universalis, vel particularis.

Illa quoque generalis, hæc ſpecialis dicitur. Hac de re ſunt canones:

1 Rerum univerſalium cauſæ ſunt univerſales, particularium particulares.

Si in genere quæras, quæ ſit cauſa illuminationis, reſpondebo corpus lucidum: ſi, quæ cauſa hujus illuminationis, in ſpecie reſpondebo, hoc corpus lucidum. Sic anima rationalis conſtituit ſpeciem; ſed hæc anima rationalis conſtituit effectum hoc, Petrum, vel Paulum. Aliâs hic canon ſic effertur: *Cauſa limitata producit effectum limitatum,* hoc eſt, determinatum: ut, homo producit hominem, hic homo hunc hominem. Non ergò valet illud Scoti: Cauſa conſtitutiva ſpeciei, non eſt cauſa conſtitutiva individui: quia cauſa limitata producit effectum limitatum, ut generalis generalem. Sic anima hominis eſt forma; ſed hæc anima hujus hominis forma eſt.

2 Effectus denominatur à causâ particulari.

Sic homo non denominatur à Deo, qui eſt cauſa univerſalis: ſed ab homine, qui reſpectu Dei eſt cauſa particularis.

Quartò, Omnis cauſa eſt prima, vel ſecunda.

Hujus loci eſt ille canon:

In omni cauſarum genere eſt aliquod primum, extremum & ultimum.

Aliâs ſic effertur hic canon: *In nullo cauſarum genere datur progreſſus in infinitum.* Sic Deus eſt prima efficiens: eſt quoque prima aliqua materia: eſt forma prima, ſcilicet generaliſſima illa & ſumma, quæ dicitur entitas ſive eſſentia: eſt denique finis ſummus. Sicut autem datur aliquod ſummum in omni cauſarum genere; ita & datur ultimum. Nullum enim ſummum absq; ultimo dari poteſt. Eſt ergò verbi gratiâ, in productione hominis cauſa aliqua extrema ſeu infima, quæ ſub ſe nullam aliam efficientem habet; eſt materia ultima; eſt forma ultima, quæ dicitur individuifica, ut Platonica, Jacobina; eſt finis ultimus, ſeu infimus. Interdum tamen τὸ ultimum ponitur pro primo: ut finis ultimus dicitur, qui eſt ſummus: barbaris dicitur *finis ultimatus.*

Ad ex-

Ad extremum omnis cauſa eſt vel propinqua, vel remota. *Cauſa eſt propinqua vel remota.*

De hâc diviſione ſunt duo canones notandi.

1 *Poſitâ causâ proximâ in actu, neceſſariò ponitur effectus, & ſublatâ tollitur.*

Sic poſitâ voluntate hominis, tanquam causâ proximâ inebriationis, vel perturbatione ſpirituum animalium in cerebro, quibus ſe miſcent ſpiritus illi vini, ponitur ipſa ebrietas: at non poſito vino, quod eſt cauſa remota, ponitur ſtatim ebrietas. Materia panis propinqua eſt farina; remota eſt frumentum. Solent hîc diſtinguere inter cauſam propinquam, & proximam. Cauſa propinqua eſt, ad quam non illicò ſequitur effectus; quia nempe latior eſt & amplior ſuo effectu: ut pedes ſunt cauſa itionis. Cauſa proxima eſt, quæ immediatè attingit effectum, ita ut inter illam & effectum non ſit alia media: unde cauſa ἄμεσος, συνεκτική, *immediata*, & *cohærens*, dicitur: ut humana natura eſt cauſa riſibilitatis. Sic & cauſam remotam diſtinguunt à remotiſſimâ. Remotiſſima dicitur, quâ non poteſt dari ulterior: unde & extrema, item prima dicitur, ut Deus eſt cauſa hominis. Remota dicitur, quæ minùs diſtat ab effecto: ut remota marmoreæ ſtatuæ materia eſt lapis, remotiſſima eſt terra, proxima eſt marmor.

2 *Cujusque rei non niſi una eſt cauſa, quæ quæſtioni propter quid ſatisfacit.*

Plures quidem unius rei poſſunt eſſe cauſæ, ſed una proxima, & adæquata: ut, ſi quis eat in forū, videndi amici gratiâ, & aliquis roget, quare eat in forum, ille verò reſpondeat, quia animam habeo: affert quidem cauſam, ſed remotā, cùm ſint propiores, ut pedes, cupiditas videndi amici; quæ eſt ſimpliciter proxima, in quâ interrogans acquieſcat oportet. Remota illa non ſatisfacit quærenti; quia eſt effectu amplior, adeoque inadæquata. Nihilominus tamen nulla cauſa remota eſt, quin poſſit eſſe cauſa proxima alicujus effectus: ut anima eſt cauſa remota itionis, ut diximus; ſed eadem eſt cauſa proxima multorum effectuum.

Et hæ ſunt diviſiones generales, quæ cōpetunt omni cau-

ſæ: quas hîc παχυλῶς explicavimus, pleniùs id facturi infrà ad ſingulas ſpecies, ſi nimirum aliquid ſingulare veniat adnotandum ad hanc vel illam diviſionem. Neq; enim ſufficit ſcire quòd omnis cauſa ſit prima, vel ſecunda; remota, vel propinqua: ſed in ſpecie oportet ſcire quid ſit materia, vel efficiens, vel cauſa finalis prima, ſecunda &c.

Cap. 5. Finis.

CAuſa in ſpecie eſt externa, vel interna. *Illa* γενέσεως, *hæc* ὀσίας αἴτιον *dicitur: item illa* extrinſeca, *hæc* intrinſeca *appellatur.*

Diviſio cauſæ in externam & internam probatur. Hanc dichotomiam omnibus numeris abſolutam eſſe contendimus. Etenim cauſa vel extra eſſentiam cauſati manet, vel illam ingreditur. Specifica igitur differentia in hac diviſione dominatur. Hîc duo quæruntur: 1. De numero. 2. De ordine cauſarum. Reſp. ad 1. Quinq; ſunt cauſæ, finis, efficiens, exemplaris, materia & forma. Tot enim ſunt cauſarum genera, quot ſunt quæſtionum ſumma genera. At ſunt quinq; ſumma quæſtionum genera: cujus gratiâ res ſit, ſeu propter quid; unde ſit; ſecundùm quod ſit; ex quâ re ſit; quid ſit, ſeu per quid ſit. Ergo & totidem ſunt cauſarum genera.

Numerus cauſarum. Ariſtoteles prætermiſit exemplarem, quæ eſt quaſi modulus ſeu formula, quam in agendo exprimit artifex; quam Plato, Philoſophorum ille deus, neceſſariam eſſe animadvertit, ut cauſa efficiens hoc potiùs, quàm illud exprimat, quâ de re vide *Metaph. noſt. l. 1. c. 27.* Sed quia in pleriſq; ſyſtematis Logicis video illam prætermitti, illam conſiderabimus tanquam inſtrumentū efficientis, & deinceps in recenſendis cauſis paradigmaticam illam omittemus, contenti quaternario cauſarū numero. Stoici tres duntaxat agnoſcebant cauſas, Deum, materiā, formā. Alii duas ſolùm, efficientem & materiā. Vide *Franc. Pic. Mir. de exam. vanit. gent. c. 10. Sen. epiſt. 63. & 65.* videtur unam ſtatuere generaliſſimā & veram cauſam, Deum. Nam materiam & formā dicit partes rei, & finem ait eſſe ſupervenientē cauſę, non cauſam. Alii aliter hâc de re ſentiunt, ſed nos quaternarium defendimus, quē revocavimus ad dichotomiā.

Ordo cauſarum. Reſp. ad 2. Cauſa externa eſt prior internâ: quia illa ante hanc exercet ſuum cauſandi

actum.

actum. Est igitur ordo productionis talis: Finis, efficiẽs, materia, forma. Sed præter ordinem productionis occurrit etiam ordo dignitatis & originis in causis. Ordo dignitatis hic est: Finis, efficiens, forma, materia. Ordo originis sive existẽtiæ sic habet: Materia, efficiens, forma, finis. Alii sic philosophantur de ordine causarum. Si causę considerentur absolutè extra concursum ad effectus productionẽ, forma principem obtinet locum. Est enim simplicissima causarũ & generalissima. Nam efficiens, materia & finis habẽt formas suas; cùm nihil sit sine formâ, excepto Deo. At si causæ considerentur relatè in concursu ad effectus productionem, tum considerantur vel Theologicè, in classe creationis, ubi finis & efficiens sunt res una, videl. Deus, materia sequitur, ex quâ eductæ, vel in quam inductæ variæ formæ, & ad certos fines destinatæ, ita ut hic ordo sit κυκλοειδής, incipiens à fine, & in fine desinens: vel Physicè in classe generationis, ubi hic ordo, finis, materiâ, efficiens, forma. Nam hîc efficiens præsupponit materiam, tanquam causam in potentiâ, vel tanquam subjectum generationis. Sunt quib. hæc sententia probatur. Forma est prior ratione quidditatis: materia præcedit ratione stabilitatis & vetustatis; quia & stabilior est, & antiquior causâ efficiente in rebus naturalibus: finis ratione motionis metaphysicæ seu tralatitiæ: efficiens ratione motus veri seu physici. Petrus Ramus hoc ordine recenset causas; efficiẽs & materia, forma & finis: quam divisionem defendit Scribonius, & dicit, causam efficientem & materiam esse principia προύχοντα, *ante effectum*: formam & finem esse αἴτια ὁμόχρονα, seu σύγχρονα, *simul cum effectu*. Sed falsa est hypothesis, quòd non omnis causa sit simul cum effectu. Contraria hypothesis est vera. Nam omnis causa, si relationem spectes, est simul naturâ cum effecto. Eamus per exempla: materia in actu simul est cum materiato, forma cum formato, finis cum finito, efficiens cum effecto: ut farina cum pane, anima rationalis cum homine, cum studiis piorũ gloria Dei, cum statuâ statuarius. Nos retinemus ordinẽ productionis, & fini damus primas; tum quia finis ante oẽs alias causas actum causandi exercet, quatenus sui amore efficientem allicit, ut agat in materiã; tum quia Deus, natura, & ars hunc ordinem observant in agendo. Nam finis desiderio efficiens

excitatur, ut ex materiâ per formam producat causatum. Quod verò dicit Aristoteles in Metaphysicis; sicut enim efficiens est principium unde motus est: sic finis causa est, in quâ omnis motus desinit & cessat: id, inquam, non accipi debet de fine intentionis, qui verè causa est, unde causarum causa dicitur: sed de fine executionis, quem accensemus classi effectorum.

Causa externa est, quæ extra causati essentiã est. Estque vel finis, vel efficiens.

Finis est causa, cujus gratiâ finitum est: *Vel, Finis est argumentum, quod vi relationis suæ arguit finitum tanquam thema. Sic definiendus erat finis, & prior definitio relinquenda primo philosopho. Sed quia pauci attingunt τὰ πρῶτα τῆς φιλοσοφίας, oportet definitiones metaphysicas in agrum* Logicum *inferre, sed alio considerationis modo.*

Vocabulum finis sumitur tribus modis.

Vox finis sumitur tribus modis. Largè pro quocunque extremo: quo sensu mortem dicimus finem vitæ. Hinc *Aristot.2.Phys.tex.29.* ait, non omne ultimum seu extremum est finis, sed id solum, quod optimum est. Hic finis aliâs dicitur finis privationis; quò etiam pertinet finis terminationis, uti limes est finis agri. Deinde strictè accipitur pro causâ finali, cujus gratia res est: ut celebratio seu gloria Dei est finis vitæ. Hic dicitur *finis intentionis.* Tertiò strictissimè accipitur pro *fine perfectionis*, ipsâ nimirum fruitione, usu, possessione, & adeptione rei. *Fonsec. 7.Dial.c.22.* Ita domus habitatio est illius finis. Sunt qui distinguunt inter finẽ & causam finalem. Et hi abeunt in tres diversas opiniones, quas vide apud *Keckerm.lib.1.syst.Logic.c.18.* Si quoddã discrimen agnosci debeat. Putamus Zabarellæ sententiã *c. 10. de medio demonstr.* esse veritati consentaneã: quòd finis sit primarii agentis, sed causa finalis agentium secundariorum: ut ambulationis causa finalis est valetudo; sed eadẽ est finis hominis tanquam primarii agentis. Alii inter finem & scopum distinguunt. Illum dicunt, quem causa efficiens proximè intendit; istum, quem remotè præstituit: ut Logicæ finem dicunt esse bene disserere; sed scopum illius ajunt esse adeptionem veritatis.

Finis

Finis alius est per se, alius per accidens.

Finis per se est, ad quem efficiens ordinat media suâ naturâ.

Estque vel cujus, vel cui.

Finis cujus est, quem efficiens intendit assequi: Græcis τέλος οὗ; scilicet ἕνεκα.

De hoc fine sunt sequentes canones.

1 *Finis est omnium causarum prima:*

Scilic. ratione intentionis, & motionis metaphoricę. Nam ratione executionis, seu generationis finis est ultimus. Hinc Thomas: *Finis est primus in intentione, & ultimus in executione.* Et reliqui Scholastici: *Omnis intellectus operativus,* ajunt, *incipit à fine.* Et *Arist. 1. Metaph. cap. 2. Finis est principium operationum.*

2 *Finis exercet triplicem causalitatem respectu scilicet compositi, agentis, & mediorum.*

Respectu cõpositi causalitas finis dicitur τὸ οὗ ἕνεκα. Causalitas respectu agentis consistit in motione metaphoricâ seu metaphysicâ. Causalitas finis respectu mediorum consistit in determinatione mediorum.

3 *Finis movet efficientem ad agendum.*

Omne agens, ait Philosopus *1. Eth. c. 1.* agit propter certũ finem. Sunt autẽ res, quæ agunt propter finẽ in triplici classe. Nam quædã ita agunt, ut cognoscant finem, ut Deus, angelus, homo. Quędam percipiunt finem sub ratione boni, idq; motu phantasiæ, sed non intelligunt finẽ, ut bruta: sic equus movetur ex siti ad aquam obtinendam. Quædã feruntur ad finem, quem nec intelligunt, nec percipiunt, ut omnia inanimata, quæ à Deo tanquam principio externo diriguntur ad finem. Ergò omne agens intẽdit finẽ, vel consilio, vel instinctu naturali, vel ordinatione & directione Dei. Alii sic disputant hâc de re. Motus metaphoricus, qui fini tribuitur, est motus amoris & desiderii. Finis enim bonus est, vel κατ' ἀλήθειαν, vel κατὰ δόξαν; ideoq; appetibilis. Bonũ enim est, quod omnia appetunt. Appetitus ille est vel innatus, vel elicitus. Appetitus innatus competit etiã inanimatis. Elicitus est vel sensitivus, vel intellectivus. Hinc illud axioma: Deus nihil

Rerũ agentium propter finem tres sunt classes.

Appetitus est duplex.

facit frustra. Hoc siquidē est insipientiæ & temeritatis. Objicis, homo ab ortu cęcus est, in quo facultas visiva frustra est: sic in muto est frustra loquendi facultas; quia non deducitur in actum. Resp. 1. Visiva illa facultas non est frustra respectu Dei, licet videatur frustra nostri respectu. Sic nec peccata, nec monstra, ἁμαρτήματα naturæ, sunt frustra. Nam Deus nihil agit per accidens, nihil fortuito. 2. Zabarella dicit, in naturâ esse vel fieri aliquid frustra, si spectes causas particulares, quę possunt impediri: at non respectu causarum universalium.

4 *Finis per se & suâ naturâ est bonus, & boni.*

Vulgò dicunt, *finis & bonum convertuntur*. Sed hoc verū est de summo bono, & summo fine, quæ inter se convertuntur & reciprocantur. De fine in genere non est accipiendum illud axioma. Nam licet omnis finis sit bonus, non tamen omne bonū est finis. Ratio: quia etiā media dicuntur esse bona. Nam actio bona non solùm requirit intentionem bonā, sed etiam bonitatem mediorum, quod notetur contra Pontificios bonam intentionem ad ravim usq; crepantes, & tanquā Gorgonis caput nobis objiciētes. Cæterùm finis omnis est bonus vel ὄντως, vel φαινομένως. Sic qui furatur, hunc sibi proponit finem, res suas ut amplificet: qui finis est bonus alicui, seu juxta opinionē illius, qui furatur. Hinc Philosophus: τέλος ἐστὶ τὸ κατὰ τὴν οὐσίαν ἑκάστου ἀγαθὸν, *finis est bonum secundùm cujusq; naturam*. Malum itaque formaliter sumtum non habet finem, ut neque causam efficientem. Sed utramque habet fundamentaliter sumtum. Interim finis apparenter bonus per se est malus: licet non sit malus in quantum finis. Hinc illud vulgatum: *Tales sunt res, quales illarum fines*. Si finis sit bonus, res censentur bonæ. Et hinc est, quòd fines discriminent actiones. At hoc pugnare videtur cum canone. Respond. 1. Finis bonus in speciem, est malus revera. 2. Media ordinantur ad finem vel per se, vel per accidens. Per se ad finem ordinantur illa media, sine quibus finis obtineri nequit: ut est virtus respectu beatitudinis. Per accidens ad finem ordinantur illa media, sine quibus finis comparari potest. Non igitur sequitur: Sanitas est bona. Ergò & inebriatio. Neque hoc sequitur: Inebriatio est mala. Ergò & sanitas. Nam inebriatio est medium sanitatis per accidens. Contrà valet: Eruditio est bona. Ergò & ipsæ

literæ.

literæ. Objicis: Suspensio furis est bona, neque tamen furtum bonum est. Respond. Suspensio illa non est finis, neque furtum est medium respectu suspensionis, sed est causa impulsiva.

5 *Finis dat mediis mensuram.*

Hæc est illa causalitas, quam diximus finem exercere respectu mediorum, quòd nimirum illa determinat. Aliâs sic effertur hic canon: *Media accipiunt ordinem, amabilitatem & mensuram à fine.* Sic verbi gratiâ, sanitas remediis conciliat certam δόσιν & modum. Itaque medicus fine diligenter inspecto sua remedia mensurat, ut ne peccent in excessu vel defectu. Remedia quoque utut amara, amabilia evadunt decumbenti, si finem cogitet. Itaque

1 *Finis reliquarum causarum est mensura.*

Nam efficiens cæco impetu feretur, nisi fine tanquam freno cohibeatur, vel tanquam normâ dirigatur.

2 *Finibus distinguuntur disciplinæ.*

Hoc est præclarum πόρισμα, quod fluit è quinto canone. Si enim finis conciliat mediis ordinem, amabilitatem & mensuram: profectò idem ostēdet, quid in quaq; disciplinâ sit propriū, quid alienum. Ex hoc igitur consectario judiciū fieri potest de preceptis domesticis & peregrinis in qualibet disciplinâ. e.g. Logicæ finis est, tradere modum bene disserēdi. Ex hoc fine judicātur omnia & singula præcepta, Síntne legitima an spuria. Nam omnium & singulorum præceptorum particulares fines conspirabunt ad finem totius, sicut in homine fines particulares singulorum membrorum conspirant ad finem totalem, & ut in circulo omnes lineæ conveniunt in centro. Nihilominus tamen verum est, quòd finis partium non sit finis totius, & contrà finis totius non sit finis partium. Sic finis oculi est videre, sed hominis, Deum celebrare. Et tamen iste finis particularis conducit ad finem totalem, eumque pro mensurâ agnoscit. Idem cogita de fine totali disciplinæ, & patriculari cujusque præcepti. Hinc refutantur illi, qui syllogismum faciunt finem universæ Logicæ: cùm iste sit finis patrialis. Manet ergò quod diximus, finem constituere differentiam in disciplinis. Cete-

Syllogismus non est finis Logicæ universæ.

rũ desumptus est canon *ex 2. de cælo. t. 74.* ubi philosoph' ait: Quod determinatur, est medium; quod determinat, est finis.

6 Finis ad rem, cujus est causa, essentialem habet respectum.

Zabarella de motu ignis. cap. 9. Sed huic obstare videtur, quòd finis sit extra rem æquè atque causa efficiens. Resp. Nihilominus ambæ illæ causæ habent essentialem respectum ad rem illam, cujus sunt causæ. Finis dicitur essentialis respectu perfectionis: efficiens respectu productionis: materia & forma respectu constitutionis. Notes igitur, essentiale dici tribus modis. 1. Est essentiale constituens rem, ut materia & forma. 2. Est essentiale rem constitutam immediatè sequens, ut umbra corpus; sic propria dicuntur essentialia. 3. Est essentiale, quod essentialem respectum habet ad suum correlatum. Hoc modo finis & efficiens dicuntur causæ essentiales. Itaque

Essentiale tribus modis dicitur.

1 Finis potest ingredi quandoq; essendi rationem.

Tum nimirum, quando cum formâ coincidit, seu vicem formæ sustinet. *Scal. ex. 307. s. 27.* intellige essentiam respectivam, non absolutam. *Zabar. 3. de meth. c. 28.* Hic finis dicitur formalis, & forma finalis à quibusdam. Hoc autem fit, cùm finis definitionem ingreditur, & pro ipsâ formâ capitur, quę nobis est obscurissima. Fit, inquam, hoc in institutis divinis & humanis, quorum definitio dari non potest sine fine: uti sunt scriptura sacra, Sacramentum, testamentum, limes &c.

2 Finis est rei, cujus est, perfectio.

Perfectio est duplex.

Perfectio est duplex, essentialis, quæ formæ adscribitur; & accidentalis, quæ fini, & aliis etiam accidentibus. Perficit ergo finis non essentialiter, sed accidentaliter. Hæc non pugnant cum canone sexto, neque cum consectario antegresso. Nam finis dicitur 1. habere respectum essentialem tertio modo, non primo: qui modus si conferatur cum primo, videri possit accidẽtalis 2. ingredi rationem essendi καθ' ἡμᾶς: quatenus nos non possumus formã à fine distinguere, quæ est nostra ἀγχιβληψία. Cæterũ perfectio, quæ à fine est, si in actione consistat, in eo residet, cujus est actio: sin in passione, ab eo transit in illud, cujus est passio. v. g. si finis itineris mei sit, videre familiã, visio activa me perficit: si verò finis

itineris

itineris ſit, ut familia à me videatur, viſio paſſiva recipitur in familiam, eamque perficit. Ita finis hominis pii conſiſtit potiùs in celebratione Dei activâ, quàm paſſivâ, hoc eſt, finis ejus eſt, ut celebret Deum, non propriè ut Deus celebretur. Si enim hic eſſet κυϱιολέκτως finis hominis pii, ut Deus celebraretur, finis perfectio transiret in Deum. Eſt ergo λογικώτεϱον, ſi dicamus; finem hominis pii eſſe, ut Deum celebret. Sic enim ſignificamus perfectionem finis transire in hominem. Itaque cauto opus eſt, ne finem temerè ſtatuamus in actione, vel paſſione.

7 Finis, quâ finis, prior eſt & nobilior medi is ſeu deſtinatis ad finem.

Hoc argumento Chriſtus diſputat apud *Marcum c.2. v.27.* ſabbathum eſſe inſtitutum propter hominem, ideoq; hominem eſſe ſabbatho præſtantiorem. Sic *1.Cor.11.* mulier dicitur eſſe propter virum, unde præſtantia viri colligitur. Objicis, angelos eſſe propter electum hominē, *Heb.1.* & tamen hunc illis non eſſe præſtantiorē. Reſp. In angelis conſiderare oportet eſſentiam & officium. Ratione eſſentiæ ſunt nobiliores, non autem ratione officii. Sic poculum aureum eſt præſtantius vino, vel vini adſervatione, quâ res eſt; ſed non quâ eſt medium ſeu deſtinatum ad vini adſervationem.

8 Finis non cadit in deliberationem.

Ratio: quia finis eſt bonus. Nemo autem deliberat, num ſibi velit bene eſſe. Media verò, quæ ſunt ante finem, quantumvis bona, cadunt ſub deliberationem. Aut enim non ſatis liquet illorum bonitas, aut dubitatur utrius medii bonitas ſit major: exempli gratiâ, finis belli eſt victoria, de qua nunquam fit conſultatio, an ſit quærenda: ſed de mediis ultro citroque ſuſcipitur deliberatio. Ita medicus non conſultat de fine, neque ſtudioſus de eruditione: ſed uterque habet delectum mediorum.

9 Poſito fine, ponuntur omnia media ad finem; & ſublato fine tolluntur media.

Alii ſic enuntiāt hunc canonem: *Ceſſante fine ceſſat & id, quod propter finem fuit inſtitutum.* Item: *Si finis eſt, deſtinatū erit, ſeu media ad finem.* Hîc quæritur, quomodo media tollantur ſublato fine? Reſp. Non quoad rem, ſed quoad relationem. Itaque

Qui destinat ad finem, destinat ad media.

Seu, qui vult finem, vult media: Item, qui vult cõsequens, idem vult antecedens: ut, vult conjugium florens; quia vult sobolem. Sic quos Deus destinavit ad finem hunc, vitam videl. æternam, eosdem destinavit ad fidem & bona opera. Si parens filium destinavit ad capessendum eruditionem, etiam debet destinare ad media. Et vice versâ: qui vult media, vult finem: ut, mercator vult navigationem. Ergò & lucrum. Et qui non vult finem, idem nec vult media: & qui non vult media, idem neque vult finem. Interim hîc distinguas inter appetitum ordinatum & confusum; item inter appetitum per se & per accidens, ut Sophistæ nexum declines. Nec enim procedit: studiosus ille vult eruditionem, neque tamen vult diligenter incumbere literis. Ergò non omnis qui vult finem, idem quoq; vult media. Ille enim appetitus est confusus, quo studiosus finem vult consequi, præteritis mediis. Sic finis peccati ex parte Dei est illustratio gloriæ divinæ; nec tamen valet canon: qui vult finem, vult media. Deus enim non vult seu non appetit peccatum, non destinat ad illud per se, sed per accidens; ut infrà pluribus dicemus. Observa τὸ per accidens construendum esse cum *peccato*, non cum voce *destinat*. Nam Deus est causa agens consilio. Ergò per se.

Appetitus distinctio duplex.

10 Propter quod unumquodq; tale est, id magis tale est.

Hic canon indiget duplici limitatione. Verus scilicet est, si 1. affectio illa, secundùm quam res duæ conferuntur, utriq; insit. 2. & attributio ista recipiat magis & minus, h.e. admittat intensionem & remissionem. Sed lubet ire per exempla. Pater amat præceptorem propter filium. Ergò filium magis amat. Valet argumentum: 1. Q. ista amatio convenire potest & filio & præceptori. 2. Q. ista amatio recipit intensionem & remissionem. Alii sic proferunt hunc canonem: Qui appetit media, multò magis appetit finem. Nam finis est amabilior & appetibilior mediis. Quæris, cur non sit consequens: Filius est homo propter parentes. Ergò parentes sunt magis homines? Resp. quia attributio illa, hominem esse, non recipit magis & minùs. Substantia enim non recipit μᾶλλον καὶ ἧττον. Quæris porrò, cur non valeat hæc argumentatio: Deus approbat pœnam propter peccatum, Ergò mul-

gò multò magis peccatum. Resp. Quia pœna & peccatum se non habent ut mediũ & finis. Est enim fallacia homonymiæ in voce *propter*. Sic nec hoc valet: Homo est ebrius propter vinum, E. vinum magis est ebrium. Nam ebrius & vinum se non habent ut medium & finis. Scotus quidem pronunciat hoc axioma valere in omni causarum genere: sed falsus est. Valet enim præcipuè in causâ finali: & interdum etiam in causâ efficiente: quippe credimus conclusioni propter præmissas. Ergò præmissis magis credimus.

11 *Unius rei non est nisi unus finis.*

Scil. adæquatus, internus, ultimus, totalis, principalis, & per se. Intellige igitur canonem de eodem genere finium. Alioquin in diversis finium generibus potest res habere plures fines, ut finem cui & cujus, formalem & objectivum, principalem & accessorium, per se & per accidens. Et potest res habere multos fines particulares: quia multi fines particulares ad unum communem rediguntur. Sic jurisprudentia præscribit leges, ut honestè vivatur, nemo lædatur, suum cuique tribuatur; qui sunt fines particulares, & continentur ab uno, qui est beatitudo politica. Possunt ergò multi unius rei fines esse, sed gradibus differentes, ita ut unus sit summus vel principalis, reliqui intermedii seu subordinati, vel etiam coordinati.

Finis cujus, est primò internus, vel externus.

Finis internus est, qui in re, cujus est finis, continetur:

Ut artis architectonicæ finis internus est ipsa domus. Hunc finem efficiens expetit propter externum: ut, discimus literas, ut doctrinam adsequamur; doctrinam adsequi cupimus, ut honorem, opes, & similia consequamur. Sic syllogismus est finis partialis internus Logicæ. At syllogismum expetimus, ut eo ceu instrumento veritatem investigemus. Veritas igitur est Logicæ finis externus.

Finis externus est, qui est extra rem, cujus finis est:

Sic artis ædificatoriæ finis externus est habitatio domus:

hominis finis externus eſt Deus. Hîc oritur dubium, quâ nimirum ratione finis dividatur in externum & internum, cùm ſuprà non ſemel dixerimus, finem eſſe cauſam externam. Hoc dubium oritur ex ignoratione homonymiæ, quæ eſt in vocabulis *externus* & *internus*. Nam finis internus ſic dicitur, non quòd eſſentiam finiti ingrediatur, ſed quòd ab eſſentiâ finiti proficiſcatur, ſeu quòd intra facultatem cauſæ efficientis ſit poſitus.

Finis quomodo ſit internus & externus.

De hâc diviſione ſunt canones.

1 *In fine interno deſinit operatio rei.*

Sic artis architectonicæ finis internus eſt domus, quam cùm abſolvit architectus, acquieſcit.

2 *Finem externum cauſa efficiens non ſemper aſſequitur.*

Reſpicit quidem etiam hunc in operatione ſuâ: ſed quia eſt extra rem vel artem, non ſemper eum conſequi poteſt: ut architecti finis externus, quem in ædificii extructione reſpicit, eſt habitatio domus; quam ſæpiſſimè non adſequitur.

Secundò finis cujus, eſt totalis, vel partialis.

Totalis eſt, qui toti finito adæquatus eſt: *unde & adæquatus dicitur.*

Nam cum re totâ, cujus finis eſt, reciprocatur: ut Rhetoricæ finis totalis ſeu adæquatus eſt tradere modum ornatè dicendi.

Partialis eſt, qui toti finito eſt inadæquatus: *unde etiam* inadæquatus *dicitur.*

Nam cum totâ re, cujus finis eſt, non reciprocatur: ut cùm dico finem Rhetorices eſſe tradere modum pronunciandi ornatè. Hic enim finis eſt partis duntaxat, non totius.

De hâc diviſione eſt canon:

Finis partium non eſt finis totius; ad totius tamen finem collineat. Itaque

Finis partis non tollit finem totius, & contrà: ſeu, finis proprius non tollit communem, & contrà. Sic finis pedis proprius, itio, non tollit finem communem totius hominis pii, qui eſt gloria Dei & ſalus ipſius hominis pii.

Ter-

Tertiò finis cujus, est principalis, vel minùs principalis.

Principalis est, cujus gratiâ finitum primariò est.

Estque ultimus, vel intermedius.

Ultimus est, ad quem reliqui fines ordinantur. *Itaq; ex fine ultimo æstimantur secundarii.*

Estque vel simpliciter, vel secundùm quid ultimus.

Finis simpliciter ultimus est, in quo omnes res acquiescunt. *Dicitur etiam* finis summus, universalis, perfectus, simpliciter architectonicus, primus, extremus omnium.

De hoc fine sunt hi canones.

1 *Finis summus est necessarius.*

Necessitas est duplex, immutabilitatis & coactionis. Priori modo finis summus dicitur necessarius. Nam fieri nequit, ut id, cujus gratiâ fiunt omnia, in infinitum progrediatur: ut est *2. Metaph. cap. 2.* **Necessitas duplex.**

2 *Finis summus nonnisi unus est.*

Aliâs esset contradictio, si essent plures summi fines. Sicut enim duo infinita sunt ἀσύστατα: sic & duo simpliciter summa. Id enim quod simpliciter summum est, infinitum censetur. Et si essent multi summi fines, quidam ex illis essent frustra. Itaque

Finis summus non habet alium sibi æqualem, vel superiorem.

3 *Finis summus est optimus & perfectissimus.*

Ratio: quia finis suâ naturâ est bonus. Ergò finis summus summè bonus est. Jam quod summè bonum est, id perfectissimum est. Nam perfectio commensuratur bonitati. Ergò quod in gradu excellenti bonum, idem in gradu excellenti perfectum. Itaque

1 *Finis summus est summè movens.*

Ratio: quia bonum omne est appetibile. Ergò quod summè bonum, idem summè erit appetibile.

II. Omnes fines intermedii accipiunt perfectionem à summo.

Nam omne dependens accipit ab eo, quod est independens; non contrà.

III. Finis summus maximè perficit tam agentem, quàm actionem.

Ratio: quia finis ille est κέρας ἀμαλθείας. Hinc patet, veram virtutem non esse, quæ non accipit perfectionem à summo fine, qui est gloria Dei.

IV. Omnis finis extra summum, est indigentiæ & imperfectionis.

Omne siquidem secundum indiget primi, omne finitum infiniti.

V. Ex fine ultimo æstimantur secundarii.

Nam omne imperfectum reducitur ad perfectum tanquam mensuram. Si longiùs à perfecto distet, imperfectius censetur; si proximius sit perfecto, perfectius habetur: ut Angelus perfectior est homine, quia proximior est Deo, fonti perfectionis perenni.

Hæc sunt quinque porismata canonis tertii, jam sequitur canon quartus de summo fine.

4 Summus finis & summa causa efficiens sunt res una:

Videl. Deus gloriosus in secula. Primus sive summus finis est, ait *Olevianus lib. 1. Dial. cap. 5.* quem efficiens primum & propter se ipsum expetit. Prima causa agit propter semet ipsam, hoc est, ad suam ipsius gloriam. Salomon *Proverb. 16.* ait: Omnia condidit Deus propter semetipsum, hoc est, ad suam gloriam. Hic finis ut in mente divinâ primus fuit, antequam rebus omnibus essentiam daret: ita etiam vult in causis secundis primum esse. Ideò Christus, æterna illa Patris sapientia primam hanc petitionem ponit in divinissimâ illâ, quam nos docuit, oratione: *Sanctificetur nomen tuum:* quia vult primos motus cordis nostri ad glorificandum ipsius nomen ferri, sepositâ consideratione nostræ

nostræ utilitatis. Quapropter ad hunc finem, gloriam nempe Dei, omnes omninò totius universi res tendunt. Hinc Paulus *1. Cor. 10. Sive edatis, sive bibatis, omnia ad Dei gloriam facite.* q. d. hic finis semper esto finis.

5 *Finis summus est reipsâ unus, modo tantùm geminus.*

Suprà disputavimus, finem summum esse unum duntaxat. Nam quia finis summus semper debet esse finis, & nunquam medium, necessum est ut sit unus. Si enim duo essent summi, aut unus ad alterum referretur; aut intermedii ad alterum referrentur omnes, ad alterum non; aut quidam intermedii ad hunc, quidam ad illum referrentur: quæ singula pugnant cum naturâ finis summi. Manet igitur, finem summum re esse unum, sive essentiâ & definitione. Modalis autem distinctio nihil derogat huic unitati. Rectè igitur schola docet, summum finem esse vel objectivum, vel formalem. Objectivus est res ipsa, quæ possidetur; formalis est actio, quâ res possidetur. Illo modo summus hominis electi finis est gloria Dei, quæ manet extra hominē: hoc modo summus hominis electi finis est visio Dei beatifica, quæ in hâc vitâ est inchoata (hîc n. est status viæ) in alterâ (hîc erit status patriæ) erit consummata. Visio illa Dei tanquam semper-patris & patroni nō est theorica, sed practica: quia hujusmodi contemplatio perficit intellectum hominis practicum. Sic ergò statuamus, quòd summū hominis electi bonū sit vel objectivum, Deus, seu gloria Dei: vel formale, contemplatio Dei, quæ sit perfectio intellectus practici. Hoc etiā vidit philosophus, quando *10. Eth. c. 7. 8. & 11. Met. c. 7.* scripsit, contemplationem, quæ est hominis finis & felicitas, tum demū esse perfectam, cùm versatur circa ens præstantissimum, Deū videl. qui non sine causâ à quibusdā vocatur *primū cognitum.*

Summus finis quomodo admittat distributionem.

Finis ultimus secundùm quid est, qui in certo rerum ordine est ultimus:

Ut perfectio hominis est finis extremus omnium disciplinarum, victoria & pax est finis ultimus belli: sic beatitudo in Ethicis. De hoc fine est canon:

Finis hic est adæquatus & reciprocus cum eo, cujus est finis. Itaque

Hic finis in accidentium definitione sumitur.

Finis intermedius est, qui ad ultimum refertur:

Aliâs subordinatus & subalternus dicitur. Sic militis finis est strenuè pugnare; medici præscribere quæ ad sanitatem faciant. Hic finis sæpè vocatur *officium causæ efficientis*.

Estq; vel opus, vel operis fruitio.

Hâc divisione utitur philosophus *1. Ethic.* ab initio, ubi distinguit fines in ἐνεργείας & in ἔργα.

Opus est res facta à naturâ vel artifice:

Quæ Græcis dicitur ἀποτέλεσμα: ita calceus est finis sutoris, domus ædificantis.

Operis fruitio est ipsa usurpatio: *quæ propriè loquendo est effectus causæ finalis: aliâs dicitur* operis finitio:

Ut, hominis pii finis hoc modo est celebratio nominis divini, calcei finis est munitio pedis. Hic finis consistit in ipsâ operatione, ut hominis pii finis est contemplatio Dei: vel in quiete & cessatione ab operatione, ut videre est in corporibus gravibus in loco suo quiescentibus.

Finis minùs principalis sequitur, qui ad finitum secundariò refertur.

Scholasticis dicitur *finis operantis*, quia non tam ex naturâ rei, quàm ex destinatione operantis intenditur, hoc est, ex illâ utentis & indigentis; item dicitur *usus rei*; cùm contrà finis principalis dicatur *finis operis*, & ἁπλῶς finis. Sic finis principalis Eucharistiæ est recordatio Christi: minùs principales sunt varii, exercitium pœnitentiæ, distinctio ecclesiæ à profanis, item ut sit vinculum charitatis. Hi enim fines non sunt tam cœnæ, quàm cœnâ utentium.

De hoc fine est canon:

Finis principalis non tollit accessorium. Itaq;

A positione finis principalis ad remotionem finium minùs principalium non valet consequentia.

Tantum de fine cujus: nunc de fine cui, qui est id, cui finis cujus intenditur:

Græcis τέλος ᾧ. Hic finis est secundariò dictus, sicut finis cujus primariò ita dicitur.

Finis cui est, vel imperfectionis, vel perfectionis.

Finis imperfectionis est, qui eget destinatis, iisq; perficitur: *unde* & finis indigentiæ *dicitur*.

Ita finis cui sanitatis est ægrotus; cœnæ dominicæ homo fidelis; Logicæ intellectus humanus; rerum naturalium homo.

Ejus canon est:

Finis cui, debet esse capax finis & ex destinatione efficientis, & naturâ suâ.

Sic reprobi non sunt finis *cui* passionis Christi; quia his nec à principali efficiente ea destinatur, nec ipsi sunt ejus capaces. Electi autem sunt ejus capaces & ex destinatione Dei, & ex naturâ regenitâ, quatenus per Christum fide donantur.

Finis cui perfectionis est, à quo efficiens recipit perfectionē: *vocatur Scholasticis* finis assimilationis.

Sic omnia dicuntur condita propter Deum, cui omnia cupiunt assimilari, & ab eo perfici. Sicut igitur finis indigentiæ eget destinatis: ita fine perfectionis indigent destinata.

Hactenus de fine per se: sequitur finis per accidens, ad quē media præter naturā suā ordinantur.

Alio nomine dicitur *finis accidentarius* & *eventualis*, *confusus* & *indeterminatus*. Ita finis peccati dicitur manifestatio gloriæ divinæ; finis hæresium illustratio veritatis. Hunc finem, qui est per accidens, intendit causa efficiens & quidem per se; sed media mala non per se vult, sed per accidens, h. e. quatenus media illa mala, per accidens fiunt bona. v. g. Deus per se vult suam gloriam, plenâ lubentiâ: sed peccatum non vult per se, quatenus est peccatum simpliciter; sed per accidens sive secundùm quid, quatenus peccato accidit, ut sit medium faciens ad manifestationem gloriæ Dei. Hoc probè notetur, ne quis putet Deum aliquid velle per accidens. Non ita. Nam quando dicimus, Deum destinare ad peccatum per accidens, τὸ per accidens non debet referri ad Deum, ejusq; destinationem, sed ad peccatum; ita ut in hoc sermone, Deus vult peccatum per accidens, sit elli- **Quomodo Deus velit peccatum.**

psis vocis *consideratum:* quatenus scil. peccato hoc accidit ex directione Dei, ut sit tale medium. Itaq; Deus vult peccatum tanquam medium bonum, per se; sed quâ peccatum, nō vult per se, nisi quatenus ex accidenti ipsius gloriam illustrat: quemadmodum medicus in theriacâ probat venenum, non per se, h. e. quatenus venenum, sed per accidens, h. e. quatenus veneno accidit, ut sit alexipharmacum.

Cap.6. Causa efficiens.

CAusa efficiens est causa externa, à quâ effectum est.

De hâc in genere notentur hi canones.

1 Efficiens est extra essentiam effecti.

Causa efficiens num possit esse interna?

Licet videri possit superfluus & otiosus hic canon, ut qui colligi possit è divisione causæ in externam & internam: non tamen est, ut patebit ex illius declaratione. Dicitur itaq; causa efficiens externa, ratione effectus, seu essentiæ illius: licet possit esse interna ratione subjecti, seu loci, cùm videl. efficiens & effectum sunt uno in loco: ut anima & facultas ratiocinandi sunt causa & effectum, quæ recipiuntur in uno eodemq; subjecto, scil. homine. Atque hanc ob causam anima *Zabar. l.1. de prop. necess. c.10.* dicitur efficiens interna, eo scil. sensu, quem diximus. Idem cogita de decretis Dei. Alioquin est impossibile, ut efficiens ingrediatur essentiā effectus. Fieret enim, vel materia, vel forma, quod absurdum. Sic ergò habendū. Causa est vel tantùm externa, ratione essentiæ effectus, & loci; vel est externa ratione essentiæ effecti, & interna ratione loci, seu subjecti. v.g. architectus, dum molitur ædificium, est causa efficiens externa utroq; modo; sed anima dum ratiocinatur, est efficiens externa priori modo, & interna posteriori significatione. Præterea causa ordinans & instituens potest esse in ordinato & instituto; ut Christus in cœnâ, dux in exercitu, convivator in convivio.

2 Nullum est efficiens sui contrarii.

Ratio: quia quodlibet ens positivum est bonum. Omne autem bonum est conservativum sui, & dissipativum seu destructivum contrarii. Nihil itaq; faciet sibi ens contrarium, nisi per

nisi per accidens. Deinde inter efficientem & effectum, quatenus talia, non potest esse contrarietas, quia efficiens virtute saltem est in effecto. Sic Deus non fecit diabolum, quâ talis est; calor non est causa frigiditatis; privatio non est causa efficiens sui habitus. Itaque

Causa efficiens propriè sic dicta non producit malum.

Hoc consectarium fluit ex antegresso canone, hoc modo. Omne efficiens propriè dictum est ens. Omne ens, quâ ens, bonum. Bonum itaq; non potest efficere malum; quia effectum nō potest toto genere diversum esse à suâ causâ. Quomodo igitur extitit malum? Resp. A bono; non efficiendo, sed deficiendo; h.e. bonum mutabile, quatenus defecit à normâ rectitudinis, malum introduxit in censum naturæ. Sed hoc altioris est indaginis. Observa tamen, Diabolum etiam posse dici causam efficientem mali, quatenus τὸ efficere largè accipitur.

3 *Causa efficiens, quatenus est causa, semper est quid simplex.*

Hic canon observandus, ut ne subjectum cum causâ confundamus. Sic v. g. homo non est efficiens suorum accidentium, sed quatenus in ipso est vel materia, vel forma; quarum illa quantitatis, ista qualitatis est effectrix. Ita corpora mixta in physicis non sunt causæ qualitatum, sed formæ ipsarum. Interim non excluditur hoc canone consortium subjecti & causæ efficientis: id quod est unicè necessarium. Quidam tamen subjectum vocant *principium quod*, & materiam, vel formam appellant *principium quo*: ut homo est principium qualitatum quod, scil. efficit; forma ipsius est principium quo, scil. efficiuntur qualitates.

4 *Contrariarum causarum contraria sunt effecta:*

Ut si vitium efficit infelicem hominem, virtus efficiet felicem. Excipe causas, 1. Per accidens. Non enim sequitur: Musicus ædificat. E. ἄμουσος destruit domum. 2. Quarum actio determinatur à dispositione materiæ mutabilis, in quam agunt: ut, sol ex floribus fragrantiam, è cadavere graveolentiam educit.

Causa efficiens dividitur ex efficiendi tum vi & modo, tum ordine.

Ex vi efficiendi quatuor modis dividitur.

Primò causa efficiens est procreans, conservans, vel corrumpens.

Plumbeo pugione magni nominis philosophus est usus in hâc divisione labefactandâ, quæ magnum habet usum in disputationibus sublimioribus, & ex ipsâ rei naturâ est desumta.

[illegible] causa procreat est, quod effectui [illegible] ipsa habeat formaliter vel eminenter

Causa procreans est, à quâ procreatum est originaliter: *aliàs dicitur* **principium productivum.**

De ratione causæ efficientis est, dare esse, vel simpliciter, vel quodammodo & aliquâ ex parte, ut docet subtilitatum magister *exer. 21. & 250.* Procreans causa dat τὸ esse simpliciter, sive ab illâ res est primâ origine.

Ejus canones sunt:

1 Ad causam procreantē sequitur rei alicujus corruptio; & ad corruptionem alicujus rei sequitur generatio.

Hoc est quod Physici docent: *Generatio unius est corruptio alterius*; & contrà, *Corruptio unius est generatio alterius*: ut cùm generatur pullus, corrumpitur ovum; cùm fit acetum, corrumpitur vinum. Ratio hujus est; quia nulla res potest esse sine suâ formâ. Proinde in generatione & corruptione est formæ prioris, vel abolitio, ut cùm homo oritur, aboletur forma spermatis; cùm moritur, subit nova forma respectu corporis, nimirū cadaveris forma; vel desitio, quando scil. desinit esse forma, quamvis res maneat: ut cùm homo moritur, desinit anima esse forma, sed ipsa anima manet.

2 Procreans & conservans causa interdum æqualiter sunt affectæ ad procreatum & conservatum.

Hinc poëta canit:

Non minor est virtus quàm quærere, parta tueri.

Sic Deus æqualiter se habet in creatione & gubernatione mundi, licet nobis videatur difficilior creatio. Nihilominus causa procreans, quâ talis, est præstantior conservante. Nam procreatio est rei novæ productio; sed conservatio est rei productæ adjunctum. Deinde omnis conservans causa nititur procreante, id quod è vulgatis illis definitionibus videre licet: causa procreans est, quæ rem facit esse vel benè esse; cau-

esse; causa conservans est, quæ rem facit porrò esse vel benè esse.

Causa procreans est univoca, vel æquivoca: item emanativa, vel transmutativa.

Causa univoca est, quæ ejusdem cum effecto est naturæ & speciei.

Seu, quæ producit effectum sibi & specie & nomine similem, ut homo generat hominem.

Æquivoca est quæ producit effectum sibi & specie & nomine dissimilem:

Sic sol Aristoteli dicitur generare hominem; sic artifex producit statuam, sol murem, frigus calorem.

Hujus loci canones sunt:

1 Causa univoca in rebus naturalibus est prior & præstantior æquivocâ.

Hic canon loquitur de generatione, non autem de creatione. Nam hîc Deus est causa æquivoca, & tamen præstantior est omnibus causis univocis generantibus. Alioqui generatio muris univoca est præstantior æquivocâ; & hæc illam præsupponit. **Procreatio univoca & æquivoca.**

2 Procreatio univoca est magis secundùm naturam.

Ratio: quia naturalis causa intendit sibi simile. At causa voluntaria & artificialis liberè potest agere, & sibi vel simile, vel dissimile producere. Huc pertinent theoremata Physica: *Generatio univoca est animalium perfectorum, & supponit creationem: generatio æquivoca est insectorum animalium, & videtur prior generatione univocâ eorundem:* ita prior fuisse videtur musca, vel apis per generationem æquivocam, item insectum quodvis æquivocum prius univoco.

Causa procreans emanativa est, quæ habet commune subjectum cum effecto: **Causa agẽs per emanationem, vel transmutationem.**

Sic per emanationem lumen est ex sole; decreta sunt à Deo per emanationem; potentia sentiendi, intelligendi, loquendi est ab anima eodem modo.

Transmutativa est, quæ ab effecto distinctum habet subjectum:

Sic studiosus scribens est efficiens literarum per transmutationem; quia studiosus scribens & litera scripta subjectis distinguuntur: sed idem aliquid secum meditans, est efficiens per emanationem, quia studiosus & illa meditatio sunt in eodem subjecto, putà homine. Hinc probatur, medium terminum non ingredi in conclusionem; quia videl. est causa illius efficiens per transmutationem.

Mediũ syllogisticum quare non ingrediatur conclusionem?

Hujus loci sunt tres canones.

1 Efficiens per transmutationem realiter differt ab effecto:

Ut architectus à domo, Deus à mundo.

Efficiens per emanationem saltem virtualiter differt ab effecto:

Ut anima à suis potentiis, Deus à decretis. Quomodo hi termini sint intelligendi, docet Metaphysica. Hic liceat obiter quærere, an Deus mundum fecerit per emanationem, vel transmutationem? Non videtur illud: quia efficiens per emanationem & ipsius effectum necessariò copulata sunt. Non hoc: quia efficiens per transmutationem agit cum motu, nimirum ἀλλοιώσει, *alteratione*. Creatio autem nullo modo se habet per modum motus alicujus physici. Resp. Transmutatio est duplex, naturalis & supernaturalis. In illâ est alteratio, in istâ non item. Si quis nolit admittere hanc transmutationis distinctionem, certè danda fuerit media aliqua effectionis species inter emanationem & transmutationem, ut Pererius facit.

Quomodo Deus dicatur causa mundi?

2 Efficiens per emanationem est nobilior efficiente per transmutationem.

Ratio hujus rei est: quia præstantius est intra se agere necessariò, & extra se liberè, quàm intra se liberè, & extra se necessariò. Jam verò causa per emanationem intra se agit necessariò, quoad exercitium, non quoad speciem. e. g. Deus ab æterno decrevit. Et hoc fuit necessarium quoad exercitium, ut decerneret: non quoad speciem, ut hoc vel illud decerneret. Illa enim actio est simpliciter interna, hæc externa quodam mo-

dam modo. Sic anima ſemper eſt in actu, idq; neceſſitate naturæ ſuæ; licet liberè hoc vel illud intelligat. Hinc artes liberales præferuntur mechanicis; & diſciplinæ theoreticæ practicis: quia in illis ſpectantur effectus per emanationẽ, in iſtis per transmutationem. Cæterùm nemo debet offendi hâc locutione, quâ diximus, neceſſarium fuiſſe ut Deus ab æterno decerneret, quoad exercitium. Nam intellectus divinus non fuiſſet perfectus, ſi non intellexiſſet ab æterno utrâq; intellectione, reflexâ, & directâ. Reflexa eſt, quâ Deus ſeipſum intuitus eſt abſolutè. Directa eſt, quâ Deus ſeipſum intuitus eſt tanquam omniſapientem & omnipotentem. Utraq; intellectio fuit neceſſaria, neceſſitate immutabilitatis, ſeu immutabilitate naturæ divinæ. Si itaq; Deus ſe cognovit ab æterno tanquam omniſapientem & omnipotentem, neceſſariò decrevit, quoad exercitium. Interim decretio illa dicitur neceſſaria ex parte Dei decernentis, non ex parte rerum decretarum: h.e. Deus ab æterno decrevit neceſſariò, ſi ſpectetur natura intellectus divini, qui puriſſimus eſt actus, at non, ſi ſpectentur res illæ, vel illæ.

3 *Effectus per transmutationem eſt admodum clarus & manifeſtus, per emanationem eſt obſcurior.*

Ratio: quia effectus per emanationem remanet in causâ, non quidẽ originaliter ſeu cauſaliter, ſed ſubjectivè: h.e. manet in causâ, non quatenus eſt cauſa, ſed ut habet rationem ſubjecti: ſic riſibilitas, vis ratiocinandi & numerandi, diſciplinæ capacitas, adeoq; omnes animę facultates ſunt originaliter ab animâ, & in eâdem ſubjectivè. Cæteroquin omnis effectus dicitur in causâ eſſe originaliter, ſi τὸ originaliter idem ſignificet quod virtualiter: quo ſenſu omnis quoq; cauſa dicitur eſſe in cauſato ratione virtutis & influxus.

Cauſa conſervans eſt, à quâ res procreata externè conſervatur: *Græcis* αἴτιον φυλακτικὸν καὶ αὐξητικόν.

Sicut à causâ procreante res eſt origine primâ; ſic à conſervante res eſt duratione & continuatione.

De hâc ſunt duo canones:

1 *Idem poteſt eſſe cauſa procreans & conſervans, imò & corrumpens.*

Sic Deus mundi eſt cauſa procreans & conſervans, idemque erit cauſa corrumpens, ſi intelligas accidentia ſeu qualitates pravas.

2 Cauſa conſervans quâ talis, non eſt procreans; licet in eodem ſubjecto ſæpe concurrat cum procreante.

Cauſa conſervans, quâ talis, non eſt procreans, & contrà. Nihilominus tamen ſæpe concurrunt in eodem ſubjecto: ut Deus ſemper generat, dum conſervat; & conſervatio ejus eſt perpetua generatio, *Scal. ex. 343.* ubi generatio ponitur καταχρηστικῶς pro creatione. Hæc verba intelligenda ſunt nõ formaliter, quaſi conſervatio ſit ipſa procreatio, & contrà; ſed connexivè ſeu effectivè hoc ſenſu: cõſervatio & generatio in rebus naturalibus perpetuò connexæ ſunt, & ob hanc cõnexionem conſervatio dicitur generatio, & cõtrà; quo ſenſu ſuprà diximus, generationẽ unius eſſe corruptionẽ alterius, & contrà. Hæc enim formaliter accepta non ſunt vera, ſed vel cõnexivè, ita ut ſenſus ſit: ubi eſt generatio, ibi eſt corruptio: vel effectivè, quatenus generatio eſt cauſa corruptionis per accidẽs, ſeu ſine quâ non. De corruptione idẽ eſto judicium.

Cauſa corrumpens.

Cauſa corrumpens eſt, à quâ res habet non-eſſe, vel malè eſſe.

Si hæc definitio admiſtam diſtributionem habere alicui videatur, ſubſtituat hanc: Cauſa corrũpens eſt, à quâ eſt corruptio rei; quatenus nimirum res impeditur, obſcuratur, læditur, depravatur, imminuitur, vel tota aboletur. Unde & *cauſa impediens, obſcurans, lædens, imminuens* & *abolens* dicitur. Ita cauſæ corrumpentes eccleſiam, ſunt hæreſes, ſchiſmata, antichriſtus: cauſæ lædentes functiones in homine ſunt intemperies calida vel frigida: cauſæ obſcurantes ſenſum bonitatis divinæ ſunt peccata.

De causâ corrumpente ſunt hi canones:

1 Nihil eſt corrumpens ſui ipſius.

Ratio: quia natura eſt ſui conſervatrix. Quidquid ergò corrumpitur, ab alio corrũpitur. Objicis: 1. Homo αὐτόχειρ lædit ſeipſum. 2. Vulgò dici ſolet: nemo læditur niſi à ſeipſo. Sic homines corrumpunt ſanitatem intemperanter vivẽdo. Reſp. Eſt fallacia accidentis. Nihil per ſe, & ſuâ naturâ corrumpit ſeipſum. At homines hoc faciunt, non per ſe, quâ homines, ſed quâ ſeducti à Satanâ, qui ligat intellectũ, & faſci-

nat viſum

nat viſum interiorem animæ, quò minus illi cognoſcant malum, quod ſibi accerſunt.

2 Corruptio totalis eſt ſolius Dei.

Vulgò dicitur: *Nihil totaliter corrumpitur*. Hoc verũ eſt, ſi ſpectes cauſas ſecundas, quæ ſicut nihil prorſus efficiunt de novo, ſed neceſſariò aliquid præſubſtituunt: ita nec prorſus poſſunt aliquid corrumpere, ſeu annihilare. Corruptio igitur partialis, quæ proficiſcitur à causâ ſecundâ, nihil eſt aliud quàm diſſolutio, vel certè diſpoſitio ad diſſolutionem. Deinde hoc axioma: *nihil totaliter interit:* intellige de compoſitis, non de formis. Compoſita enim non planè intereũt, licet ipſa compoſitio intereat: ut intereunte homine prorſus interit compoſitio corporis & animæ. At anima intellectiva manet, & corporis partes ſenſim redeunt in ſua quæque elementa. At formæ quando intereunt, ſimpliciter intereunt, aut prorſus evaneſcũt, quod fit propter ſummã illarum ſimplicitatẽ. Sic anima vegetans, vel ſentiens ſimpliciter interit.

3 Corrumpentes cauſæ non ſunt unius modi.

Nam quædam leviùs corrumpunt, ut quæ diſponunt ad corruptionẽ; quædam graviùs & pernicioſiùs. Illius generis ſunt morbi quidã; hujus verò ἀσέβεια, ἀδικία, ἀσέλγεια, quæ corrumpũt Reſpublicas, ſicut libido ſtatum œconomicum.

4 Corruptibile, quantũ poteſt, reſiſtit corrũpentibus.

Hæc reſiſtentia eſt ab illo appetitu, quo omnes res appetunt id quod eſt melius. Melius autẽ eſt eſſe, quàm non eſſe.

Secundò cauſa efficiens eſt agens, vel patiens. Cauſa agens eſt, quæ ſic agit, ut non repatiatur: patiens contrà. Cauſa agẽs vel patiens.

Nobilis eſt locus in Philoſophiâ de reactione (Scalig. mavult vocare redactionem) & repaſſione. Hunc hîc tractandum ſuſcipimus, quantum quidem ad noſtrum inſtitutum poteſt eſſe ſatis, juxta hos canones:

1 Cauſa agens eſt præſtantior patiente.

Ratio: quia τὸ agere pendet à formâ, tanquam nobiliori principio; τὸ pati verò à materiâ, tanquam principio ignobiliori. Quò igitur quid eſt formalius, eò nobilius & expeditius eſt ad agendum. Hinc Philoſophi uno ore pronunciant: *Omne patiens ideò patitur, quia materiã habet*. Et hinc fit, ut

formæ materiales patiantur per accidens, videl. propter materiam, in quâ ſunt: formæ verò à materia jam abjunctæ omninò ſint impatibiles, niſi à Deo ad paſſionem deputentur, ut anima Saulis, vel divitis epulonis. Cæterùm axioma hoc intelligendum eſt per limitationem reduplicativam: omne agens, in quantum agens, eſt præſtantius patiente. Sæpe enim inferior agit in ſuperiorem, qui eſt præſtantior eo ipſo, quòd agat, non quatenus eſt inferior.

2 *Quò perfectior eſt cauſa agens, eò perfectior eſt ejus actio.*

Sic Deus eſt agens perfectiſſimum. Illius igitur actiones quoq; perfectiſſimæ ſunt. Res corporeæ gignunt de ſe & extra ſe rem corpoream. Mens noſtra gignit de ſe & in ſe, ſed eſſentiâ diverſum à ſe producit. Deus pater gignit filium per ſe, & in ſe, ſed in unitate eſſentiæ. Hæc generatio eſt omnium perfectiſſima. Hîc nota, Patrem in divinis potiùs appellari principium Filii, quàm cauſam, ut & ſuprà monuimus: interim, ſi vox cauſæ accipiatur nõ metaphyſicè, prout eſt notio prima, ſed Logicè, omninò Pater appellari poteſt cauſa Filii, ſicut & Græci ipſum vocant αἴτιον τοῦ υἱοῦ; ſed hoc omne κατ' ἀναλογίαν & καθ' ἡμᾶς fit, non κατὰ τὸ πρᾶγμα. Hæc enim Logica eſt planè divina, & ſupra noſtrum captum.

3 *Cujusvis agentis potentia vel impotentia ab ejusdem objecto æſtimanda.*

Non ergo ſequitur: Hic homo non audit colores. Ergo eſt imbecillo auditu. Objectum enim auditus non eſt color, ſed ſonus. Nec ſequitur: Deus non facit nihil, ſeu ejus omnipotẽtia non agit in τὸ nihil. Item, non facit peccatum. Ergo non eſt omnipotens. Ratio: quia objectum divinæ potentiæ eſt tantùm ens, & bonũ: non autem non-ens, & malum vitii vel culpę, quod, quatenus eſt defectus, eſt non-ens, ſc. privativum; quod eſt non-ens inter entia: uti non-ens negativũ eſt non-ens extra entia, ſeu omnẽ entitatem. Contra hęc ſic objicitur. 1. Deus fecit mundũ è nihilo, & redigere poteſt in nihilũ. 2. Cęcitas & cęteræ privationes ſunt qualitates. 3. Deus malum cõmutat in bonum. E. objectum omnipotentiæ Dei eſt & τὸ nihil, & malum; & privatio non rectè dicitur non-ens. Reſp. 1. τὸ nihil ne hoc quidem modo eſt objectum, ſed

terminus vel à quo, vel ad quem. 2. Privatio debet distingui ab actu insequente. Privatio est carentia pura. Sed hanc sequitur δυώαμις quædam. 3. Malum subjicitur potentiæ Dei quoad directionem. Sed nos de potentiâ Dei ratione effectionis loquimur.

4 *Agens per se debet esse simile effectui.*

Hîc excluditur agens per accidens. Deinde intelligenda est similitudo, tùm univoca, ut homo homini est similis; tũ æquivoca, seu eminẽs, quomodo creatura similis est creatori. Omnis enim creatura in se habet vestigium divinitatis.

5 *Nihil agit extra essentiam, seu speciem suam.*

Alii sic efferunt hunc canonem: *Nulla res agit supra vires suas:* item, *Quodlibet agens agit pro facultate, & conditione suâ.* Itaque angelus non potest creare; quia hæc virtus inest enti diviniori, quod infinitum sit oportet. Nam inter τὸ nihil & aliquid est infinitum spatium. Ergo & infinita virtus requiritur, quæ possit transire hoc spatium. Diabolus quoq; non potest generare hominem, quia hæc virtus soli speciei humanæ est à Deo concessa. Sic ignis per calorẽ non potest animal generare, sed solummodò mistum elementatum inanimatum. Ad generationem namque animalis requiritur etiã calor animalis seu vitalis, qui multò nobilior est elemẽtari. Manet ergo, quòd quodlibet agens creatum agat pro facultate & conditione suâ, convenienter ei ordini, quem Deus esse voluit in universo. Est tamen hîc limitatio seu exceptio. Nam propositum axioma non valet in causis instrumentalibus. Vis siquidem activa instrumenti alicujus potest virtute principalis agentis excitari & elevari ultra speciem suam. Sic calamus inter scribendum agit ultra suam speciem virtute principalis agentis, seu ratione dispositionis passivæ.

6 *Quodlibet agit in suum.*

Hoc est, sibi conveniens & determinatum. Alii sic proferunt: *Agens non agit nisi in patiens ad recipiendum idoneum:* ut Deus verbo suo non agit in caudicem, vel stipitem, sed in hominem, qui divinę & spiritualis actionis est capax. Verbum Christi in se & ex se vivificum est, in impiis tamen vim illam non exerit.

7 Tantò major vis in agente requiritur, quantò potentia, è quâ res educitur, ab actu est remotior.

Contrà, quantò potētia est actui proximior, tantò minor vis in agente requiritur. Sic chymici ex puriore argento faciliùs aurum faciunt, quàm ex impuriore, vel è plumbo & ferro.

8 Agens & patiens inter se applicata, è potentiâ in actum necessariò educuntur.

Catholicus est hic canon in naturalibus, ubi applicatio activorum ad passiva necessariò rem transfert à potentiâ ad actum. Si nimirum debitâ proportione hoc fiat. Hinc Physici docent: Philosophum naturalem maritare naturas. Sicut ergò è conjunctione maris & fœminæ ritè proportionatâ existit fœtus: sic ex illâ maritatione physicâ prodit compositum.

9 Agentis est vis minor & major pro diversitate materiæ subjectæ.

Sic ignis non habet magnam vim calefaciendi, cùm est in materiâ rarissimâ, ut in stramine, aut in lignis putridis: majorem verò habet vim in ferro, & in lignis viridibus & siccis, idque propter materiæ densitatem.

10 Agens & patiens partim similia, partim dissimilia esse oportet.

Hæc est similis dissimilitudo, & similitudo dissimilis. Nā omnimoda similitudo, ut & dissimilitudo hîc excluditur. Illa infert identitatem; hæc similitudinē tollit. Sic homo nutritur pane, carne, ovis sorbilibus, non arborū foliis & corticibus; quia illa hominis corpori proportione quâdam respondent, hęc non item. At bos fœno, canis ossibus nutritur, quia hi tales cum his talibus cognationem habent. Quid verò dicendum de animâ rationali & corpore? Num etiā hæc inter se sunt similia? Resp. Canon intelligendus est de iis, quæ per se agunt & patiuntur: corpus autem & anima inter se agunt & patiuntur, non per se, sed per accidens.

11 Agens in agendo à patiente vicissim patitur.

Intellige agens, non primum, sed secundū, quod duobus modis repatitur. 1. Secundùm eandē qualitatem. Sic ventri-

culus

culus primò calefacit vinum haustũ, evocando virtualem illius calorem; deinde vinum calefactũ vicissim calefacit ventriculum. 2. Secundùm qualitatem contrariam: ut si quis manu calidâ rem frigidã apprehendat, simul eam calefacit, & ab eâdem refrigeratur. Sic vaporarium calefaciens tuum corpus frigidum, non calefit vicissim, sed à te frigido (frigore nimirum prædominante) refrigeratur. Resistentiam hanc dari necesse est, & propter patientis conservationem, & propter agentis contemperationem. Quælibet enim natura est conservatrix & contemperatrix sui. Consistit autem hæc resistentia, vel in pugnâ, quo pacto frigidũ calido agenti repugnat: vel in retardandâ agentis actione, sicut cera manũ cælatoris, quantumvis sit satis sequax, quodammodo retardat. Neq; tamen necessum est, omne patiens tantũ pati quantũ agens agit. In quibusdam enim patiẽs plus patitur, quàm agens agit, ut lapis in altum projectus adhuc movetur manu projicientis cessante: in quibusdam verò minùs patitur: sic idem grave non erit ęquè grave mulo & muri. *Scal. ex. 16. ∫. 2.*

12 Causa agens non excludit patientem.

Deus in conversione hominis habet se merè ἐνεργητικῶς: at homo, παθητικῶς se habens, ideo non excluditur. Nam qui creavit te, ô homo, sine te, non sanctificat te, sine te.

Tertiò causa efficiens ex vi agendi est principalis, vel minùs principalis. Causa principalis & minùs principalis.

Causa principalis est, à quâ effectus primariò pendet: Græcis αἴτιον κύριον.

Estque vel solitaria, vel socia.

Causa solitaria est, quæ rem absq; aliâ producit: *Græcis* ὁλικὸν αἴτιον, causa totalis, *item* absoluta.

De hâc est canon:

In causis secundis nulla est, quæ simpliciter sola agat.

Causa namq; prima simpliciter sola agit, quando non utitur mediis. Interim creatura dici potest causa sola comparatè: ut vir robustus solus dicitur gestare saxum; Samson solus portavit portam Philistinam.

Causa socia est, quæ effectum cum alterius effi-

cientis concursu producit: *Græcis* συναίτιον, con-causa, συνεργὸν, cooperans, αἴτια μερική, causa partialis *dicitur*.

Estque vel necessariò, vel contingenter sociata.

Necessariò sociata est, quæ sine alterius auxilio non potest producere effectum.

Sic necessariò sociatę causę sunt mas & fœmina in producendo homine. Aliâs vocatur essentialiter sociata. Sic homo producẽs aliquid boni, necessariò Deũ habeat ducẽ oportet.

Contingenter sociata est, quæ pro arbitrio suo adhibet aliam causam.

Ita Deus utitur ministerio angelorum, & currui sępe junguntur sex equi, ubi duo poterant sufficere.

De causâ sociâ sunt hi canones.

1 In causis conjunctis sive sociis, potest esse æqualitas & inæqualitas in operando.

Ut duo equi currui juncti, nunc æqualiter, nunc inæqualiter trahunt. Tres personæ SS. Trinitatis in creatione mundi fuerunt causæ sociæ seu conjunctæ æquales.

2 Non illicò quæ connexa sunt, causæ sociæ sunt.

Sic fides vera & justifica existere non potest sine bonis operibus: & tamen sine iis justificat.

3 Causæ partiales in toto concursu stant pro unâ.

Sic loquuntur Scholastici. Non malè. Nam multarum causarum concursus facit unum concursum: ut conatus trium moventium idem saxum, efficit conatum integrum, qualem potuit adhibere is, qui triplo fuit singulis istis robustior. Sic unius domini servi multi stant pro unâ causâ, videl. domino suo, quatenus ab illo mittuntur ad aliquem.

Causa minùs principalis est, à quâ effectus pendet secundariò.

Estque vel impulsiva, vel instrumentalis.

Causa impulsiva est, quæ suâ efficientiâ principalem efficientem ad agendum movet.

Causa impellens à fine differt.

Causa impellens omninò distinguenda est à fine. Finis movet

movet efficientē motu metaphorico: impellens movet motu reali, videlicet suâ efficientiâ, ut diximus in definitione.

Estque vel externa, vel interna.

Externa impulsiva est, quæ extra efficientem principalem existens eam impellit: *Gracè* προκαταρκτική; *aliâs* causa evidens & originalis dicitur.

Interna impulsiva est, quæ intra causam efficientem principalem existens eam impellit: *Gracè* προηγουμένη, antecedens, *dicitur*.

Ita justificationis nostri coram tribunali Dei causa efficiens principalis est Deus; προηγουμένη, ipsius gratia & misericordia; προκαταρκτική, meritum Christi. Pœnarum, quibus homines affliguntur, causa principalis est Deus, à quo imponuntur; προηγουμένη est justitia ejus; προκαταρκτική, peccata hominum. Sed hæc omnia de Deo dicuntur ἀνθρωποπαθῶς. Itaque intelligenda sunt θεοπρεπῶς. Propriè enim Deus non impellitur. Hâc enim ratione esset in classe effecti; vel certè esset causa impulsa propriè dicta; quod ἀθεόλογον.

Causa instrumentalis est, quæ à principali agente ad efficiendum assumitur: *aliâs* causa organica *dicitur. Et ad hanc referri debet* causa sine quâ non.

De hâc sunt canones:

1 Causa instrumētalis est naturâ posterior principali.

Ratio: quia causa principalis, vel ipsa sibi fabricat sua instrumenta, vel aliunde fabricata sumit. Si illud, est satis clarum, quòd causa principalis sit prior. Si hoc, causa principalis ex instrumento, quod tale est potentiâ, facit instrumentum actu. Hinc deciditur quæstio, à veteribus in utramque partem agitata, ob id, quia ignorabant articulum creationis: gallina sitne prior ovo, an ovum gallinâ? Gallina est causa principalis, ovum est causa instrumentalis. Gallina igitur prior. Itaque **An gallina ovo prior vel causa?**

Causa principalis est præstantior instrumentali.

Id enim præstantius, quod prius. Item id præstantius in ordine causarum, quod vim confert, quàm id, quod vim ac-

cipit. Sic manus est præstantior calamo, dominus servo, qui dicitur instrumentum animatum Aristoteli. Alii sic proferunt canonem: *Causa instrumentalis præsupponit principalem.*

2 *Causa principalis etiam per mala instrumenta benè operari potest.*

Sic Deus Josephum promovit ad summam imperii, per malos fratres. Itaque

Medium bonum à malo instrumento non corrumpitur.

Nam si causa principalis per mala instrumenta benè potest operari, utique medii bonitas potest manere sarta tecta. Sic verbi gratiâ, dignitas sacramenti non evertitur vel elevatur indignitate personæ administrantis.

3 *Una eademq; causa potest habere rationem instrumenti, & causæ principalis.*

Sic creaturæ respectu Dei sunt instrumēta ipsius, sed causæ principales respectu suarum actionum. Hinc conciliari potest Plato cum Aristotele; quorum ille contendebat, causas secundas esse αἴτια rerum naturalium; iste verò συναίτια. Utrumque est verum diverso respectu. Instrumenta sunt, si cum primo motore Deo: causæ principales sunt, si cum effectibus suis, ad quos determinatæ sunt, conferantur.

4 *Instrumentum agit dispositivè ad virtutem agentis principalis.*

Hoc est, subservit actioni principalis agentis, à quo etiam dirigitur. Sic discipulus frugi debet se accommodare ad nutum præceptoris.

5 *Instrumentum à principali agente accipit actionis determinationem.*

Instrumentum suâ naturâ est indeterminatum & amphibolum, h. e. tale, ut quis possit benè, vel malè eo uti. Sic gladio possum me defendere, possum alium interficere. Atramentum non formabit characteres, nisi scribens regat calamum. Creta præposterè pinget, nî digitus scribentis eam dirigat.

6 *Instrumenti vis consistit in usu.*

Scilicet

Scilicet legitimo. Quando igitur instrumentum, verbi gratiâ, culter vel calamus, non adhibetur, non est instrumentum nisi potentiâ.

7 *Instrumentum est tantò perfectius, quantò pauciores usus habet.*

Ratio: quia instrumenta, quæ multis rebus accommodari possunt, sunt minùs exacta. Ita servus, multis dominis inservire cupiens, malus est.

8 *Instrumentum sæpe efficit per propriam vim, & per vim agentis primarii.*

Ut si quis feriat securi, securis agit tum sua gravitate, tum vi percutientis.

Porrò instrumentum est vel simpliciter instrumentum, quod sic est instrumentum, ut nullo respectu esse possit causa principalis, *ut malleus:* vel secundùm quid, quod etiam habere potest rationem causæ principalis: *ut omnes creaturæ. Vide suprà can. 3.* Instrumenti variæ divisiones.

Deinde instrumentum est vel necessarium, quo principalis agens carere nequit: *ita manus est necessaria ad pingendum:* vel arbitrarium, quo principalis utitur, vel ex libitu, *ut Deus utitur ministris angelis;* vel ad effectum commodiùs obtinendum, *ut est equus, si conficiundum sit iter.*

Tertiò instrumentum est, vel conjunctum, quod causæ principali unitū est; *Græcè* ἐνυπόστατον, *ut manus est instrumentum hominis, & humana Christi natura est instrumentum* τȣ͂ λόγȣ: vel sejunctum, quod separatum est à principali; *Græcè* ἀνυπόστατον, *ut calamus, malleus.*

Hoc quidam dividunt in rationale, qualis est homo respectu Dei; & irrationale, qualis est serra, vel bos.

Quartò instrumentum est activum, vel passivum.

Activum eſt, quod inter agendum ſuâ vi ſe movet: *aliâs* cooperativum, *item* cauſa adjuvans *ſeu* adminiſtra;

Græcè ὄργανον ὑπηρετικόν. Hujusmodi ſunt omnia inſtrumenta animata. Hoc ſenſu Paulus *2.Cor.6.v.3.* œconomos myſteriorum Dei vocat συνεργὺς θεῦ.

Paſſivum eſt, quod inter agendum ſe habet merè paſſivè, ita ut ſe non commoveat. *Sic menſa eſt inſtrumentum accubitus.*

Huc pertinet canon:

Inſtrumento ſæpe tribuitur actio principalis agentis.

Etſi enim omne inſtrumentum juvat actionem principalis agentis, activum activè, ſicut cultellus juvat manum ſecantis panem; paſſivum paſſivè, ſicut menſa juvat ſcribentem: tamen inſtrumento activo frequentiſſimè tribuitur actio principalis agentis. Ita Sacramentis tribuitur regeneratio: prædicationi verbi divini potentia ad ſalutem, converſio miniſtris verbi divini: quæ omnia ſunt apoteleſmata Spiritus ſancti, qui eſt πρῶτον αἴτιον. Alii ſic enunciant hunc canonem: *Effectus cauſæ principalis ſæpe prædicatur de inſtrumentali.*

Cauſa efficiens per ſe & per accidens.

Quartò cauſa efficiens ex vi agendi eſt efficiens per ſe, vel per accidens.

Cauſa efficiens per ſe eſt, quæ ſuâ naturâ & intentione ad effectum ordinata eſt.

De hâc ſunt canones.

1 Cauſa per ſe, eſt ſecundùm naturam, & prior causâ per accidens, quæ eſt præter naturam.

Hinc refutatur Origenes, qui ſtatuebat animas noſtras eſſe conditas ante & extra corpora. Naturale enim eſt formæ, ut materiæ unita ſit, & præter naturam eſt, ſi à materiâ ſuâ ſit ſeparata. Ergo per ſe & naturale eſt, ut anima ſit unà cum corpore, ex accidenti verò & pręter naturam, ſi ſit extra corpus. Itaque prius fuerit in corpore oportet, quàm extra corpus. Res tamē aliter ſe habet cum Adami corpore, quod

prius

prius fuit animâ. Hoc enim non est generationis, sed creationis exemplum.

2 *Causa per se est magistra sapientiæ.*

Ratio: quia causa per se est finita & ordinata. Nihil itaque æstimari debet secundùm id, quod ei convenit per accidens; sed secundùm id, quod ei convenit per se. Vulgò dicimus: *Ars non curat ea, quæ fiunt per accidens.* Item: *Sapientia requirit attributa essentialia, seu per se.* Itaque febris non est consideranda secundùm illud, quòd aliquando temperantiam efficiat. Illud enim febri per accidens cōvenit. Sic omnia artiū axiomata debent esse per se & essentialia. Ratio: quia illa, quæ per se sunt, finita sunt & determinata, ideoq; sub scientiā cadunt. At ea, quæ per accidens sunt, infinita sunt. Rerum autem infinitarum nulla datur scientia. Itaq; causa per accidens extra septa disciplinarum vagari jubetur.

3 *Potest aliquid alicui competere per se, cujus tamen oppositum eidem competit per accidens.*

Sic calidum per se calefacit: interdum autem refrigerat, nimirum ex accidenti. Sic frigidum per se frigefacit, at per accidens calefacit, ut in antiperistasi videre est, quæ fit cùm alterum contrarium ab altero obsessum intēsius redditur & validius ob virium collectionem. Sic hominis ventriculus magis calet hyeme quàm æstate. Exēplo sint loca subterranea, ut cryptæ, cellæ. Eodem modo Evangelium est instrumentum vitæ & mortis. Alii sic efferunt hunc canonē: *Una eademq; res potest esse causa per se & per accidens.* Item: *Effectui causæ per se conjunctus esse potest eventus contrarius.*

Causa per se est naturalis, vel voluntaria, vel mixta.

Causa naturalis est, quæ ex solâ naturæ vi efficit.

Ejus canones sunt.

1 *Causa naturalis est determinata ad unum oppositorum.*

Alii sic efferunt: *Causa naturalis non est indifferens ad opposita,* h.e. causæ naturalis actio est necessaria & per naturam determinata, ut per se non possit agere oppositum. Hinc Philosophus: φύσις πρὸς ἓν ἀπίθεται. Sic ignis per se tantùm

calefacit, & non nisi ex accidenti frigefacit. At Sol liquefacit ceram, & indurat lutum. Resp. Solis natura propria est lucere & calefacere: sed diversitas actionis est ex objecto, seu subjectâ materiâ. Hinc dicunt: *Naturale agens semper agit uno modo in rem unam subjectam.* Item, *Efficiens naturale est ποιητικὸν unius, non oppositorum.* Item, *Nihil in suâ naturâ permanens potest efficere contrarium per se, & rebus eodem modo se habentibus.* Itaque

Causa naturalis non potest variare, nec suspendere actionem.

Sic ignis nec variat, nec differt actionem suam, materiâ combustibili eodem modo se habente.

2 *Quod fit naturæ ordine, necessariò fit, nisi prohibeatur, vel pendeat à causâ voluntariâ.*

Necessitas hîc intelligitur, non coactionis, quæ ab externo pendet principio, sed immutabilitatis, quæ dependet à principio intrinseco. Canon igitur intelligendus est de necessitate immutabilitatis. Sic ignis necessariò urit, nisi externâ vi prohibeatur. Nam res naturales neq; casu fiunt, aut temerè agunt, neque cæco progrediuntur impetu, sed eodem ordine & tenore semper progrediuntur, nisi ab externo principio prohibeantur.

3 *Eadem causa naturalis, quatenus pendet à diversis principiis, diversa efficit.*

Sic cælum pendet à Dei justitiâ, vel puniente, vel remunerante; ideoque nunc pluit, nunc tonat, nunc pluviam negat.

4 *Causa naturalis agit ad extremum suæ potentiæ.*

Hoc est, causa naturalis agit sine moderatione, nec statuit certum agendi modum, sed impedimentis nullis septa omnê simul vim exerit, quoad ejus fieri potest. Sic ignis, cùm materia combustibilis adest, non adhibet certam moderationem. Solis natura est extremè lucere: quòd autem hoc non semper fiat, acceptum ferendum est Deo & causis secundis impedientibus.

5 *Causa naturalis agit sine dilatione.*

Intellige

Intellige causam simpliciter naturalem, quæ non est conjuncta cum voluntariâ. Sic grave semper tendit deorsum suâ naturâ, sine ulla dilatione, leve sursum, si fuerint in loco alieno. Ignis urendi vim non differt, nisi vi externâ impediatur. At edere & bibere sunt actiones naturales cum causâ voluntariâ conjunctæ: ideoq; illæ actiones possunt differri.

Causa voluntaria est, quæ destinato consilio agit.

Aliâs dicitur libera, & agens per cognitionem.

Estq; libera vel simpliciter seu merè, quæ pleno appetitu effectum vult & producit: vel secundùm quid, quæ appetitu tristi & ægrè sequaci.

Illa dicitur causa spontanea, αἴτιον πρόθυμον, αὐθαίρετον, ἑκούσιον; de qua intellige illud, Hilarem datorem diligit Deus: hæc dicitur αἴτιον μικτὸν, in quo neque est merum illud & ἁπλῶς ἑκούσιον, neq; merum illud violentum, sed violentum κατά τι; ut cùm viator pro redimendâ vitâ latronibus promittit magnam pecuniæ summam. Hujusmodi actiones Aristoteles vocat πράξεις μικτάς.

De causâ voluntariâ hi sunt canones.

1 Voluntas per essentiam est libera.

Scilicet à necessitate coactionis. De voluntate Dei res est clara. Ille enim omnia sub se habet, nihilque ei potest resistere. De volũtate hominis idem sic evincitur. Voluntas quæ non cogitur, manet libera. Sed voluntas hominis, neq; in naturalibus, neq; in civilibus, neq; in supernaturalibus cogitur. Ergò est libera. Minor sic probatur. Homo naturâ suâ vult v. g. bonum, sed ita vult, ut etiam sæpe oppositum arripiat, sed tamen sub specie boni. Utrobiq; manet libera. Idem homo citatur ad forum. Penes ipsum est comparere, vel non. Idem homo à Deo convertitur. In illa conversione sequitur Deum liberè, non cogitur. Huc pertinent illa trita: *Voluntas cogi nõ potest: Coacta voluntas non est voluntas: Voluntas per se est libera, per accidens autem serva & captiva.* Itaque **Voluntas quomodo sit libera?**

Causa voluntaria est indifferens ad utrumque oppositorum efficiendum:

Hoc est, causa voluntaria per se & suâ naturâ est libera ad efficienda contraria & contradictoria. Est enim duplex libertas, contrarietatis & contradictionis. Libertas contrarietatis est, quâ voluntas velle potest bonum vel malum, hoc vel illud. v.g. pictor potest denigrare vel dealbare parietem. Libertas contradictionis est, quâ voluntas velle potest contradicẽtia, ut exire, vel non exire. Illa dicitur libertas specificationis, quâ duobus vel pluribus propositis unum eligere potest voluntas nostra: hæc libertas exercitii, quâ uno tantùm proposito, illud acceptare vel rejicere potest. Itaque

Libertas duplex.

Potentiæ rationales, ut artes & scientiæ, sunt ad opposita.

Sic homo efficere potest syllogismum simplicem, vel compositum: nunc à causis, nunc ab effectis argumentari.

2 *Causa voluntaria agit certâ moderatione:*

Hoc est, pto arbitrio potest agere vel non agere, actionem variare & suspendere. Sic Deus sua dona non confert in unum, sed pro arbitrio distribuit. Ergo nec hoc sequitur: Deus est æternus. Ergo & mundus. Non enim naturę necessitate fecit mundum, sed consilio.

3 *Causæ voluntariæ effectus sunt dissimiles.*

Non ergo sequitur: Architectus est ratione præditus. E. & ędificium. Et statuariarius diversi generis statuas efficere potest. Intellige igitur canonem hoc modo, quòd effectus causę voluntarię sint dissimiles, tum causæ efficiẽti, tum inter se.

Causa mixta est, quæ partim naturâ, partim consilio agit.

Ita somnus, ambulatio &c. sunt effectus mixti pendentes à naturâ & voluntate simul.

De hac causâ est canon:

Causa sæpe est mixta, & mixtum producit effectum, qui non potest distinctè dijudicari, nisi revocetur ad utrumq; suum principium.

Oportet igitur accuratè dispicere, num actio aliqua sit naturalis, voluntaria, vel mixta, si naturam cujusque actionis plenè perspicere velimus.

Sequitur causa efficiens per accidens, quæ præter na-

ter naturam & intentionem ſuam vi externâ aliquid efficit.

Ejus canones ſunt.

1 *Quæ fiunt à causâ per accidens, rarò fiunt.*

Sic rariùs generantur monſtra ab hominibus, frequentiùs verò homines; rarò piſcatores inveniunt aureum tripodem; paſtinator vineæ rariùs effodit theſaurum. Hinc dicitur; *Caſus & fortuna extra ſemper & frequenter ſunt, ab efficientibus verò per ſe rarò producuntur effecta caſualia.* Item: *Quæ fiunt à causâ per ſe, ea fiunt plerumque & ſemper.*

2 *Cauſa per accidens, ejusq; effectus reducitur ad cauſam per ſe.*

Ratio: quia cauſa per ſe eſt prior; & verò omnis cauſa per accidens complicata eſt cum causâ aliqua per ſe: ut, ſi febris temperantiam efficit per accidens, neceſſum eſt ut ſit illius temperantiæ aliqua cauſa per ſe. Item ſi aqua calefacit per accidens, neceſſum eſt ut detur cauſa calefactionis per ſe. Hoc eſt quod Theologi monēt, de pepetua reductione cauſarum per accidens ad cauſas per ſe, in locis de Scriptura, Peccato, Providentia, Prædeſtinatione & Sacramentis.

Cauſa per accidens eſt præternaturalis, vel involuntaria.

Præternaturalis eſt, quæ præter naturam ſuam aliquid efficit.

Ut ſcientia inflat, lex occidit, febris affert temperantiam, non naturâ ſuâ, ſed per aliquid, quod iis accidit.

Involuntaria eſt, quæ præter intentionem & conſilium ſuum aliquid efficit.

Eſtque fortuita, vel invita. *Retinemus hîc vocabulum* fortuita, *tanquam terminum uſitatum.*

Fortuita eſt, quæ ex caſu fortuito præter intentionem aliquid efficit:

Ut cùm piſcatores Mileſii inter piſcandum invenerunt aureum tripodem.

Invita est, quæ aliquid efficit sine omni lubētiâ.

Estque vel inscia, vel coacta.

Inscia, *seu imprudens*, est, quæ efficit aliquid ignoranter.

Ignorantia quomodo excuset?

Dico, efficit ignoranter, voce generali. Nam ignoranter dicitur aliquis agere duobus modis. Primò per ignorantiam agere dicitur, quando nulla est alia causa actionis quàm ignorantia. Ita per ignorantiam dicitur occidere, cui excidit bipennis in eum, quem ignorabat adesse. Deinde ignorans agere dicitur, qui cùm posset atq; etiā deberet scire actionis circumstantias, suâ culpâ non scit; atq; adeò nō ἁπλῶς ignorat, ut prior, sed κατά τι tantùm. Prior illa ignorantia excusat, sed nō omni modo, juxta illud: *Causa fortuita liberat à tanto, sed non à toto*. Posterior ignorantia minimè excusat, sed culpam auget. Unde Pittacus legislator duplicē pœnam hos tales promeritos pronunciavit; primam propter ipsum effectum malum; alteram propter culpam ignorantiæ. Nam ignorantia τοῦ καθόλου, *juris*, non excusat, sed solùm ignorantia τῶν καθ' ἕκαστα, *facti*.

Causa coacta est, quæ per vim aliquid efficit.

Ut Fridericus Barbarossa Imp. præbuit collum Pontifici Romano calcandum, sed coactus. Hęc causa dicitur coacta, non ratione voluntatis, sed locomotivæ. Et ideò non peccavit Eleazarus, vescens carne suillâ; quia non voluit, non approbavit hoc factū, licet locomotiva ipsius coacta sit obsequi causæ externæ valentiori. Quomodo aliquis dicatur cogi, in Ethicis nostris explicatum est prolixè.

Fuerūt divisiones causæ efficiētis ex vi efficiendi: sequitur ut eam dividamus ex efficiendi ordine.

Sic ergò causa efficiens alia est essentialiter, alia contingenter subordinata.

Essentialiter subordinatæ sunt, quarum inferior à superiori pendet in efficiendo.

Estque prima, vel secunda.

Causa prima in Scholis dicitur subordinata, non quòd ipsa aliis subordinetur, sed quia aliæ ipsi subordinantur.

Prima

Prima eſt, quæ in cauſandi ordine ſupremum locum tenet.

Eſtque vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid prima.

Cauſa ſimpliciter prima eſt, quæ ſic prima eſt, ut nullo reſpectu poſſit eſſe ſecunda: Cauſa ſimpliciter prima.

Ut ſolus Deus benedictus in ſecula. Aliâs hæc *cauſa* dicitur *ſumma, infinita, univerſalis ſimpliciter*. Nam Phyſici cælum vocant cauſam univerſalem ſecundam. Dicitur item *cauſa cauſarum* & *cauſa ſine cauſâ*.

De hac ſunt canones:

1 Cauſa prima eſt perfectiſſima & liberrima.

Perfectiſſima: quia non indiget ullo auxilio in cauſando, ſive ſpectes opera ad intra, ſive ad extra. Opera ad intra ſunt, quæ Deus intra eſſentiã ſuam operatur: ad extra, quæ extra ſuam eſſentiam operatur reſpectu creaturarum, vel in creaturis. Nec ibi, neç hîc indiget auxilio. Eſt *liberrima*: quia non dependet. Et niſi liberrima eſſet, non eſſet prima, non perfectiſſima. Itaque

Cauſa prima non eſt alligata ad ſecundas.

2 Cauſa prima licet ſit infinita & indeterminata; omnis tamen ipſius effectus ad extra finitus eſt & determinatus.

Nam Deus nõ fecit opera illa infinitate, ſed bonitate ſuâ. Et verò infinitas Deo adſcribitur qua Deus eſt, non autem qua cauſa eſt. Vide quę *Averroës* diſputat *in libro, qui inſcribitur Deſtructio deſtructionum diſp.1.dub.7.*

3 Cauſa prima efficaciùs influit in effectum quàm ſecunda.

Hoc verum eſt de omnibus operibus Dei, quæ in tres claſſes diſtingui poſſunt, ita ut ſint opera creationis, conſervationis & gratiæ. Si percurras claſſes iſtas, videbis Deum proximè attingere quemlibet effectum. Ille enim eſt cauſa cauſæ. Ergò & cujusque cauſati. Ille dat formam. Ergò & omnia conſequentia formam.

4 *Causa prima continet in se omnium secundarum perfectiones:*

Nimirū vel formaliter, ut Deus intelligit; vel eminenter, ut vis urēdi est in Deo, modo eminentissimo & ineffabili. Itaq;

Quidquid potest causa secunda, potest & prima.

Intellige causam secundam perfectionis, non defectionis. Non ergò sequitur: Homo potest errare. Ergò & Deus.

5 *Causa prima agit eminenter, sed secunda imitanter.*

Sic loquuntur scholastici. Sensus hic est. Causa prima non habet opus archetypo alio præter se. At secunda v. g. homo necesse habet primam tanquam normam sequi, ut ad similitudinem illius agat, si velit benè agere.

6 *Causa prima verè & semper est efficiens, nunquam deficiens.*

Verè; quia est ens super omne ens, & substantia super omnem substantiam. Proinde sicut se habet in essendo: ita in causando. *Semper:* quia si prima aliquando cessaret penitus, secunda in nihilum recideret protinus. Si enim nullus motus foret in hâc regione sublunari, si cessaret motus primi mobilis; multò magis nullus motus foret, si cessaret primus motor. *Nunquam deficiens:* quia Deus est ens perfectissimum. In perfectissimum autem nullus unquam cadit defectus. Itaq; causa secunda non est verè efficiens; quia per participationem ut est, ita agit: neq; semper, quia subinde deficit.

7 *Causa prima nullam omninò habet sui causam.*

Non enim foret prima, si ullo modo causatum esset. Non habet finem supra se; quia finis est perfectio ejus, cujus est finis. Et quod finem habet, aliò refertur, nempe ad præstantius & melius. Deus ipse summus est finis. E. non habet finem supra se. Non habet efficientem; quia implicat contradictionem, primam efficientem si quis dicat dependere ab aliâ superiori. Non materiam; quia omne materiatum est compositum, adeoq; imperfectum. Deniq; prima causa non habet formam; quia nulla forma sine materiâ, & sine efficiente.

8 *Deus potest supplere vicem omnis causæ secundæ.*

Quòd possit supplere vicem omnis causæ finalis & efficientis,

entis, extra controversiam est positum. Sed an possit supplere vicem materiæ & formæ, hoc est de quo disputari solet. Respon. Potest supplere vicem materiæ & formæ, sed non in genere materiæ & formæ. Hoc enim importat imperfectionem. Potest igitur hoc in genere causæ efficientis conservantis. Alii sic efferunt hunc canonem: *Causa prima potest effectus causarum secundarum sine ipsis producere.* Sic Deus potest producere actionem, quæ manat à formâ cœli, etiam formâ cœli sublatâ. Hoc tamen Durandus & Capreolus negant. Hîc solet moveri quæstio, an etiam Deus accidentia extra subjectum possit sustentare? Quidam dicunt, quòd possit potentiâ absolutâ: eò quòd hoc non implicet contradictionem. Deinde, ajunt, si Deus potest supplere vicem cujuslibet causæ secundæ; ergò multò magis supplere potest vicem subjecti. Addunt, Deum posse recipere accidentia, non in genere subjecti alicujus recipientis accidentia, sed in genere causæ efficientis conservantis. Sed nobis negativa videtur vera. Non enim est par ratio; si Deus potest supplere vicem omnis causæ, etiam vicem subjecti supplere potest. Nam formalis ratio accidentis est habere subjectum inhæsionis.

An Deus possit supplere vicem omnis causæ?

An Deus possit accidentia extra subjectũ sustentare?

9 *Deus immediatè agit cum omni ente creato.*

Est autem immediatio duplex. 1. Suppositi, cùm inter causam & effectum non est interjectum aliud suppositum, ut cùm aqua manum abluit. 2. Virtutis, cũ aliquid agit per virtutem non aliunde sibi communicatam, sive subjectum, in quod agit, sit immediatum agenti, sive ab eo distet: sic sol lumine suo terrã attingit, scil. immedietate virtutis. Deus agit utroq; modo immediatè, immedietate suppositi; quia est immensus; & virtutis, quia nihil habet ab aliquo sibi communicatum. Quemadmodum autẽ duplex est immedietas, ita & duplex est medietas, uti facile est intelligere ex opposito.

Immedietas duplex.

10 *Causa prima potest omnia;*

Si scil. 1. Non implicent contradictionem, ut Deus non potest seipsum negare. 2. Velit. Hinc Damascenus: πάντα μὲν ὅσα θέλει δύναται, οὐχ ὅσα δὲ δύναται, θέλει: ut *Matth.3.* videre est. Deus potuisset Abrahamo liberos ex lapidibus excitare, si voluisset. Cæterùm impossibilium duo sunt genera.

Impossibilium duo sunt genera.

1. Quæ per se, & suâ naturâ non possunt fieri; ἀδύνατα καθ' αὑτό, impossibilia ex parte rei seu objecti, quando res per se talis est, ut fieri non possit. Sic impossibile est, electum esse non electum. 2. Quæ ex parte ipsius agentis fieri non possunt: ut peccare est impossibile ex parte Dei. Deus enim non potest facere injusta; quia ipse est summa justitia. Huc pertinent axiomata:

1 Deus efficere non potest, ut contradictoria sint simul vera.

Nam Deus sibi non est contrarius.

2 Absolutè impossibile est, cùm prædicatum pugnat cum subjecto:

Ut hominem esse avem. Hoc enim evertit naturam, ejusque leges.

3 Quod imperfectionem significat, id à Deo fieri non potest.

Pugnat enim hoc cum naturâ Dei. Hinc *Hugo lib. 1. de sacram. part. 2. cap. 22.* Deus omnia potest, quæ posse ipsum potentia est, non imbecillitas.

4 Quæ sunt possibilia creaturæ respectu potentiæ passivæ, à Deo non fiunt.

Ratio hujus axiomatis petitur è tertio antegresso: quia potentia passiva, ut posse mori, dicit imperfectionem.

5 Deus plura potest potentiâ absolutâ, quàm potest actuali.

Potentia Dei absoluta est, quâ Deus plura potest quàm ordinariè facit: hanc vocant extraordinariam, exemtam, absolutissimam & obedientialem. Hâc fecit virginem parere. Et hâc plura potest, quàm vult. Illa tamen posse dicendus est, quæ non involvunt contradictionem. Ordinaria Dei potentia est, quâ Deus ordinem seu legem in naturâ semel positam in agendo observat liberè: hæc etiam dicitur actualis. Hâc quoq; potest & facit ea, quæ non implicant contradictionem. Itaq; Deus

1 non potest facere, ut ipse sit non Deus.
2 non potest sui odium præcipere.

3 non

3 non potest separare definitionem à definito.
4 non potest efficere, ut præteritum non fuerit, seu ut factum sit infectum.
5 non potest sententiam veram necessariò efficere falsam.
6 non potest seipsum in nihilum redigere.
7 non potest sedere, dormire, ambulare.
8 non potest facere alium Deum.
9 prima persona non potest odisse secundam & tertiam.
10 non potest agere in non-ens, hoc est, non potest facere non-ens.
11 non potest facere ut corpus aliquod sit infinitum.
12 non potest impium servare non-conversum.

Nam hæc omnia defectum includunt.

Excipiunt hîc quidam hoc modo: Quæ apud nos contradictionem implicant, ut homo est avis, apud Deum non implicant contradictionem. Sicut enim fecit, ut homo esset Deus: ita & hoc efficere potest. Resp. 1. Est insignis impietas, & inscitia in Theologicis crassissima, mysterium singulariter mirabilis & mirabiliter singularis unionis tam turpiter ad stabiliendam manifestam absurditatem rapere. 2. Est una veritas in conceptu Dei, & creaturæ rationalis: licet ibi sit perfectior. Itaque veritas ectypa consonabit archetypæ. Objicis: 1. Plenum impietatis est, potentiæ divinæ absolutissimæ cancellos præfigere, & decidere velle, quid ea possit, & non possit. Hoc est saltum facere è Logicâ nostrâ in divinam. 2. Deus potest illa, quæ sunt supra captum nostrum: ut corpus potest statuere in puncto, item idem numero corpus excitabit. Hæc contradictionem implicant apud nos, non autem respectu Dei. Resp. 1. Vos huc nos pertrahitis spinosis illis quæstionibus, quas paulò antè negavi. 2. Non præfigimus Deo terminos, sed sanctam ipsius naturam asserimus; & vindicamus ab omni imperfectione. 3. Paulò antè ostendi, veritatem uno modo se habere in intellectu increato & creato. Mittamus igitur has tenebras. Hîc obiter explicemus, quomodo Deus non possit agere in non-ens. Scal. *exerc. 365. s. 9.* contrarium statuit. Sed errat. Dum enim Philosophi dicunt, Deus non agit in non-ens, hoc volunt, τὸ μὴ ὂν non esse effectum Dei. Objicis: At potest omnia in ni-

hilum redigere. Respon. At τὸ nihilum ne sic quidem est effectum Dei, sed terminus ad quem. Objicis: Hic terminus est effectum. Respon. Si scil. sit positivus. At si negativus sit, non est effectum, sed tantùm terminus. Sic terminus à quo si positivus sit, est materia, at si negativus sit, est tantùm terminus, ut τὸ nihilum.

Causa secundùm quid prima est, quæ in certo tantùm genere prima est.

Ita motus primi mobilis est causa prima omnium motuum inferiorum.

Causa secunda est, quæ à primâ pendet.

De hâc sunt canones:

1 Causæ secundæ nulla est actio sine concursu primæ.

Alii sic enunciant canonem: *Causa secunda non movet nisi mota.* Ratio: quia dependet à primâ, ratione essendi & causandi, h. e. habet à primâ ut sit, & ut operetur. Hinc dicimus in Scholis: A quo res habet esse, ab eodem etiam habet virtutem agendi. Itaq;

Causa secunda est alligata ad primam.

Neq; tamen hoc modo tollitur libertas agentium consilio: sed tantùm summa libertas illis denegatur. Prima causa est liberrima; secunda est libera; ideoq; alligata, quoad dependentiam, non autem coactionem. Præterea hîc distinguas materiale peccati à formali. Illud à Deo est, quia bonum: istud à Deo dirigitur ad bonum.

2 Causa secunda est finitæ virtutis:

Quia finitæ & dependentis est essentiæ. Ergò Diabolus non potest 1. creare; quia creatio est constitutio substantiæ è nihilo; quæ constitutio non potest pendêre ab essentiâ finitâ. 2. concreare; quia concreatio includit creationem. Ergò ille, qui creavit substantias, etiam accidentia creat, vel si ita vis, concreat; & contrà.

2 Causa secunda est imperfectè causa.

Ratio; quia dependet à primâ. Hinc prima causa dicitur αἴτιον αὐτοτελές, secunda αἴτιον ἀτελές. Itaq;

Causa secunda ita est efficiens, ut sæpe sit deficiens.

Deficiens autem dicitur duobus modis. 1. Quod deficit in actio-

in actionibus naturalib. à perfectione primæ causæ. 2. Quod deficit in actionibus voluntariis. Ille defectus non est peccatum. Nam defectus naturalis est merè positivus; sed voluntarius per se est privativus, non positivus nisi per accidens. Itaque An omnis defectus malus sit?

Causa secunda non pendet à primâ quoad deficientiam, sed solùm quoad efficientiam.

Si enim recedit à perfectione primæ causæ dum deficit, certè ab ipsâ non pendebit eo ipso, quo deficit. Sicut ergò claudicatio equi non est à motu (motus enim non est ordinatus ad ἀταξίαν istam) sed ab aliâ ἀταξίᾳ, videl. malâ pedum dispositione: ita defectus creaturæ non est à primâ causâ, sed mutabilitate ipsius. Interim homo peccans pendet à Dei directione.

3 *Causa secunda deficiens, quâ talis, non est vera efficiens.*

Est quidem verè efficiens, sed non vera efficiens. Distinguas igitur inter efficientem sic dictam ἐν πλάτει, & κυρίως. Illo modo diabolus est causa efficiens peccati, non hoc modo. Quia causa κυρίως efficiens propter certum finem agit. At finis propriè dictus non est nisi bonus. Si ergò Diabolus propriè efficeret malum, peccatum esset bonum per se.

4 *Causa secunda in suo genere potest esse prima.*

Ita quod est primum in aliquo genere, est causa reliquorum. Ideò diximus, quòd Deus sit causa prima simpliciter, & quòd causa secunda possit esse prima καθ' τι, in aliquo genere causalitatis. Atque de hâc causâ intelligendus est canon: *Oportet in quaque re summam seu primam causam quærere*: ut anima est prima causa motus in animali.

Causa secunda est mediata, vel immediata.

Mediata est, inter quam & effectum ultimum aliæ intersunt.

Sic Deus salvat per verbum & sacramenta; avus est causa nepotis mediata.

Ejus canones sunt:

1 Causa mediata est causa in potentiâ respectu effectus ultimi.

Hinc philosopho dicitur αἴτιον κατὰ δύναμιν, item *causa in futuro:* quia eâ positâ effectus ultimus nondum est, sed tantùm esse potest. Itaque

Positâ causâ mediatâ non necesse est poni effectum.

Sic positâ animâ rationali non illicò ponitur scriptio.

2 Causa mediata potest esse immediata respectu ejus effectus, qui ei proximè adhæret.

Si enim non haberet effectum proximum, vel causa non esset, vel per accidens causa esset. Sic avus est causa proxima filii sui, cujus respectu dicitur pater, sed causa remota nepotis.

Estq; vel remota, vel propinqua.

Remota est, inter quam & effectum plures intercedunt:

Sic cœli motus est causa progressionis animalium, quia non una tantùm causa, sed plures intercedunt.

Propinqua est, inter quam & effectum tantùm una intercedit causa:

Sic elevatio vaporis in nubem est causa propinqua pluviæ, quia tantùm una intercedit, videl. resolutio nubis.

Causa immediata est, quæ proximè attingit effectum: *Græcis* αἴτιον ἄμεσον.

Ejus canones sunt.

1 Positâ causâ immediatâ seu proximâ, necesse est poni effectum.

Alii sic enunciant: *Causâ in actu positâ, impossibile est ut non sequatur effectum.* Hinc causa immediata dicitur *causa in actu,* respectu effectus proximi. Nam immediatâ & proximâ vi attingit suum effectum.

2 Causa proxima habet causalitatem, h. e. efficiendi facultatem, completam.

Hinc à Scholasticis dicitur *causa completa:* quia requirit complementum causarum remotarum & mediatarum omnium.

omnium. Nam omnis causa proxima præsupponit omnes intermedias.

3 *Unius rei non est nisi una causa proxima;*

Quæ aliâs dicitur *adæquata*. Atq; hæc est scientiæ fundamentum. Quilibet ergò hanc summo studio debet indagare. Sic v.g. sensus habet unam causam proximam, videl. animam sentientem.

Causa proxima est fons scientiæ κυρίως dictæ.

4 *Per causam proximam accidentia distinctè & perfectè cognoscuntur.*

Ratio: quia nullum accidens subjecto suo immediatè inest (ut vult Ramus) sed omne inest per causam. Errat ergò Ramus, qui demonstrationem Aristotelicam negat, eò quòd nulla sit causa proxima accidentium in subjecto: ideoque illa demonstrari non posse statuit de subjecto, quòd accidentia subjecto insint immediatè. De hâc cognitione intelligendum est illud celebratissimum Aristotelis: *Scire est rem per causam cognoscere.*

5 *Causa proxima investigatur sensu & examine Logico.*

Hîc proponuntur duo instrumenta seu media inquirendi causam proximam alicujus effectus. 1. Est sensus seu observatio. Sensuum enim judicium est infallibile, præsertim si omnia requisita fuerint salva & integra. 2. Est examen Logicum, quo rem cum re conferimus, & illud, quod sensus monstravit, examinamus ad canones Logicos, cujusmodi sunt definitio causæ proximæ & canones traditi de eâdem. Hoc examen Logicum Zabarella vocat regressum, seu comparationem Logicam, quâ progredior à causâ ad effectum, & vice versâ regredior ab effecto ad causam.

Regressus Logicus quis sit?

Causa proxima est interna, vel externa.

Interna est, quæ subjecto, cui effectum producit, essentialis est.

Tales causæ sunt materia & forma. Nam hæ duæ sunt causæ proximæ internæ multorum accidentium: ut materia est causa efficiens finitudinis; forma in homine, putà anima rationalis, est causa efficiens facultatis ridendi,

loquendi &c. Nota, quòd materia & forma respectu materiati & formati non sint causæ efficientes, sed respectu accidentium. Materia quidem illorum accidentium, quæ fluunt à quantitate; forma omnium qualitatum, & accidentium quæ à qualitate oriuntur.

Causa proxima externa est, quæ est extra essentiam subjecti, cui producit effectum.

Talis est omnis causa proxima, quæ neq; materia est, neq; forma: ut risus causa proxima est commotio cordis & diaphragmatis ex cognito objecto ridiculo.

Causæ cõtingenter subordinatæ sequũtur, cùm inferior à superiori nõ pendet suâ naturâ ac per se.

Sic statua pendet ab homine, non quâ homo, sed quâ est artifex; & peccatum pendet à voluntate hominis, non quâ voluntas est, sed quatenus corrupta est, aversa scil. à bono immutabili, Deo, & conversa ad bonum mutabile vel apparens. Nam hi duo termini, à quo, & ad quem, sunt in quovis peccato.

Cap. 7. Materia.

SAtis de causâ externâ, fine & efficiente: nunc de internâ, quæ essentiam causati constituit intrinsecè: *seu, quæ ingreditur essentiam causati.*

Estq; vel materia, vel forma.

De hâc divisione sunt hi canones:

1. Ex materiâ & formâ, tanquam ex potentiâ & actu fit unum per se.

Aliâs sic effertur: *E duobus imperfectis fit unum perfectum.* Materia autem & forma dicuntur principia imperfecta, item substantiæ incompletæ, respectu compositorum, quorũ sunt principia. Illa enim dicuntur perfecta, & substantiæ cõpletæ. Quamvis n. forma sit actus; non tamen est actus per se subsistens. Ideò dicitur imperfecta. Itaq; multò magis imperfecta erit materia. Dicitur notabiliter, *unũ per se*, uti est homo, constans ex corpore & animâ: ut excludatur unum per accidens, qualis est cumulus frumenti cõstans ex multis granis, ubi gra-

ubi granum ad granum non habet se ut potentia ad actum, sed omnia & singula grana sunt adæquè perfecta. Itaque

Materia & forma sibi mutuas præstant operas.

Sunt enim causæ internæ, mutuâ coordinatione inter sese ultrò citroque dantes & accipientes, suo modò utraque aliquam perfectionem. Etenim forma hoc facit, ut materia sit hoc aliquid, hoc est, aliquod determinatum: materia verò ut forma existat. Materia est receptiva & perfectibilis; forma verò receptibilis & perfectiva.

2 *Materia & forma sunt rei partes essentiales.*

Hoc principium apud omnes tum veteres, tum recentiores philosophos est indubitatæ veritatis: ut meritò ridendus sit *Heizo Buscherus*, qui formam rei partem esse negat.

3 *Materia rei non potest esse forma ejusdem.*

Ratio: quia materia & forma sunt opposita relata. Sic unitas cùm sit materia ternarii, non potest esse forma ejusdem, contra quam docet *Scal. ex. 365. s. 1.* Sic apud Ramum altera pars Logicæ judicium, cùm sit materia ejus, non potest esse illius forma, contrà quàm docent quidam Rami interpretes.

4 *Nulla est materia, quin habeat suam formam convenientem.*

Quælibet item forma materiam propriam requirit, quæ alterius rei materia esse nequit. Sic materia equi habet formam sibi convenientem, videl. equinam, & forma ista equina requirit propriam materiam, quæ alterius rei materia esse nequit. Sic hominis materia est propria, videl. humana: tauro sua materia est, taurina. Materiæ autem propriæ efficiuntur à formis propriis.

5 *De materiæ potestate forma physica educitur.*

Hoc axioma prorsus est Peripateticum. Triplex hîc se offert sententia. Quidam enim volunt, formas rerum naturalium creari seu esse è nihilo. Alii putant, illas produci à principiis naturalibus. Pleriq; existimant, omnes formas naturales emergere è sinu materiæ, exceptâ humanâ formâ. Et hæc est sententia Peripatetica, quæ tamen non caret controversiâ. Videris hâc de re Bodini theatrum naturæ, ubi egregiè hanc materiam disputat.

An formæ educantur è potentiâ materiæ?

6 *Materia est causa multiplicationis & confusionis, forma est causa distinctionis.*

Hinc forma dicitur mater distinctionis. Hoc axioma clarum est. Videmus enim ideo multos esse homines, quòd multæ sint illorum materiæ, è quibus constant, nimirum corpora. Eosdem distingui videmus à se invicem formis individuificis.

7 *Quidquid habet materiam, habet & formam, & contra.*

Ratio: quia materia & forma sunt *συνύπαρκτα, simul existentia* principia. Hoc axioma valet in campo physico. Nam forma metaphysicè accepta pro essentiâ non habet necessariò materiam. Hoc sensu Deus sæpe appellatur forma.

8 *Materia appetit formam.*

Intellige appetitum non voluntarium, sed naturalem: h. e. materia habet naturaliter inclinationem, quæ apta est habere formas. *Scotus l. 2. sent.* dicit, materiam habere duplicem appetitum; unum ad formam, quam nondū habet materia, & hunc vocat *appetitum desiderii*; alterum ad formam, quam materia possidet jam, & hunc vocat *appetitum complacentiæ.* Atque hoc est quod dicit philosophus, materiam appetere formam sicut mulier appetit virum. Nam & illa duob. modis appetit virum, appetitu desiderii & complacentiæ.

Materia habet duplicē appetitum.

Materia est causa interna, ex quâ materiatū est. Ejus canones sunt:

1 *Nihil cuipiam contrarium, potest esse illius materia.*

Ratio: quia contrarium unum agit in alterum expellendo. Hinc deciditur quæstio: An alimentum corpori sit contrarium? N. Cùm enim corpus fiat, h. e. augeatur ex alimento, necessum est ut alimentum sit materia corporis. Proinde corpori non est contrarium. Nam contrarii, ut diximus, hæc est natura, ut contrarium suum destruat.

An alimentum corpori sit contrarium.

2 *Materiæ nihil est contrarium.*

Intellige contrarium positivum, non negativum. Nam materia & privationem habet oppositam, & non-materiam tanquam contradictorium. Hic itaq; est canonis sensus: materiæ nulla forma substantialis, nullum accidens, nō natura,

non

non Deus, non ratio, nullum deniq; positivum contrariatur. Ratio hujus canonis petitur ex illo: *Substantiæ nihil est contrarium.*

3 Materia nunquam existit sola:

H. e. nunquam existit sine aliquâ formâ, licet sine eâ possit considerari tanquam sola & propria essentia. Hinc dicunt philosophi, considerandam esse materiam dupliciter: 1. absolutè, secundùm essentiam propriam, quæ est quidem ἄ-μορφος, ita tamen ut habeat actum entitativum, licet non habeat quidditativum. 2. σχετικῶς, relatè; & sic essentia ejus est formata & qualis.

4 Omne ens præter Deum habet materiam:

Scil. vel physicam, vel metaphysicam, quæ & analogica dicitur, vel logicam. Sic rerum naturaliũ physica est materia, metaphysicarum, ut angeli & animæ, metaphysica, fictitiarum fictitia. Qualis enim est res, talis quoq; est materia.

5 Una eademq; res non potest esse efficiens & materia.

Arist. 1. de gen. & corr. tex. 55. Contrà docent *Conimbricenses in 3. de animâ c. 8. q. 1. art. 2.* Conciliatio sic habet. Materia per se nunquam est efficiens, sed per accidens, quatenus est informata & qualis. Hoc ostendimus capite de causâ efficiente, quomodo materia possit esse causa proxima interna. Deinde materia sæpe accipitur pro δεκτικῷ, *subjecto.* Et hoc sensu materia sæpe est efficiens. Si objicias è Scaligero, Materia agit ut existat forma *ex. 307. s. 27.* & contendas ideò materiam per se efficientem esse causam, respondebo, hanc causalitatem materiæ non esse actionem externam, ideoq; nec motionem propriè dictam, sed duntaxat occasionalem.

6 Materiæ non tantùm est pati, sed etiam ad perfectionem aliquid conferre.

Patitur ratione formæ, quam excipit quasi gremio suo; confert ad perfectionem respectu compositi. Nam vi illius materiæ materiatum est. Falsum igitur est illud pronuntiatum: omne esse capitur à formâ: nisi intelligatur per restrictionem esse perfectum & specificum.

7 Materia idem est quod genus.

Intellige identitatem non essentialem, sed accidentalem, quæ est identitas qualitatis seu per similitudinem. Nam materia non est prorsus idem quod genus. Differunt enim in hoc, quòd genus prædicatur de specie in casu recto, materia de materiato non item. Hinc est, quòd propter magnam similitudinem genus plerumq; à materiâ capitur, sicut differentia specifica à formâ.

8 *Si materia est, materiatum esse potest:*

Ut si farina est, panis haberi potest; si ferrum est, gladius fieri potest. Et contrà, si materia non est in promtu, nec materiatum esse potest: ut si deest hordeum & lupulus, cerevisia coqui non potest. Dicitur in canone, *esse potest.* Non enim sequitur: farina adest, Ergò & panis. Huc pertinet illud tritum; *A posse ad esse non valet consequentia.*

9 *Cui tribuitur materia, ei tribuuntur ea, quæ materiæ sunt propria; & contrà cui adimuntur propria materiæ, eidem adimitur ipsa materia.*

Itaque sequitur: vitrum est fragile. Ergò & poculum vitreum. Hominis elementa sunt corruptibilia. Ergò & ipse homo, quatenus ex iis constat. Item: Quidquid non constat ex elementis, non alteratur. Sed stellæ non constant ex elementis. Ergò nec alterantur. Observa nos hîc semper loqui de materiâ propriè dicta, quæ aliâs vocatur *materia ex quâ*: non de materiâ impropriè dicta, quæ similitudine quâdam materia dicitur, ut est materia *in qua* & *circa quam.* Illa enim est subjectum recipiens, ista objectum.

Materia est sensilis, vel intelligibilis.

Materia sensilis est, ex quâ materiatum sensile est: *Græcis* ὕλη αἰσθητή, *aliâs* materia corporea *dicitur, &* Physica.

Et hæc materia semper est substantialis univoca, nunquam accidentalis.

De hâc in genere est canon:

Quidquid est corpus, habet materiam corpoream; & quidquid habet materiam corpoream, est corpus.

Nota hîc triplicem esse acceptionem corporis. 1. Est corpus ma-

pus mathematicum, species quantitatis, ipsâ trinâ dimensione constans. 2. Corpus significat alteram partem compositæ substantiæ physicæ, ut homo dicitur constare ex animâ & corpore. 3. Significat substantiam completam; & sic corpus dividitur in animatum & inanimatum. Ita dicimus, homo est corpus, per prædicationem generis de specie, non autem materiæ de materiato. Canon loquitur de tertiâ corporis acceptione. Corpus tribus modis dicitur.

Materia sensilis primò est permanens, vel transiens.

Permanens est, quæ in materiato permanet actu, suam naturam atq; nomen retinens. *Alio nomine dicitur materia* conjunctionis *&* compositionis, *item* materia antecedens:

Ut cum ex ære fit statua, ex corio calceus, ex corpore organico animal.

De hâc est canon:

Materia permanet & servatur in re generatâ.

Item: *materia compositi non abjicitur, non aboletur.* Item: *materia est actu in composito.* Hæc axiomata loquuntur de materiâ permanente, quæ post completum generationis & productionis actum salva existit: ut corpus hominis, calamus anserinus calami scriptorii est materia.

Materia transiens est, ex quâ essentialiter immutatâ materiatum fit.

Dicitur aliâs materia dispositionis, alterationis, & transmutationis: ut cùm ex ovo fit pullus, ex sanguine caro, ex aquâ & farinâ panis. Ejus canones sunt:

1 Materia transiens essentialiter transmutatur.

Proinde completo generationis actu non existit amplius. Nihilominus est in materiato virtualiter, ut terra in homine.

2 Materia transiens, ut non retinet naturam suam, ita nec nomen.

Hinc etiam vocatur *variata*, sicut permanens quibusdam dicitur *invariata.* Sic vinum est materia variata seu transiens aceti.

Deinde materia ſenſilis eſt totalis, vel partialis.

Totalis eſt, quæ ſimpliciter & perfectè materiatum conſtituit:

Ut tres propoſitiones ſunt materia totalis ſyllogiſmi, ſemen viri & fœminæ junctum eſt materia totalis hominis.

Partialis eſt, quæ ſecundùm quid & imperfectè materiatum conſtituit:

Ut concluſio eſt materia partialis ſyllogiſmi.

Eſtque principalis, quę primariò conſtituit materiatum; vel minùs principalis, quæ ſecundariò.

Hoc ſenſu ſemen virile dicitur materia principalior hominis, fœmineum verò minùs principalis. Item farina dicitur materia principalis panis, aqua verò minùs principalis.

Tertiò materia ſenſilis eſt prima, vel ſecunda.

Materia prima eſt, quæ aliam ſe priorem non habet, ex quâ orta ſit.

De hâc ſunt canones:

1 Materia prima nullo reſpectu poteſt habere rationem materiati.

Hic canon deducitur è definitione. Nam quod ſimpliciter primum eſt in ordine cauſæ alicujus, nullo modo poteſt eſſe cauſatũ. Objicis: at ex nihilo nihil fit. Ergò materia prima eſt ex aliquo ſe priori. Reſp. Phraſis illa, *ex nihilo*, ſignificat duo. Ex nihilo, tanquam ex materia nihil fit. Hoc verum eſt. Deinde ex nihilo, hoc eſt, nullo præſuppoſito ſeu præexiſtente nihil fit, hoc falſum eſt de creatione, de generatione verum.

2 Materia prima eſt una ſpecie, partibus dividua.

Hoc eſt, una eſt materia, quæ diſtributa eſt in ſingula individua. Sic materia prima in muſcâ & elephanto eſt una ſpecie ſeu eſſentiâ: interim partibus eſt dividua. Nam elephas aliquid geſtat de materiâ primâ, item muſca aliquid. Si hanc materiam lubet appellare *minimum naturale*, ſeu ἄτομον φυσικὸν, non repugno. Itaque

A materiâ primâ non poteſt peti differentia.

Eſt enim

Est enim nimium generalis.

3 *Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis.*

Quamvis enim sit creata, tamen non est generata. Quòd autem sit creata, sic patet. In omni causarum genere datur aliquod primum. Ergò & in genere materiæ. Si igitur est prima materia, illa erit creata, vel increata. Si increata, non est materia; quia omne materiatum est creatum. Non ergò potest constare ex materia increata. Cæterùm nos hîc agimus de materia prima Mosaica, non Aristotelica illa: interim axiomata Aristotelis sana ad Mosaicam accommodamus.

4 *Materia prima est potentia ad esse & non esse.*

Hoc est, rebus sublunaribus est proxima causa, ut gignãtur & intereant; sed cœlestibus corporibus est causa remota ad esse & non esse. Quò minùs enim illa gignantur & intereant, facit Dei voluntas, juxta illud Scaligeri: Cœlum non habet destructorem, sed conservatorem. Quòd quidam dicunt, cœlum esse materiæ expers, frivolum est. Etenim omne corpus est materiatum. In rebus sublunaribus, dum materia formam recipit, res genita accipit esse: dum verò abjicit formam, res eadem interit. Si hoc idem fieret in rebus cœlestibus, mundus consistere non posset. Cæterùm illa materiæ potentia dicitur δυνάμις ἀντιφάσεως, *potentia contradictionis*: quia tendit ad esse & non esse. Hinc axioma: *Omnia agentia materiata seu physica habent potentiam contradictionis*, hoc est, materiam illam primam, quâ ita sunt, ut etiam possint non esse. Hinc materia dicitur principium non essendi. *2.Metaph.cap.7.* Objicis: At est principium essendi & constitutionis. Resp. Materia per se est causa ex qua res est: sed per accidens facit, ut res non sit, scilic. ratione privationum, quibus referta est; & ita machinatur interitum. Hoc sensu Philosopho dicitur κακοποιόν τι, dum qualitates priorum formarum expultrices & profligatrices admittit.

Δυνάμις ἀντιφάσεως quid sit?

5 *Materia prima est informis.*

Consideratur illa duobus modis. Secundùm notionem absolutam est in prædicamento substantiæ; & ita est infor-

mis, quatenus eſt altera pars compoſiti. Secundùm notionem relativam conſideratur tanquam aliorum principium; & in hoc conceptu eſt formata. Nam ſic neceſſariò conjunctam habet privationẽ. At privatio nulla eſſe poteſt ſine aliquâ formâ præſenti, quę removenda eſt, ut alia ſeu nova introducatur. Hinc illud: *Ex materiâ nudâ nihil poteſt generari.*

6 *Materia prima eſt indeterminata & ad multa indifferens.*

Si enim conſideretur in ſuâ latitudine, absq; præviis diſpoſitionibus exiſtit, quæ materiam determinant & limitant ad certam formam recipiendam. Sic ergo materia prima conſiderata, modò ad formam culicis, modò ad formam elephanti recipiendam eſt apta.

Materia ſecunda eſt, quæ à primâ dependet.

De hâc ſunt canones:

1 *Materia ſecunda ita eſt materia, ut ſimul ſit materiatum.*

Materia quidẽ eſt reſpectu materiati ſui; materiatum verò eſt reſpectu primæ materiæ, à quâ pendet. Sic ergò eſt materia, ut ſimul ſit compoſitum materiale: quod de primâ dici nequit, quæ ideò *ſimplex* & *abſoluta materia* appellatur.

2 *Materia ſecunda neceſſariò eſt determinata ad certam & unicam formam.*

Sic materia aſini tantùm determinata eſt ad formam aſini, non ad formam muſcæ vel hominis.

Materia ſecunda eſt mediata, vel immediata.

Mediata eſt, ex quâ per interventum alterius materiæ eſt materiatum.

Eſtque remota, vel propinqua.

Remota eſt, quæ materiatum conſtituit remotè: *ut elementa ſunt materia hominis remota.*

Propinqua eſt, quæ materiatũ cõſtituit propinquè: *ut ſemen humanũ eſt hominis materia propinqua.*

Materia immediata eſt, quæ proximè conſtituit

tuit materiatum ſine interventu ullius materiæ;

Unde & proxima dicitur: ut corpus organicum eſt materia hominis. Hæc materia vulgò vocatur coëxiſtens, quâ res cõſtat: ſicut mediata, prę̨exiſtẽs, ut terra eſt materia Adami.

De hâc eſt canon:

Quando aliquid dicitur potentiâ tale, propriè id convenit materiæ proximæ, non remotæ.

Non igitur ruſticum dices potentiâ doctorem, ſed de ſtudioſo bonarum literarum hoc affirmabis.

Sequitur materia intelligibilis, ex quâ materiatum incorporeum conſtat: *Græcis* ὕλη νοητὴ, *alio nomine* ὕλη ἀσώματος, materia incorporea *dicitur.*

Materia ſenſilis eſt rerum naturalium ſeu phyſicarum & artificialium: at intelligibilis eſt ſpirituum, rerum mathematicarum, & Logicarum, ſeu notionum ſecundarum; & uno verbo, omnium rerum abſtractarum, prę̨ter Deum. Hinc materia intelligibilis alio nomine *materia abſtracta & analogica* dicitur. Falſum autem eſt, quòd quidã contendunt, omnem materiam intelligibilẽ eſſe accidentalem. Nam ſpirituũ creatorum materia non eſt accidentalis. Sic ergo de materiâ intelligibili habendũ. Res creatę̨ abſtractę̨ ſunt vel ſubſtãtię̨, vel accidentia. Abſtractarum iſtarum ſubſtantiarum materia analogica eſt ſubſtantialis. Tales ſubſtantiæ ſunt angelus & anima rationalis. His tribuitur materia, non craſſa, ſed naturæ ipſorum conveniens; quam ſuprà vocavimus metaphyſicam, nimirum ex hypotheſi illorum, qui de intelligentiis & animâ docent in primâ philoſophiâ. Accidentiũ verò materia eſt accidentalis: quo pacto ex punctis dicitur fieri linea mathematica, ex lineis tribus triangulum mathematicum, ex literis vox, è ſubjecto & prædicato propoſitio, è trib. terminis ſyllogiſmus. Hoc quoq; modo præcepta animo comprehenſa dicuntur materia alicujus diſciplinæ.

Materia intelligibilis quarum rerum ſit?

Cap. 8. Forma.

FOrma eſt cauſa interna, per quam formatũ eſt: *Græcis eleganti vocabulo dicitur* ἐντελέχεια. *Sicut materia duplicem exercet cauſalitatẽ, vid. reſpectu ma-*

teriati & formæ: ita & forma, unam respectu formati, alteram respectu materiæ exercet. Illa est principalis, ideoque expressa in illius finitione.

Definitum in hâc definitione est ambiguum. Primò quidem ratione officii forma alia dicitur *informans*, quæ rem intrinsecus perficit: alia *assistens*, quæ rei in suo esse jam constitutæ dat motum. Ita Peripatetici docent intelligentias orbium cœlestium esse formas assistentes, sicut nauta dicitur forma navis. Sic quidam dixerunt animam rationalem esse formam hominis assistentem. Nos vocabulum formæ priori significatu accipimus. Deinde ratione dependentiæ & independentiæ tres numerantur formarum gradus & ordines. 1. Est forma simplicissima, quę est ipsissimum esse simpliciter, non accipiens suum esse à causa alia superiore, nec recepta in alio inferiori ente tanquam principium internũ. Hoc sensu Peripateticis nostris Deus dicitur *forma purissima, forma formarum,* & *purissimus actus.* 2. Sunt formæ, quæ recipiunt suum esse aliunde, & non recipiuntur in materiâ; ut intelligentiæ, quæ dicuntur *formæ puræ*, item *mediæ.* 3. Sunt formæ in materiâ, seu cum materiâ conjunctæ, ut formæ substantiales & accidentales. Hæ dicuntur *formæ concretæ* & *conjunctæ.* Nam formæ superiores sunt ab omni materia sensili sejunctæ. Nos attendimus ad tertiam acceptionem; & de formâ in genere proponimus hos canones.

Tres formarum gradus.

1 Forma est nobilior materiâ, entitate, præstantiâ virium, functionibus, & titulo.

Entitate: quia materia est ens indeterminatum, sed determinabile per formam; forma verò est ens determinatum & determinans materiam, sicut actus potentiam determinat. *Præstantiâ virium:* quia vires materiæ referuntur ad potentiam passivam, at vires formæ ad potentiam activam. Jam verò potentia activa est nobilior passivâ. *Functionibus:* quia materia importat omnis generis mutabilitatem & imperfectionem, forma autem omnimodam perfectionem: quam ob causam ἐντελέχεια dicitur. *Titulo* denique: quia forma est magis natura, & magis causa quàm materia. Nam materia tametsi est natura & causa, non tamen est primaria, sed propter formam est talis & tanta. Itaque

Forma

Forma est prior materiâ secundùm naturæ intentionem.

Aliquid dicitur πρότερον φύσει, *prius naturâ*, duobus modis; naturâ scilic. vel generante, vel intendente. Materia quidem est prior formâ quoad generationem. Nam materiæ est, formam quasi hospitio excipere. Et hanc ob causam materia Aristoteli dicitur æterna, formæ autem caducæ. Sed forma est prior materiâ, quatenus natura priùs intendit id quod est perfectius. Jam verò forma est perficiens, materia perfectibilis. Forma igitur est prior materiâ secundùm naturæ scopum: ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Quomodo forma sit prior materiâ?

2 *Dans formam dat consequentia formam.*

Sic quod dat ignem, & igni formam, dat eidem motum & operationem. Itaq; calor ignis ab ejus materia non generatur, sed ab eo, qui ignem produxit, procreatur. Ais: at calor ignis est à forma ipsius essentiali. Ergò non à formæ datore. Ajo: Causa causæ est etiam causa causati. Itaq; calor ignis utrumq; respicit, & formam & formæ datorẽ. Dans nimirum formam, ut causa procreans, dat consequentia formam, ut effecta per emanationem. Hæc enim dicuntur consequi formam, quæ per modum sequelæ ab ea producuntur, sicut facultates animæ sunt ab ipsa anima per emanationem.

3 *Forma & finis interdum idem sunt.*

Hoc est, una eademque res potest & formæ & finis rationem sustinere. Formæ quidem: quatenus constituit hoc aliquid, adeoque est ratio essentiæ. Finis verò: quatenus est id, propter quod efficiens agit, seu cujus gratiâ aliquid fit. Sic forma domus est quoque finis, cujus gratiâ architectus materiam præparavit. Sic quęvis natura generans, formam tanquam finem intendit, ut videre licet è consectario canonis primi hujus capitis. Alii sic efferunt hunc canonem: *Finis generationis est forma rei genitæ.*

4 *Formarum cognitio difficillima & abstrusissima est.*

Ratio: quia nulla per se incurrit in sensus. Vitreũ vas hîc lambimus, pultem non attingimus, ut ait Scaliger in nobili exercitatione, *sect.12.* Nobilis illa exercitatio est 307. Dico, *per se.* Nam forma per accidens incurrit in sensus. Nostra Cognitio formarum difficillima.

igitur ſcientia eſt velut umbra in ſole, & tanquam oculus nycticoracis in luce meridianâ. Num verò formas artificiales aſſequamur ſatis, non ſatis video; cùm ſuo quoq; modo illæ ſint internæ, & conſtituant rem artificioſam. Hâc de re OEdipi, non Davi ſit judiciũ. Ego certè malo hîc eſſe ἐφεκτικὸς quàm θετικός, ut & in illâ quæſtione, an cognitio formarũ angelis ſit negata, ita ut ſolus Deus illam ſibi reſervarit?

5 *Nihil in rebus creatis eſt formæ expers.*

Ratio: quia omnis res creata ſuam ſibi habet materiam. Jam verò neceſſaria eſt connexio inter materiam & formam. Deinde quælibet res creata habet propriam eſſentiam. Atq; hinc probatur, materiam primam ſeorſim absq; formâ non exiſtere.

6 ***Differentia ſecundùm majus & minus non variat formam ſive ſpeciem.***

Sic albedo pura & puriſſima differunt quidem gradibus: at non ſpecie, vel formâ ſpecificâ. Sic eruditio excellens à mediocri differt tantùm gradu. Scholaſticis hæc *differentia* dicitur *gradualis*.

7 ***Poſitâ formâ ponitur formatum, & ſublatâ tollitur.***

Si enim forma eſt ratio eſſentiæ, neceſſum eſt, ut illâ poſitâ ponatur res ipſa. Nota, quòd poſitâ formâ ponatur res primò ſeu immediatè, & ſublatâ tollatur primò. Nam poſitâ riſibilitate ponitur quidem homo, ſed non πρώτως, non ἀμέσως. Non ergo ſic licet argumentari: Quo poſito res ponitur, illud eſt forma. At poſitis proprietatibus res ponitur. Ergo. Nam in majori propoſitione addenda eſt vocula πρώτως, *primò*. Itaque

1 ***Res in certo gradu entium per formam ponitur.***

2 ***Unumquodq; eſt & denominatur τὸ δέτι,*** hoc aliquid, ***ratione formæ.***

3 ***Omnis primaria diſtinctio & determinatio à formâ proficiſcitur.***

4 ***Formæ debentur operationes compoſiti, & ejus paſſiones debentur materiæ.***

5 Po-

5 *Positâ formâ ponuntur tria, esse rei, distinctio, & operatio.*

6 *Omne quod est unum, per suam formam est unum.*

Nam unum est, quod in se est indivisum, & divisum seu distinctum ab omnibus aliis naturis.

7 *Ab unâ formâ provenit unum esse, non plura.*

Hoc est, una forma constituit unam rem.

8 *Forma prior est formato.*

Absurdus ergo est *Bellarminus, qui libr. 2. de justif. cap. 4.* charitatem facit fidei formam, cùm fides sit prior charitate. Nauci itaque est illa divisio: fides est informis, vel formata per charitatem.

Formæ divisiones sequuntur, numero tres.

Forma primò est substantialis, vel accidentalis.

Forma substantialis est, per quam substantia est id quod est: *alio nomine dicitur* forma primaria, *item* forma substantiæ. **Forma substantialis.**

Ejus canones sunt:

1 *Forma substantialis non est principium alicujus effectus, nisi interventu formæ accidentalis.*

Verum est hoc de effectibus per transmutationem, non per emanationem. Sic calor emanat à formâ ignis sine interventu accidentis. At anima hominis nihil agit extra se, nisi interventu accidentis alicujus, ut quantitatis, qualitatis. Hinc *qualitates* vocantur *arma* & *instrumenta formarum.*

2 *Forma substantialis consistit in indivisibili.*

Μορφῆς οὐσία ἐν ἀτόμῳ. Etenim forma substãtialis est simplex quid, ideoq; non est capax partium vel graduum, hoc est, non possumus illi apponere partes vel gradus. At formæ accidentales, quales sunt calor, color, eruditio, sunt divisibiles, hoc est, admittunt partes & gradus. Sic quantitas hominis successivè & partialiter acquiritur; sic calor in aquam introducitur gradualiter. Hinc philosophus formas substãtiales comparat numero, cui si addas, vel demas aliquid, non **Forma quomodo consistat in indivisibili?**

manebit idem numerus,qui antè fuit; ut si binario addas unitatem, non manebit idem numerus,qui antè fuit,sed erit ternarius. Ita si formæ substantiali addas vel demas aliquid, protinus desinit esse forma substantialis : vel potiùs, non potest esse forma substantialis, cui aliquid addi vel demi potest. Huc pertinent axiomata : *Forma est indivisibilis : Forma est velut numerus, cui nihil addi, nihil demi potest,eodem numero permanente: Formale caret partibus: Forma est simplex, & ex duobus componi non potest : Formà non variatur,non augetur,non deminuitur, licet compositum varietur, augeatur, deminuatur : Formam qui majorem minorémve dixerit,is abutetur patientiâ sapientum : Formæ non inveniuntur in aliquo magis: Nulla forma admittit intensionem & remissionem.* Hinc evincitur,gravitatem terræ non esse formam illius: quia etiam aqua habet gravitatem,sed remissiorem quàm terra. Interim forma extenditur & divisibilis est per accidens, videlicet ad extensionem & divisionem materiæ,hoc est,forma substantialis est indivisibilis ratione essentiæ, quæ novum gradum superadditum non admittit, sed tamen dividitur & extenditur ratione quantitatis materiæ. *Scalig.exerc.299.sect.2.exerc.101.sect.15.* Ratio hujus extensionis est: quia materiæ portio nulla esse potest sine formâ præsentissimâ & conjunctissimâ. Itaque crescente materiâ formam promoveri seu diffundi necessum est. Forma enim est veluti lux,quæ se promovet,non augetur appositione. Atque hoc modo forma per materiam extenditur.

Forma substantialis est materialis, vel immaterialis.

Forma materialis est, quæ à materiâ sejuncta non potest subsistere. *Aliis dicitur* forma corporeitatis.

Tales sunt omnes formæ præter animam rationalem, ut formæ elementorum & animalium brutorum.

Ejus canones sunt.

1 Forma materialis dependet à materiâ in fieri, in esse, & operari :

Hoc est, illa forma nunquam est in actu, nisi cùm est alicujus

cujus corporis actus. Sic anima equi nihil est actu, nisi cùm est actus & forma corporis hujus vel illius equi.

2 *Forma materialis nunquam est principium quod, sed duntaxat principium quo.*

Anima nostra esse potest principium operationis quod, scilicet agit: at forma materialis nullo modo. Sic forma ignis propriè non calefacit, sed ignis per formam: & anima equi propriè non vivit & sentit, sed est principium quo equus ipse vivit & sentit.

Forma immaterialis est, quæ sic informat, ut tamen sejuncta à materiâ possit subsistere.

Talis est electi hominis anima rationalis, quæ separata à corpore vivet cum Deo & beatis spiritibus. Et quidẽ hæc est unica forma informans immaterialis. Nam Deus & angeli vocantur formæ, ut sub initium hujus capitis diximus, immateriales quidem, sed non informantes.

Canon de hac forma est unicus.

Forma immaterialis non abolet materiales in eodem composito.

Quatuor sunt formarum gradus in physicis. Nam sunt formæ: 1. Quę dant esse tantùm: uti est forma cœli, elementorum, lapidum, succorum, meteororùm, & cujusque corporis inanimati. 2. Quæ dant præterea τὸ vivere: ut sunt formæ arborum, fruticum, suffruticum. 3. Quæ dant præterea τὸ sentire: ut est anima sensitiva. 4. Quæ dant τὸ intelligere: ut est anima rationalis. In hâc scalâ una forma ab alterâ differt realiter. Nam quæ separata sunt, realiter differunt. At si concurrant in uno supposito, ut in homine concurrunt omnes illæ quatuor, in bestiâ tres priores, in plantâ duæ priores; si, inquam, concurrant, quæritur, quomodo differant? Resp. Realiter. Nam forma immaterialis non tollit materialem, sed perficit. Ergo nec una materialis alteram abolebit, sed ea, quæ est perfectior, imperfectiorem perficiet. Hâc de re paulò pòst. Quatuor gradus formarum in physicis.

Forma accidentalis est, per quam accidens est id quod est. Latiniùs dicitur forma accidentis.

Accidens omne habet ſuam eſſentiam conflatam ex actu & potentiâ. *Scalig. exerc. 325. ſect. 2.* Omne itaq; accidens habet propriam formam. Ita vocis forma eſt ejus ſignificatio; bonæ legis forma eſt ipſius officium, ut loquuntur. Huc etiam pertinet forma artificialis, de quâ teneatur illud; ἡ τέχνη ἐκ ἀπεργάζεται ἐσίαν.

Secundò forma eſt totalis, vel partialis.

Forma totalis eſt, quæ informat totum compoſitum. *Latinius dicitur* forma totius.

Et hæc eſt ipſa eſſentia ſeu quidditas: ut hominis forma eſt humanitas, aſini aſininitas, juxta illud: *Abſtracta ſunt formæ concretorum.*

Forma partialis eſt, quæ informat alteram compoſiti partem.

Sic anima rationalis dicitur forma hominis, quatenus ſcilicet informat ipſius materiam proximam, quæ eſt corpus. Aliâs *forma totalis* dicitur, quæ ſuum eſſe toti tribuit; & *partialis*, quæ tribuit eſſe parti totius. Hoc modo anima dicetur forma totalis, & manus dicetur habere formam partialem. Et de hâc dicitur: Multę formę partiales poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, non tamen ſecundùm idem, hoc eſt, eandem partem, licet inter ſeſe habeant convenientiam. Sic alia eſt forma naſi, alia pedis, &c.

Tertiò forma eſt vel univerſalis, vel ſingularis.

Forma univerſalis eſt, quæ rem univerſalem informat.

Eſtque vel generica, vel ſpecifica.

Forma generica eſt, quæ formato tribuit eſſe generale: *unde &* forma generalis, *item* communis *dicitur.*

Eſtque remota, vel propinqua: quarum illa remotè, hæc propinquè formatum ſuum conſtituit.

Sic anima vegetativa eſt forma hominis generica remota; ſed anima ſentiens (quę eleganter dicitur ſenſifica) eſt ejusdem forma generica propinqua. Vocatur forma generica;

rica; quia formatum hanc talem formam habet à suo genere. e.g. anima & animal se habent tanquam forma communis & genus. Ideò illa vocatur forma generica.

Ejus canon est:

Forma generica cum formato speciali reciprocari nequit.

Ratio est in propatulo; quia genus latiùs patet unâ specie. Quamvis ergo anima reciprocetur cum animali: non tamen potest reciprocari cum hoc animali, puta homine.

Forma specifica est, quæ formato tribuit esse speciale. *Alio nomine dicitur forma* propria, *&* proxima.

Ejus canones sunt:

1 Forma generalis dat actum imperfectum, specifica perfectum.

Nam genus est imperfectius specie. Genus quidem perfectius est, quatenus cum specie communicat suum esse: sed imperfectius est, quatenus sui contractionē accipit à specie.

2 Forma specifica est complementum formarum generalium.

Hoc est, illarum est perfectio, & ad illos se habet, tanquā actus ad potentiā: ut videre est in homine, in quo anima intellectiva perficit sensitivam & vegetativam, non abolet.

3 Forma specifica dat rei non solùm essentiam, sed etiam existentiam.

Actus est duplex, essentiæ & existentiæ. Forma specifica utroq; modo est actus. Illa enim constituit rem in certâ specie. Species dicuntur, quæ sunt proximæ individuis, & uno duntaxat gradu illis superiores, ut in arbore substantiæ videre est. Hæ species non solùm sunt, sed etiam existunt secundùm quid. Et hinc deciditur illa vexatissima quæstio, an forma specifica evadat individuifica, h.e. limitantibus & individuantibus conditionibus prædita? Affirmatur. Dum enim individuantes conditiones accedunt, forma, quæ hactenus fuit specifica, evadit individuifica. An forma specifica evadat individuifica?

4 Forma specifica cum formato suo reciprocatur.

Ratio, quia non latiùs patet illa specie, quam informat.

5 Unius rei non possunt esse plures formæ specificæ.

Hoc enim formatũ esset triceps Cerberus, quippe quod à seipso differret specie. Una itaque unius rei est forma specifica & totalis. Possunt tamen unius rei esse plures formæ generales. Sic homo est vivens, per animam vegetantem; est animal, per animam sensificam; est homo, per animam intellectivam. Alii sic efferunt hunc canonem: *Duæ formæ specificæ non possunt esse in eâdem materiâ.* Fieri enim non potest ut una res sint duæ species distinctæ.

6 Formæ propriæ & specificæ non tollunt formam communem seu generalem.

Nam species non tollit genus, sed determinat & perficit.

7 Formæ specificæ multæ sub unâ formâ specificâ contineri non possunt.

Nam forma generalis duntaxat habet potestatem recipiendi actum specialem perfectiorem.

8 Forma unius speciei est incommunicabilis alteri speciei.

Fieret enim specierum confusio, & implicatio contradictionis, si formæ specificæ forent communicabiles. Homo scilicet fieret bestia, & bestia homo.

9 Omne quod est, per suam essentiam seu formam est, & non per essentiam alterius.

Nam & hoc implicat manifestam contradictionem.

10 Omnis forma specifica est certæ materiæ.

Ergò nulli sunt λυκάνθρωποι. Nec enim anima hominis migrare potest in materiam lupi, eamque informare.

11 Forma specifica est constitutiva & divisiva simul.

Græcis dicitur συςατική τε καὶ διαιρετική. Constitutiva est quatenus formatum cõstituit; divisiva, quatenus formatum ab aliis distinguit. Et hinc differentia specifica dicitur, quæ formâ specificâ petitur. De hac dicitur: *Differentia est symbolum formæ, sicuti genus materiæ.*

Form

Forma singularis superest, quæ rem singularem informat. *Hæc communi termino dicitur* indivi- duifica, numerica, *&* principium individuificum, *vel* individuationis: Principium individuationis quodnam sit ?

Ut est anima rationalis Platonica, anima sensitiva Bucephali, anima vegetans hujus salviæ. Scholastici utuntur hîc vocabulis barbaris, ut sunt hæc lapideitas, Platonitas &c. Multæ spinosæ quæstiones traduntur in scholis, quibus etiam optima ingenia fodicantur, de hoc individuationis principio. Nos ita statuimus, formam specificam evadere individuificam accedentibus conditionibus individuantibus; ita ut major sit distinctio formæ specificæ à genericâ, quàm specificæ ab individuificâ. Est enim verbi gratiâ, major distantia inter hominem & animal, quàm inter hominem & hunc hominem; ita ut faciliùs contrahatur humana natura ab Aristotele, quàm natura animalis ab homine. Huc fortè respexit Ramus, quando speciem divisit in subalternam, & specialissimam, per hanc intelligens individuum.

Hæc de illo Logicorum omnium instrumentorum utilissimo, causâ nimirum, prolixiùs tradenda fuerunt. Quanquam quid dico prolixiùs? Pleniùs dicere debebam. Nulla enim hîc prolixitudo est, sed rei ipsius amplitudo, quam mutilare velle non est excitati ingenii.

Cap. 9. Causatum.

SEquitur causatum, quod est argumentũ consentaneum seu conjunctum primarium, vi causationis passivæ arguens causam.

Ejus canones sunt in genere isti.

1 *Causatum, quâ causatum, simul est cum suâ causâ.*

Hæc enim est natura relatorum, ut sint ἅμα φύσει. Nihilominus tamen causatum est posterius causâ suâ naturâ, non tempore. Sic lumen & sol, facultas nutritiva & anima, sunt simul tempore, & simul naturâ, quatenus relata; licet sol prior sit lumine, natura absoluta; & anima facultate nutriti-

Quomodo decreta Dei sint æterna?

va. Hinc solvitur difficilis illa controversia, quomodo decreta Dei sint æterna, cùm sint opera Dei? Nimirum Deus quà decernens & decretio sunt relata. Sic igitur sunt simul. At Deus absolutâ notione prior est naturâ. Hanc ad rem declarandam insigniter facit simile, quod petitur à naturâ solis & luminis.

2 *Omnis effectus est compositus in rebus creatis.*

Fit enim congressu quatuor causarum: ideoq; habet in se vim efficientis & finis, item aliquid materiæ & formæ. Hoc adeò verum est, ut etiam accidens habeat quatuor causas, ut ait *Saliger exercitat. 307.* Compositionem intellige, vel naturalem, qua aliquid dicitur compositum ex materia & forma propriè dictis; vel analogicam seu proportionalem, in qua materia potentiæ & formæ actus rationem & appellationem subit.

3 *In causato requiruntur duo, esse & tale esse.*

Esse, hoc est, forma seu essentia. *Tale esse*, hoc est, accidentia, quæ vel essentialia sunt, formam sequentia, vel accidentalia. Est enim accidens duplex, ut infrà patebit in loco de adjuncto.

4 *Quidquid est in causato, illud præexistit in causâ vel formaliter, vel eminenter.*

Formaliter, h. e. eodem modo, seu secundùm eandẽ formam & essentiam. *Eminenter*, h. e. secundùm virtutem. Sic filius genitus præextitit in parentibus formaliter; quia eodem modo se habet essentia filii, ut essentia parentum. Et hæc formalis præexistentia habet locum in causis & effectis univocis, ubi causa & causatum sunt ejusdem generis. Sed eminens & virtualis præexistentia in æquivocis, ut in vino & calore, qui ab illo existit. Alii sic efferunt: *Quidquid dat, habet id quod dat, vel virtualiter, vel essentialiter.* Item: *Quidquid est in effectu, praexistit in causâ, vel aquè perfectè,* ut in univocis; *vel perfectiùs, ut in æquivocis principalibus causis:* ut in Deo, in Sole. Alioqui causa æquivoca minùs principalis potest esse deterior suo causato: ut mus est præstantior quisquiliis, è quibus ortus est. Itaque

Nullus effectus virtutem suæ causæ excedit.

Virtutem, h. e. vim essentialem seu internam, secundùm

quam

quam causat, non accessoriam seu accidentalem. Deinde intellige omnium causarum complexum seu congressum. Sic acceptis causis impossibile est, ut effectus virtutem causæ excedat. De causis divisim sumtis etiam verus est canon, si spectetur relatio: sic effectum, quâ tale, est ignobilius causâ instrumentali, & materiatum materiâ: licet effectum & materiatum possit esse præstantius quoád accidentia. Hinc probant philosophi, substantiam à solo accidente non posse produci: Esset enim effectus multò præstantior suâ causâ. Ad summam: effectus semper est inferior suâ causâ, non solum ratione dependentiæ; sed ratione essentiæ & accidentium potest esse vel æqualis suæ causæ, vel illâ superior. Sed & quidam effectus est deterior sua causâ: ut creatura creatore, monstrum homine, ædificium architecto, adeoque omnia artificialia suo artifice sunt deteriora. Nec tamen ullus effectus suâ causâ deterior est toto genere, hoc est, ut sub nullo communi genere effectum cum sua causa comprehendatur. Hinc probant Physiologi, Deum non posse producere vacuum; quia vacuum est non-ens. Item Metaphysici hoc ipso argumento probant, Deum non posse agere in non-ens. Impossibile est, ut entis effectum sit non-ens, & rei bonæ effectus malus, quatenus nimirum bona est, in bonitate sua persistens, nec ab eâ deficiens.

5 *Posito effectu necesse est causas esse, vel fuisse.*

Caussæ essentiales durante causato durant ipsæ. Hinc rectè argumentaris: Est homo, Ergo habet animam. At non rectè: Ædificium est, Ergo architectus est. Nam efficiens interdum separatur ab effecto. Sic igitur inferes: Ædificium est, Ergo architectus vel est, vel fuit. Hinc rectè colligit *Pererius 5. phys. cap. 18.* quòd effectus formalis non possit separari à sua forma.

6 *Causati præteriti est causa præterita, præsentis præsens, futuri futura.*

Res consideratur vel in fieri, vel in facto esse, vel in futuro esse. Semper itaque sustinet relationē ad causam. Sic res, quę abhinc biennium facta fuit, eo tempore habuit causam, quo cœpit esse: sed nunc habet causam, quæ fuit. Res si in con-

tinenti fiat, habet causam præsentem. Alioqui non necesse est, ut præsens semper sit efficiens. Victoria verò futura habet causas suas in futuro.

7 *Causati actu existentis est causa actu existens, potestate existentis est causa talis.*

Prius membrum canonis verum est, si effectus in actione consistat, vel sit per emanationem, ut est visio, pulsatio, intellectio. Non enim procedit de effectu, qui in opere consistit; ut hoc monasterium, illud templum adhuc est actu, nec tamen architectus amplius existit. Posterius membrum sine exceptione verum est: ut qui hodie est potestate consul, hodie quoque habet causam in potentia illius dignitatis.

8 *Dato uno inconvenienti, sequuntur infinita.*

Ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος πολλὰ συμβαίνει. Sic Paulus *1. Cor. 15.* colligit multa absurda ex hoc uno absurdo: Non est resurrectio mortuorum. Sic peccatum originis esse substantiam, absurdum est. Hinc enim sequitur, 1. Deum creasse peccatum. 2. Hominis animam & corpus in peccati substantiam esse transmutata.

9 *Particulares effectus ad particulares causas sunt reducendi.*

Particulares effectus hoc loco specialiter dicuntur, qui producuntur à causis particularibus, hoc est, creatis, & præsertim sublunaribus. Deus enim & corpora cœlestia dicuntur causæ universales; quia communiter concurrunt ad hæc inferiora. Intelligendus autem est propositus canon, quoad determinationem & specificationem, non quoad indifferentiam & communitatem. Nam actio causæ primæ, quæ est simpliciter universalis, determinatur quoad speciem à causa secunda, verbi gratiâ, actio hominis est à Deo. Sed hactenus est indifferens & generalis, quatenus à Deo est. Specificatur autem ab homine. Interim hæc specificatio non fit sine auxilio Dei. Atque hinc est, quòd effectus denominatur proximè à causa particulari: ut si quæratur, quæ sit causa filii, non respondetur Deus, vel cœlum, sed pater. Est enim quæstio de causa specificante, seu proxima. Causa autem particularis est proxima, causa universalis

Quomodo causa particularis determinet universalem?

versalis

versalis remota. Ab illa tamen specificatione & determinatione non excluditur causa universalis, sed maximè concurrit. Quamvis enim causa particularis specificet actionem causæ universalis: tamen effectus particularis plus debet causæ universali, quàm particulari. Ratio: quia causa universalis est causa causæ particularis. Accipit igitur effectus particularis à causa particulari denominationem, assimilationem & speciem atque gradum naturæ; sed hæc omnia beneficio causæ universalis.

10 Causatum non cognoscitur distinctè, nisi cognitis causis.

Confusâ quidem cognitione cognosci potest sine causis, at distinctâ minimè.

Causatum est vel primi, vel secundi generis.

Causatum primi generis est finitum, & effectum.

Finitum est causatum, quod propter finem est. Aliâs *dicitur* medium, *item* destinatum: *quia nempe ad finem ordinatum est.*

Sic publico cultui divino destinatum est sabbathum: confirmationi fidei nostræ destinata sunt sacramenta.

Ejus canones sunt:

1 Sublatis mediis tollitur finis.

Ut virtute sublatâ tollitur felicitas; diaphano, visus; cibo, vita animalis secundùm naturam tollitur.

2 Positis mediis non necessariò ponitur finis.

Quia in plurimis natura, vel voluntas destituit opus inchoatum, aut jam affectum. Sic non omnis, qui coëmit libros, evadit doctus; nec qui mercatur, evadit dives continuò. Ita sæpe segetes fallunt spem agricolæ; & multi assecuti media, fine excidunt.

Effectum est, quod ab efficiente est.

Effecti vox nunc strictè accipitur, ut hoc in loco; nunc latè, pro causato; ut apud Ramum, & suprà in quibusdam Maximis.

Ejus canones sunt:

1 Effectum est indignius causâ efficiente, nisi illud idem effectum fuerit causa finalis efficientis.

Sic sentire est aliquid præstantius sensu, & illuminatio candelâ.

2 Posito effectu, qui ab unicâ causâ potest effici, ponitur efficiens esse, aut fuisse.

Ut posito sensu, anima: positâ domo, qui ædificavit. Si verò à pluribus effici possit, ut morbus ex saturitate, inediâ, labore; inopia ex bello, incendio, naufragio; posito effectu ponitur aliqua istarum causarum.

3 Sublato effectu tollitur efficiens.

Canon hic verus est in iis, quæ agunt necessitate naturæ; non in iis quæ voluntate. Sic sublato calore tollitur ignis; & lumine, Sol; eclipsi, interpositio terræ. At non sublatâ scriptione tollitur philosophus scribens.

4 Posito effecto, quod est in fieri, ponitur causa actu, & remoto removetur.

Sic positâ calefactione ponitur ignis; & effigiatione, pingens. Aliter censebis de effecto, quod est in esse, ut loquuntur. Operatio consistit in fieri, opus est res consistens in esse, ut jam dicetur.

Effectum est primò operatio seu actio, vel opus.

Operatio est motio ipsius efficientis.

Estque rei singularis circa singularem, juxta illud: Actiones sunt suppositorum.

Estq; vel productio: *ut creatio, generatio*: vel conservatio; *ut est gubernatio, quâ Deus mundum regit*: vel corruptio, *sive illa sit totalis, sive partialis:*

Ut est corruptio memoriæ ab intemperantiâ, excæcatio mentis ab avaritiâ.

Deinde actio est vel immanens, *ut est intellectio;* vel transiens, *ut est scriptio.*

Opus est res motu facta.

Dicitur

Dicitur ἔργον, ἐνέργημα, ἀποτέλεσμα. In hoc distinguenda sunt quatuor: 1. operans. 2. principium seu vis efficiendi. 3. operatio. 4. opus ipsum. Huc pertinent dicta, scripta & facta.

Secundò effectum est, vel unius efficientis tantùm; *ut dies est effectum Solis, sacramentū Dei*; vel plurium. Et hoc vel æqualiter se habet ad suas causas; *ut creatio se habet ad tres personas SS. Trinitatis*: vel inæqualiter; *ut crucifixio Christi se habet inæqualiter ad Deum & Judæos.* Et hoc est vel principale, vel instrumentale.

Effectum principale est vel univocum; *ut filius est effectum patris*: vel æquivocum; *ut mundus Dei est opus.*

Instrumentale, *ut est conversio hominis ad Deum, quæ dicitur effectum instrumentale, quatenus pendet à causâ tali, putà Deo, quæ utitur instrumentis.*

Tertiò effectum est per se, vel per accidens.

Effectum per se est vel naturale & definitum; *ut dies est effectum Solis*; vel voluntarium & indefinitum; *ut creatio est effectum Dei.* Et utrumque est vel per emanationem, *ut intellectio, splendor Solis*; vel per transmutationem seu motum:

Ut filius est effectum patris, mundus effectum Dei. Huc etiam pertinent effecta mixta ex naturali & voluntario, ut ambulare, comedere, bibere.

Effectum per accidens est præternaturale, *ut odium est effectum veritatis*; vel involuntarium; idque vel inopinatum, *ut thesaurus inventus à fossore*; vel coactum, *ut comestio carnis suillæ Eleazari.*

Has divisiones non tractamus prolixiùs per definitiones & canones, quia ex doctrinâ causæ efficientis intelligi possunt. Plenam tractationem vide in *Logicâ Polani.*

Causatum secundi generis est materiatum, vel formatum.

Materiatum eſt, quod ex materiâ eſt: *ut dictio è literis & ſyllabis, nubes ex vapore.*

Formatum eſt, quod per formam eſt: *ut homo per animam ſuam.*

Utriusque canones ſunt:

1 Quod convenit compoſito, convenire etiam materiæ probabile eſt:

Ut, glacies eſt frigida. E. & aqua.

2 Poſito compoſito, poni materiam & formam neceſſarium eſt:

Ut ſi domus eſt, ſunt lapides, ligna &c. itemq; illorum diſpoſitio artificialis.

3 Sublato compoſito tollitur materia & forma, non quoad rem, ſed quoad relationem.

Deſtructâ domo, manent lapides; ſublato homine manet anima rationalis, ſcil. quoad eſſentiam abſolutam, non reſpectivam. Nam relatio expirat.

Cap. 10. Subjectum.

EXpoſitum eſt argumentum conſentaneum ſeu conjunctum primarium, cauſa & cauſatum: nunc exponendum eſt conjunctum ſecundarium, quod cum themate ſuo minùs principaliter cohæret.

Eſtq; vel primæ, vel ſecundæ claſſis.

Secundarium primæ claſſis eſt ſubjectum, & adjunctum: *Græcè* ὑποκείμενον ϗ περισκείμενον.

Subjectum eſt, quod vi ſubjectionis thema ut adjunctum arguit.

Ejus canones in genere ſunt:

1 Non-ſubjecti nulla ſunt adjuncta.

Alii ſic enunciant: *Non-entis nullæ ſunt qualitates, nullæ actiones.*

actiones. Sic domus solis reverâ non est. Ergò neq; aurea, neq; argentea est. Hinc rectè Cato:

Cùm sis incautus, nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

Interim si rem aliquam fingamus esse, accidentia illius erunt quidem, sed ficta.

2 *Essentia subjecti non est de essentiâ adjuncti, & vice versâ.*

Sic homo & scientia se habent tanquam subjectum & adjunctum; & hominis forma seu essentia non est de formâ seu essentiâ scientiæ, vel contrà. Hic canon concludit de rebus creatis, at de Deo non item. Nam proprietates divinæ ab ipso Deo reipsâ non distinguuntur. Ratio: quia Deus est subjectum analogicè consideratum, & ipsius proprietates sunt adjuncta analogica: h. e. à nobis concipiuntur per modum propriorum adjunctorum, cùm sint ipsa divina essentia, quæ ob summam simplicitatem non potest esse subjectum recipiens in se adjuncti diversi. Cæterùm in canone intellige essentiam absolutam, non respectivam, quatenus subjectum & adjunctum sunt relata.

3 *In rerum naturâ pauciora sunt subjecta, quàm adjuncta.*

Intellige hunc canonem, non de relatione (sic enim sunt paria & numero æqualia) sed de reali existentiâ, hoc sensu: Subjectum non multiplicatur ad multiplicationem adjuncti. Potest siquidem unum subjectum infinita habere adjuncta.

4 *Subjecti officium est aliis substare tanquam fundamentum.*

Sic materia prima est subjectum generationis & omnis mutationis; paries est fundamentum albedinis vel nigredinis; corpus naturale in physicis est fundamentum omnis tractationis.

5 *Posito seu affirmato subjecto, ponuntur seu affirmantur adjuncta; & sublato seu negato tolluntur & negantur:*

Ut David est homo. Ergò & capax scientiæ. Datur nume-

rus. Ergò & ſcientia de numero. Deſtructis ſubſtantiis ſeu ſpeciebus panis & vini,deſtruuntur ipſa accidentia. Sublato numero,tollitur Arithmetica. Nota,quòd duplex ſit deſtructio,rerum & relationum. Deſtructo homine deſtruuntur omnia humana,quoad rem & relationem. Deſtructo homine divite, deſtruuntur divitiæ, ut veſtimenta, prædia, non quoad rem,ſed quoad relationem.

Subjectum dividitur in genere,& in ſpecie.

Vox ſubjecti explicata.

Subjectum eſt vel topicum,vel axiomaticum. Illo modo ſtrictè accipitur pro peculiari loco inventionis. Hoc modo latè accipitur pro parte antecedente propoſitionis.Ita cauſa, poteſt eſſe ſubjectum axiomaticum;ut, Deus creavit mundum. Subjecto topico adjunctum,axiomatico prædicatum reſpondet.Deinde ſubjectum aliud dicitur inhærentiæ,ὑποκείμενον ὑπάρξεως,item ſubjectum informationis, ut ſubſtantia reſpectu accidentiū,homo reſpectu eruditionis:aliud prædicationis , *κατηγορίας*, *denominationis* , cùm genera de ſpeciebus,& ſpecies de individuis prædicantur;ut,homo eſt animal,Socrates eſt homo. Quanquam enim accidentia de ſubſtantiis,ut eruditio de homine,pietas de Abrahamo,prædicantur:tamen ibi κατ᾽ ἐξοχὴν intelligitur prædicatio univoca, in quâ non ſolùm nomen,ſed & definitio rei eſſentialiter de ſubjecto prędicatur,quod fit ſi genera & ſpecies prędicentur; nō æquivoca,quâ accidentia dicuntur de ſubjectis æquivocè,h. e. nomine tenus,non autem definitione. Nec enim definitiones accidentium poſſunt competere ſubſtantiis.Sed hanc diviſionem ſubjecti hoc loco non curamus,utpote qui ſubjectum hîc contradiſtinguimus adjuncto.

Subjectum in genere recipit quinq; diviſiones.

Primò eſt ſubjectum per ſe,vel per accidens.

Subjectum per ſe eſt, cui adjunctum per ſe competit:*ut, homo eſt ſubjectum riſibilitatis per ſe.*

Subjectum per accidens eſt, cui adjunctum competit per accidens.

Sic febris dicitur bona; vinum malum; flavum dicitur eſſe dulce;angelus dicitur corporeus;anima,ſenſilis;tenebræ,viſibiles,non per ſe,ſed per accidens.

Secun-

Secundò subjectum est proprium, vel commune.

Proprium est, quod cum suo adjuncto reciprocatur.

Dicitur πρῶτον δεκτικὸν, καθ' αὑτὸ, ὑποκείμενον ἐξ ἀνάγκης, ἄμεσον, h. e. *primarium subjectum, per se, necessarium, immediatum, item adaquatum.*

Sic animal est subjectum proprium sensus; homo risus; sonus est subjectum proprium auditus.

Subjectum commune est, quod non reciprocatur cum adjuncto.

Aliâs dicitur subjectum δεύτερον, *secundarium*; & ὑποκείμενον ἀντιφάσεως, *subjectum contradictionis*; quia potest habere & non habere suum accidens. Atque hic terminus opponitur illi, quo subjectum proprium dicitur ὑποκείμενον ἐξ ἀνάγκης; Sic homo est subjectum ἀντιφατικόν, albedinis & eruditionis; quia ater & indoctus esse potest. Idem homo dicitur subjectum secundarium sensus, cujus primarium subjectum est animal. Aliâs dicitur ἔμμεσον, *mediatum*, item *inadaquatum.*

De hâc subjecti divisione est canon:

Quale est subjectum, tale est adjunctum.

H. e. adjuncta imitantur naturam subjecti sui, & subjectum habet proportionem cum suis adjunctis. Hic canon fallit in adjunctis communibus, nisi velis generalem proportionem intelligere, quæ subjecto communi cum suo etiam adjuncto intercedit: v. g. homo iste est longus. Ergò & vestimenta ipsius fuerint longa. Anima est immortalis. Ergò & scientia, quæ est animæ. Cave propria subjecti & propria adjuncti confundas. Sic enim non valet canon. Non enim sequitur: Anima est substantia. Ergò & scientia. Nam est proprium animæ, substantiam esse; & proprium scientiæ, esse accidens. Huc pertinet tritum illud: *Prædicata debent esse talia, qualia subjecti & adjuncti natura permittit.*

Tertiò subjectum est totale, vel partiale: *Græcis* ὁλικὸν καὶ μερικόν.

Totale est, quod se habet per modum totius:

Sic totus homo eſt ſubjectum miſeriæ;objectum guſtus totale eſt ſapor & ſapidum;totale objectum phyſicæ eſt corpus naturale,quatenus naturale. Hoc objectum dicitur adæquatum, quia nec excedit adjunctum, nec ab illo exceditur.

Partiale eſt,quod ſe habet per modum partis.

Sic anima eſt ſubjectum partiale felicitatis vel miſeriæ. Ratio,quia non ſola eſt felix,vel miſera; ſed hoc competit etiam alteri ipſius parti,adeoq; toti compoſito totaliter. Sic partiale objectum guſtus eſt dulcedo & dulce; partiale objectum phyſicæ eſt homo.Hoc objectum dicitur inadæquatum.Sæpè tamen ſubjectum proprium philoſophis totale, & commune partiale dicitur,alio ſenſu.

Quartò ſubjectum eſt primarium,vel ſecundarium.

Primarium eſt,cui competit adjunctum originaliter,ſeu primariò:*aliâs dicitur* principale.

Sic ſapientia competit Deo primariò,& ſenſus animali.

Secundarium eſt,cui competit adjunctum minùs principaliter:*ſic homini competit ſapientia ſecundariò,item ſenſus.*

Quintò ſubjectum eſt abſolutum, vel limitatum.

Subjectum abſolutum eſt,cui adjunctum competit ſimpliciter ſine ullâ limitatione ſeu reſtrictione:

Ut homo eſt ſubjectum abſolutum riſus,perſona Chriſti eſt ſubjectum abſolutum officii mediatoris;animal abſolutum eſt ſubjectum ſenſus. Dicitur aliis ſubjectum QUOD.

Subjectum limitatum eſt, cui adjunctum tribuitur ſecundùm quid,certâ adhibitâ limitatione:

Sic corvus dicitur niger,æthiops albus,non abſolutè,ſed ſecundùm quid. Ille quidem ratione pennarum,hic ratione dentium.Sic corpus naturale dicitur objectum phyſicæ,non ſimpliciter,ſed ſecundùm quid,videl. certâ reſtrictione,quatenus eſt naturale.Hujus ſubjecti uſus ſingularis eſt in loco de per-

de personâ Christi. Sic Christus dicitur esse natus ex Mariâ virgine, passus, crucifixus &c. non ἁπλῶς, sed κατά τι. Hanc limitationem Græci patres vocârunt prædicationem κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Hoc subjectum aliis dicitur subjectum quo: ut, Christus est passionis subjectum QUOD, sed sancta ipsius caro est subjectum QUO. Animal est subjectum sensus QUOD, sed oculus est subjectum QUO. Nam animal propriè sentit, adeoq; videt; oculus verò dicitur videre, non subjectivè, sed instrumentaliter. Non subjectivè, h. e. non tanquam subjectum QUOD. Est enim solummodo subjectum QUO, quod est minùs principale, & instrumentum subjecti QUOD.

Subjectũ in specie est vel recipiẽs, vel occupans. *Illud dicitur rei & receptionis, hoc objectionis subjectum.*

Recipiens est, quod recipit adjunctum suum. *Græcis* δεκτικόν.

Hîc notentur canones:

1 *Unum subjectum recipere potest multa accidentia, eaq; diversa, etiam eodem tempore.*

Itaque non sequitur: Est dives, Ergò non est doctus. Nec hoc: Est eruditus, Ergò non est pius. Nec hoc: Puella est formosa, Ergò non pudica.

2 *Unumquodq; recipiens recipit secundùm modum receptivitatis suæ.*

Sic cantharus non recipere potest aquam eâdem quantitate, quâ dolium. Et nos in alterâ vitâ cognoscemus Deum pro modulo creaturæ.

Subjectum recipiens est vel inhæsionis, vel adhæsionis.

Subjectum inhæsionis est, quod recipit in se adjunctum. *Dicitur etiam* subjectum recipiens in se, subjectum in quo, ἐν ᾧ, materia in qua, subjectum inhærentiæ, item subjectum οὗ, cujus.

De hoc est canon:

Idem numero subjectum capax esse potest contrariorum diverso tempore, & in gradibus remissis.

Sic homo est hodiè sanus, cras æger; item valetudinarius

est sanus & æger in gradibus remissis, h. e. quodammodo sanus & æger: quod non potest dici de sanitate perfectâ, & extremâ ægrotatione. Alii dicunt: *Remissæ qualitates convenire possunt in uno subjecto.* Infrà dicemus aliquid de gradu excellenti & remisso.

Subjectum inhæsionis est vel substantiale; quod recipit in se substantiam; *quomodo sanguis dicitur esse in venis, cibus in ventriculo, vinum in vitro:* vel accidentale, quod in se recipit accidens. *Et hoc* ἐξαιρέτως *vocatur subjectum inhæsionis; quoniam accidentia magis inhærent subjectis suis, quàm substantiæ. Et sic accipi debet vulgatum* φιλοσόφημα: Nulla substantia est in subjecto inhærentiæ.

Subjectum adhæsionis est, quod recipit adjunctum suum ad se vel circa se.

Alio nomine dicitur *subjectum cui, adhærentiæ, & attributionis, seu denominationis:* quę postrema appellatio est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων: quâ de re videris *Keck. l. 1. Syst. Log. c. 20.*

Estq; vel adjacentiæ, vel circumstantiæ. *Illud quidam vocant recipiens ad se, hoc circa se.*

Subjectum adjacentiæ est, quod recipit adjunctum ad se:

Uti homo est subjectum divitiarum, vestium, armorum, (diadematis.

Subjectum circumstantiæ est, quod recipit adjunctum circa se:

Uti homo est subjectum aëris ipsum undiq; ambientis, & rex subjectum satellitum, qui ipsum circumstipant.

Subjectum occupans est, circa quod versatur adjunctum. *Communiter dicitur* objectum, materia circa quam, materia de quâ, subjectum circa quod; *& sine adjectione,* subjectum, *item* materia, *item* subjectum objectivum.

Estq; primò vel per se, vel per accidens.

Objectum per se est, circa quod res suâ naturâ versatur: *uti bonū est voluntatis objectum.* Per

Per accidẽs eſt, circa ꝗ res verſatur ex accidenti: *ut intellectus verſatur circa falſum, voluntas circa malũ.*

Deinde eſt vel internum, vel externum.

Internum objectũ eſt, quod intrinſecùs objicitur rei in illo occupatæ; externũ, quod extrinſecùs.

Sic Arithmeticæ objectum internum eſt numerus, externum, res numerabilis; Logicæ ſubjectum internum eſt modus diſſerendi, externum eſt quodvis thema: Geometriæ ſubjectum eſt magnitudo, externum, res menſurabilis.

De utroq; eſt canon:

Nullum objectum eſt contrarium adjuncto occupato.

Hinc Ariſtot. objecta non ἐναντία, ſed ἀντικείμενα dixit. Sic color non eſt contrarius oculo ſeu viſui, nec viſus colori. Ex hoc fundamento Scaliger reprehendit Vivem ſtatuentẽ, malum eſſe voluntati contrarium. Nã voluntas circa bonum & malum verſatur; circa illud quidẽ ut appetendum, circa hoc autem ut averſandum. Ergò malum, quatenus objectum eſt voluntatis, nõ eſt eidem contrarium, niſi relativè contrarium dicere velis objectum & adjunctum. Sed talem contrarietatem non intelleximus in propoſito canone. Deinde objectum poteſt adjuncto eſſe contrarium per accidens.

Præterea utrumque objectum, tàm internum, quàm externum, eſt vel liberum, vel adſtrictum.

Liberum eſt, circa quod verſatur res vel perſona extra diſciplinam.

Sic objectum liberũ dicetur quodlibet individuum, circa quod aliquis verſatur; ut hæc turris, hoc corium, Alexander Magnus, Abraham Patriarcha. Quamvis enim his individuis poſſimus applicare præcepta artium, non tamen illa in artibus tractantur.

Adſtrictũ eſt, quod in diſciplinâ aliquâ tractatur.

Hoc etiam dici poteſt *ſyſtematicum.* Vulgò vocatur *ſubjectum diſciplinæ.* Et hoc vulgò faciunt triplex: tractationis, informationis, & operationis. Subjectũ tractationis eſt, in cujus explicatione verſatur diſciplina. Dicitur alio nomine *ſubjectum doctrinæ*, ſeu *doctrinale*, & *demonſtrationis*: quia proponitur in diſciplinâ ad docendum & demonſtrandum. Sub- (Subjectum diſciplinæ eſt triplex.)

vide fol. 8.

jectum informationis est, in quo perficiendo & dirigendo disciplina occupatur. Subjectum operationis seu usus est, in quo disciplina quoad usum suum exercetur. Sic in Arithmeticâ subjectum tractationis est multitudo quatenus est multitudo; subjectum informationis est hominis intellectus: subjectum operationis est res numerabilis. Sic vulgò docetur de objecto. Nos μεθοδικώτερον sic proponi posse hanc doctrinam arbitramur.

Objectum est vel internum, vel externum.

Utrumq; est vel rei, vel disciplinæ.

Subjectum rei est, quod est rei alicujus, quę non est disciplina, objectum.

Subjectum disciplinæ internum est subjectum tractationis.

Subjectum externum est vel informationis, vel (operationis

De subjecto tractationis est hic canon:

Subjectum scientiæ duas habet partes; una est instar materiæ, & dicitur res considerata; altera instar formæ, & dicitur modus considerandi.

Res considerata potest esse communis multis scientiis; sed modus considerationis cuiq; scientiæ est proprius. Sic ens est commune subjectum multarum disciplinarum: sed modus considerandi in aliis disciplinis est alius, & restringit *communitatem illam.*

De subjecto operationis est hic canon:

Quod est subjectum tractationis in unâ disciplinâ, id in aliâ potest esse subjectum operationis:

Ut ens in Metaphysicâ est subjectum tractationis, in Logicâ est subjectum operationis.

Cap. II. Adjunctum.

ADjunctum est, quod vi adjunctionis thema ut subjectum arguit.

Adjunctũ alio nomine dicitur adjacens; quæ vox respondet Grecæ προσκείμενον. Aliâs appellatur attributum. Sic misericordia & justitia Theologis dicuntur attributa Dei. Vulgo appella-

appellatur accidens. Sed hæc vox est angustior æquo. Nã etiam substantiæ possunt referri inter adjuncta, ut paulò pòst dicetur. Nonnunquam vocatur ἐπίθετον, quod Grammatici adjectivũ vocant: quæ appellatio nonnunquam major, nonnunquã est minor æquo. Sæpè etiã pars secunda ꝓpositionis vocatur adjunctũ. Et ideò quidam adjunctum faciunt aliud topicum, aliud axiomaticũ. Nos hoc loco accipimus adjunctũ pro loco inventionis, quatenus opponit' subjecto topico.

Ejus canones in genere sunt isti:

1 *Dici de aliquo requirit inesse.*

Phrasis ista, *dici de aliquo* triplicẽ habet sensum. Nam aliquid de aliquo dicitur 1. λογικῶς, seu ὄντως, verè & cum ratione, κατ' ἀλήθειαν. 2. δοξαστῶς, κατὰ δόξαν, secundùm opinionem vulgi. 3. ψευδολογικῶς, mendaciloquè. In proposito canone phrasis accipi debet in primâ significatione. Phrasis altera, *requirit inesse*, etiam κατὰ πλάτος, *latè*, accipienda est: ita ut τὸ inesse non tantùm significet inhærere, sed etiam adhærere & adesse quomodolibet. Exempla canonis sunto hæc: Baldus est doctus Jurisconsultus. Ergò doctrina juris est in Baldo: & contrà. Crassus dicitur esse dives: Ergò habet divitias. At sæpè aliquis dicitur fur, & tamen non est: quia sæpè aliquid dicitur δοξαστῶς vel ψευδολόγως. **Aliquid dicitur de aliquo tribus modis.**

2 *Adjunctum à subjecto in rebus creatis reipsâ distinguitur.*

Sic scientia & divitiæ realiter differunt ab homine, h. e. sunt tales res, quæ seorsim ab homine considerari & definiri possunt. At idiomata divina solâ ratione à Deo differunt, nimirum ratione ratiocinatâ, quæ dicitur virtualis. Sic justitia, veritas, omnipotentia sunt ipse Deus; duntaxat differunt virtute seu effectis & objectis ad extra. Cujus rei ratio est; quia Deus omni modo est simplex, non admittens simplicissimã illam, ut ita dicam, compositionem, ex esse & essentia; multò minùs crassam illam, quę est è subjecto & accidente. Hîc oritur quæstio, an etiam adjuncta propria in rebus extra Deum differant realiter à subjecto? Nam de adjunctis communibus non est tanta controversia: quippe quę extrinsecus accidunt subjectis suis: at propria habent internum principium sui esse. Quidam tuentur negativam; sed **Quomodo attributa divina differant à Deo?**

affirmativa simpliciter est vera. Nam propria, putà risibilitas hominis, & ipsa ratiocinandi facultas, ita differunt à suis subjectis, ut res à re differt.

3 *Unius adjuncti plura esse possunt subjecta.*

Non ergò valet argumentatio: Aqua est frigida. E. terra non est frigida. Nec ista valet: Virginitas est bona. E. conjugium est malum. Nec hæc: Plato fuit philosophus. E. Aristoteles non fuit. Nam frigiditas, bonitas, & scientia philosophica multis subjectis inesse possunt.

4 *Adjunctum subjecto est numerosius & copiosius:*

H. e. plura sunt adjuncta in rerum naturâ, quàm subjecta. Constat n. unum idemq; subjectum infinita propemodũ adjuncta sustinere posse. Neq; valet objectio: Subjectum & adjunctum sunt relata. E. vi illius relationis tot erunt adjuncta, quot subjecta. Nam relatio quidem facit, ut subjectũ & adjunctũ sint numero æqualia quoad respectũ, sed non quoad realem existentiã. Retrocede ad c. anteced. canonem gener. 3.

5 *Attamen omne adjunctum suo subjecto est levius.*

Hic canon respondet antecedenti; & cum micâ salis accipi debet, hunc in modum. Omne adjunctum sustinetur quasi à subjecto. Et ratione hujus sustinentiæ passivæ est levius subjecto, non ratione pretii ęstimationis, aut quantitatis. E contrario subjectũ est fortius adjuncto, ratione sustinentiæ activæ, quatenus sustinet adjuncta. Itaq; mera est sophisticatio, si dicas: Hic scyphus est repletus aureis numis ad summum usque ab infimo. Ergò numi illi aurei sunt leviores ipso scypho continente ipsos.

6 *Adjuncta non possunt esse sine subjecto.*

Hic canon universè valet de omnib. adjunctis quoad relationem, non de omnibus quoad existentiam. Sic pallium, quatenus est adjunctum, non est sine subjecto suo nempe homine: attamen sine eo esse potest quoad existentiam realem, quatenus est pannus. Maximè tamen valet canon de accidentibus, de quibus dici solet: *Impossibilis est existentia accidentium sine subjecto.* Itaq;

Posito adjuncto, necesse est subjectum esse:

Ut si scientia est, necesse est esse tale ens, quod illam recipiat: si ebrietas uspiam existit, necesse est existere hominem ebrium.

ebrium. Hoc axioma est universè verum quoad relationem, non quoad rerum existentiam. Maximè intelligi debet de accidentibus, ut & prius illud.

7 *Remotis omnibus adjunctis necessariò removetur subjectum.*

Sic si omnia adjuncta à gallinâ vel alio quovis animante abstuleris, ipsa gallina vel quodvis animans stare non potest. Ratio manifesta est: quia omnia adjuncta conservant subjectum, maximè proprium, quod tolli nequit absq; subjecti destructione.

8 *A divisis adjunctis ad conjuncta semper valet consequentia firmiter, non quidẽ materialiter, sed formaliter.*

H. e. valet consecutio beneficio formæ syllogisticæ, non autem materiæ. Hæc enim nõ semper est favens, sive sequax. Valet etiam interdum secundùm materiam, sed contingens est ista consecutio. Sic hæ consecutiones sunt bonæ formaliter, seu juxta formam syllogisticam: Iste sutor est claudus. Et iste sutor est bonus. E. quidam qui est bonus, est claudus. Sic: Iste homo est facetus. Et idem iste est orator. E. quidam qui est orator, est etiam facetus. Item: Adolescens ille est Grammaticus. Et idem ille est probus. E. quidam probus est etiam Grammaticus. At materialiter nõ procedunt ista. Non enim sequitur: Iste sutor est bonus. Et idẽ est claudus. E. bonus est claudus, seu claudus est bonus. Non sequitur: Est orator. Et est bonus. E. est bonus orator. Nam bonitas in antecedente referebatur ad animum, in consequente seu conclusione refertur ad oratoriam. Ibi moraliter, hîc artificialiter accipitur. Itaq; à divisis ad conjuncta valet consequentia formaliter, h. e. si materia sit disposita juxta leges tertiæ figuræ. Materialiter verò tum demum valet, quando materia est indulgens seu sequax, & tamen nihilominus talis consequutio est contingens.

Adjunctum dividitur in genere, & in specie.

In genere sunt septem divisiones adjuncti.

Primò adjunctum est necessarium, vel contingens. *Illud Græcis dicitur* ἀναγκαῖον, *hoc* συμβεβηκός.

Necessarium est, quod necessariam habet copulam cum subjecto:

Sic tempus est hominis adjunctum necessarium, item lux scriptionis ordinatæ; sensus est adjunctum occupatum necessarium rei sensilis, intellectus rei intelligibilis. Nota hic obiter, necessarium & essentiale differre. Omne quidem essentiale est necessarium; sed non contrà, omne necessarium est essentiale. Sic homini cibus est necessarius, at essentialis non est.

Adjunctum contingens est, quod contingenter cum subjecto cohæret.

Sic adoratio religiosa est adjunctum occupatum contingens, respectu Dei. Potest enim Deus esse Deus sine ista adoratione: sic studiosum esse, est adjunctum receptum contingens.

Ejus canon est:

Sublato adjuncto contingente, non illicò tollitur subjectum.

Non enim sequitur: Mopsus non est doctus, Ergò non habet animam. Nec hoc: Non est studiosus. Ergò non est homo.

Secundò, Adjunctum est vel substantiale, *ut vinum in vitro:* vel accidentale, *& dicitur peculiariter accidens.*

Sic patet, adjunctum latiùs patere, quàm accidens. Non ergò valet sophisticatio: Adjunctum est. Ergò accidens. Nam adjunctum tàm generalem habet significatum, ut comprehendat & substantiam, ut aureus numus est substantia, & tamen est adjunctum cistæ; & accidens.

Tertiò, Adjunctum est proprium, vel commune. *Illud Græcis* ἴδιον, *hoc* κοινὸν dicitur.

Proprium adjunctum est, quod uni tantùm subjecto competit.

Estque vel simpliciter, vel secundùm quid proprium.

Proprium simpliciter est, quod cum subjecto certæ speciei reciprocatur: *aliàs dicitur* primariò & absolutè proprium.

Ejus

Ejus canones sunt:

1 *Subjectum & adjunctum proprium inter se sunt vicissitudinaria.*

Verba sunt Scaligeri, quorum sensus hic est: Proprium cum suo subjecto convertitur: ut, Spiritus sanctus est omnipotens, Ergò est Deus. Et, Est Deus, Ergò omnipotens. Sic, Ovis balat: & quidquid balat, est ovis. Intellige balatum, qui fluit ex internis principiis, non fictum. Itaque

1 *Cui tribuitur proprium, ei quoque subjectum proprii tribuitur.*

Hoc est, cui convenit adjunctum proprium, ei quoque subjectum convenit; & contrà, cui non convenit adjunctum proprium, ei nec subjectum tribui potest: ut, Est animal risibile. Ergò & est homo.

2 *Proprium unius speciei est incommunicabile alteri speciei realiter diversæ.*

Ratio: quia proprium non excedit suum subjectum; ut risibilitas non potest egredi ex homine, & transire in bestiam. Nam risibilitas intra hominis ambitum continetur. Hinc dicunt: *Subjectum & adjunctum proprium sunt æqualis ambitus.* Sic corpus est subjectum adæquatum quantitatis, & quantitas illius adjunctum proprium. Nullum enim corpus extra quantitatem, & nulla quantitas, scilicet propriè dicta, extra corpus reperitur. Hîc quidam philosophi comminiscuntur speciosam distinctionem. Propriorum, inquiunt, à specie ad speciem realiter distinctam communicatio est impossibilis: verbi gratiâ, propria hominis non possunt communicari cum bestiâ, ut ridendi & ratiocinandi facultas. Nam si talis communicatio fieret, ex homine fieret bestia, atque ita natura rerum everteteur. At, inquiunt, propriorum communicatio ab unâ parte ad aliam ejusdem subjecti partem non est impossibilis. Sic vita, quæ est in animâ, communicatur cum corpore: quæ vita est animæ proprietas, & ita cum corpore communicatur, ut corpus ipsum revera dicatur vivere. Sic lux est proprietas ignis, & eadem communicatur cum ferro ignito, quod reverâ dicitur lucidum. Hæc est, ajunt, communicatio propriorum à parte ad partem

Disputatio de communicatione propriorũ.

ejusdem compositi. Hanc communicationem probare conantur è Scaligeri *exerc.307.* & dicunt: partes compositi v. gratiâ, animam & corpus ita esse comparatas, ut invicem aliquid accipiant, & vicissim dent. Hanc vocant vicissitudinariam dationem & acceptionem, quâ utraque pars tendit ad perfectionem compositi. Pergunt, & faciunt communicationem iterum duplicem. Aliam dicunt esse *μέθεξιν, participationem*, aliam συνδύασιν seu συνδυασμόν, hoc est, conjunctionem seu unitionem. Priorem illam impossibilem esse contendunt, posteriorem non item. His ita disputatis concludunt, proprietates nonnullas τοῦ λόγου, ut omnipræsentiam, omniscientiã, & alias communicatas esse cum humanâ Christi naturâ. Hanc dicunt communicationem à quasi parte ad partem unius compositi, non à specie ad speciem: item ajunt esse συνδυασμόν. His ita paucis occurrendum esse statuo. 1. Aut concedunt: unum idemque numero accidens non posse migrare de subjecto in subjectum: aut non. Si illud, distinctio communicationis non facit ad propositum. Si hoc, evertunt primum illud principium: *Impossibile est idem esse & non esse.* Si enim idem numero accidens est in duabus subjectis partibus (sic enim illi loquuntur) est unum & non unum. Si est proprium hujus partis, & tamen communicatum est cum illa parte, est proprium non proprium. Quapropter proprium non potest communicari ullo modo; neq; cum specie, neq; cum parte. 2. Si proprium unius partis communicari potest cum proprio alterius partis, etiam essentia illius cum essentiâ hujus communicari potest. Ratio consequentiç: quia propria licet non sint συστατικὰ τῆς οὐσίας, tamen sunt aliquid ita παρεπόμενα τῇ φύσει, ut sit nexus essentialis inter essentiam & proprietatem. Atqui essentia unius partis non potest communicari cum essentiâ alterius. Ἔνδηλον. Intelligitur enim essentia specifica, seu signata, ut essentia animæ. Ergo nec proprietas unius partis potest communicari cum altera. 3. Exempla allata quod attinet, falsum est, quòd vita animæ cum corpore, & lux ignis cum ferro ignito sit communicata per μετάβασιν. Est enim simplex μετάδοσις. Probent igitur, eandem numero vitam esse in anima & corpore. Hoc illi præsupponunt. Sed probent. 4. Vicissitudinaria illa

inter

inter animam & corpus datio & acceptio ὐδὲν πρὸς ἔπος. 5. Distinctio communicationis in μέθεξιν & συνδυασμόν, hoc est, participationem & conjunctionem, in hoc negotio nulla est. Si enim proprietas unius partis cum alterâ communicatur per συνδυασμόν, etiam essentia ipsius communicabitur. Et verò συνδυασμὸς impropriè statuitur species communicationis, cùm sit ipsius causa. Nam συνδυασμὸς est unio. Unionem sequitur communio, ut causam effectus. 6. Si maximè obtinerent, proprium finitum unius partis cum parte altera posse communicari: tamen non possent obtinere quod volunt, nimirũ propria τοῦ λόγου communicata esse cum carne. Ratio: quia proprietates divinæ sunt unum quid, id est, ipsa essentia divina. Si dicant, alio modo Deum esse omnipotentem, alio modo carnem Christi; ecce ipsi agnoscent, proprietatem Dei eandem numero non esse commnnicatam cum carne Christi. Si verò dicant, eandem numero esse, carnem Christi facient infinitam, hoc est, ex homine facient Deum. Sed redeamus ad carceres nostros. Sequitur canon secundus de proprio.

2 *Proprium est secundum naturæ momentum.*

Sic loquuntur Scholastici: Primum naturæ momentum est essentia. Ab hac fluit proximè proprium; & ideo vocatur secundum naturæ momentum. Proprietatem sequitur operatio. Hinc existit arctissima unio inter hæc tria, essentiam, propria essentialia, & operationes: quæ tria requiruntur ad cujusque rei perfectionem. **Duplex naturæ momentum.**

Proprium simpliciter est vel perfectum, vel imperfectum.

Perfectum est, quod convenit omni subjecto, soli & semper.

Hoc in in Scholis vocatur *proprium in quarto modo*: ut est quantitas respectu corporis naturalis, & potentiæ proximè emanantes à formâ, ut risibilitas, potentia intellectiva, volitiva.

Ejus canones tres sunt:

1 Subjectum sine contradictione non potest concipi sub negatione proprii perfecti.

Ratio: quia non poteſt ſubjectum concipi ſub negatione formæ ſeu eſſentiæ ſuæ. Interim tamen ſubjectum poteſt concipi non concepto adjuncto, hoc eſt, ſubjecti ſeu compoſiti alicujus ſubſtantialia, qualia ſunt materia & forma, poſſunt concipi, tametſi non comprehendatur mente adjunctum proprium. Ratio perſpicua eſt: quia ſubjectum definiri poteſt abſque adjuncto proprio. Sed adjuncta propria non poſſunt concipi, niſi concepto ſubjecto proprio. Ratio: quia non ſolùm inſunt ſubjectis, ſed ita inſunt, ut extra illud eſſe nequeant. Eapropter adjuncta propria definiri non poſſunt, niſi vel expreſsâ, vel ſubintellectâ mentione ſubjecti. Hinc illud: *Adjuncta definiuntur per additamenta*, hoc eſt, inſertione ſuorum ſubjectorum; ſive hoc fiat explicitè, ſive implicitè. Si hoc verum eſt de adjuncto in communi, veriſſimum erit de hoc adjuncto, videlicet proprio.

2 *Propria perfecta ne ad momentum quidem ſeparari poſſunt à ſuis ſubjectis.*

Ratio: quia ſi tollerentur ad momentum à ſubjectis ſuis, etiam tolleretur forma ad momentum, adeoque illo ipſo momento ſubjecta eſſent & non eſſent; id quod implicat contradictionem. Si tollas ratiocinandi facultatem ab homine, tolles cauſam proximam illius, nimirum animam; quâ poſitâ ponitur effectus. Hinc *Theodor. dialog. 3. Proprietatum deletio naturæ negatio eſt:* & Theologi; *Qui tollit proprietates, tollit naturas.*

3 *Perfecta propria primò inſunt univerſalibus.*

Sic riſibilitas primò ineſt homini, ſecundariò Petro. Ratio: quia propria emanant ab eſſentia ſpeciei. Sed accidentia primò inſunt individuis, & univerſalibus conveniunt per ſingularia.

Proprium imperfectum eſt, quod quidem ſoli ineſt, & omni, ſed non ſemper. *In Scholis vocatur* proprium tertii modi.

Sic ridere & flere proprium eſt hominis. Hoc proprium reciprocatur quidem cum ſubjecto, ſed imperfectè.

Proprium ſecundùm quid eſt, quod certo duntaxat

taxat respectu uni subjecto tribuitur. *In Scholis vocatur* proprium secundi modi:

Sic proprium hominis est, esse bipedem, respectu quadrupedum. Cæterùm non solùm adjunctum receptum est proprium: sed etiam occupatum. Sic Logica dicitur adjunctum proprium occupatum quoad modum disserendi: visus est proprium adjunctum occupatum lucis & coloris; auditus soni; olfactus odoris. Hæc enim sunt propria sensilia. Præterea hactenus traditi canones loquuntur de adjuncto proprio accidentali recepto; non de proprio substantiali recepto quale est hic famulus; vel occupato, quale subjectum est, hic concionator.

Commune adjunctum est, quod multis simul subjectis competit; *sive sit substantiale, sive accidentale.*

Ut commune regis adjunctum receptum est locus; quia non soli regi, sed etiam aliis competit. Logica est adjunctum occupatum commune respectu mentis humanæ, quam dirigit. Homo est adjunctum commune occupatum circa contemplationem mundi. Visus est commune adjunctum occupatum circa magnitudinem, motum, numerum, & reliqua sensilia communia, ut loquuntur Physici & Optici. Hîc duo singulariter adnotanda veniunt: 1. *Proprium primi modi* pertinet ad adjunctum commune: ut heroicum bellatorem esse commune potest esse multis hominibus. 2. Vulgò accidens & proprium dicuntur prædicabilia, & ita hæc duo à se invicem distingui debent: Accidens prædicamentale est vel essentiale, vel accidentale, seu non-essentiale. Accidens essentiale dicitur proprium sine adjectione. Accidens non-essentiale dicitur accidens sine adjectione. Non igitur inane est discrimen, quod Logici tradunt inter accidens prædicamentale & prædicabile. Illud est genus hujus. Nec est ἀδολεσχία, quando accidens dividitur in essentiale & accidentale. Nam inter accidens & subjectum est vel nexus essentialis, vel accidentalis. Essentialis, ut inter hominem & ratiocinandi facultatem: accidentalis, ut inter hominem & eruditionem. Illud accidens dicitur essentiale, & proprium κατ' αὐτονομασίαν. Jam vel ipse judica, an-

Observatio necessaria de vocabulo Accidentis.

non posterius possit appellari accidens accidentale, seu accidens simpliciter, citra ullam ἀδολεσχίαν. Cautè igitur accipies illud: *Accidentia prædicantur de subjectis accidentaliter, non essentialiter.* Nam hîc τὸ essentialiter restringitur ad genus, speciem & differentiam, quæ dicuntur prædicati essentialiter per excellentiam. Vide infrà *l.6.c.3*.

De adjuncto communi accidentali sunt canones quinque:

1 *Accidens commune non reciprocatur cùm subjecto.*

Hîc enim non est æqualis ambitus. Ita sapientia latiùs patet quàm homo; seu, quod idem est, reperitur extra hominem.

2 *Accidens commune ita est comparatum, ut sine ullâ contradictionis implicatione subjectum poßit concipi sub ejus opposito.*

Sic possum concipere hominem sub opposito sapientiæ, vel calamitatis; & tamen propterea non desinit esse homo.

3 *Accidens commune potest inesse pluribus subjectis specificè diversis.*

Sic albedo multis inesse potest subjectis: eadem, inquam, albedo specie, sed non numero. Nam etiam idem accidens commune numero non potest multis inesse: quia hoc implicat contradictionem, esse unum numero (quæ est unitas maxima) & tamen inesse multis, seu migrare è subjecto in subjectum. Neque hîc admittimus suffugia, quæ paulò antè rejecimus; nimirum quòd hic canon valeat de subjectis totalibus, nō de partialibus, quasi duæ partes unius subjecti possint habere unum idemq; numero accidens etiam commune. Etiam subjectâ re ipsâ & specie non diversa, ut Aristoteles & Theophrastus, non possunt habere unum idemque numero accidens, ob causam & suprà & modò dictam.

4 *Accidens commune inest magis individuis, quàm universalibus.*

Sic v. g. albedo speciei inest, quia individuo inest: ut homo est albus, quia Socrates est albus.

5 Acci-

5 *Accidens commune recipit gradus.*

Potest enim aliquis esse magis, vel minùs albus. At in propriis res ita se non habet. Nec enim unus est magis risibilis altero.

Quartò, Adjunctum est separabile, vel inseparabile. *Illud* χωριςὸν, *hoc* ἀχώριςον *dicitur.*

Separabile est, quod facilè separatur à subjecto.

Sic pallium & pileus facilè separantur à corpore hominis, item, sanitas, somnus, sessio. Sic ignavus studiosus est adjunctum occupatum facilè separabile à libris & studiis.

Inseparabile est, quod difficulter separari potest, etsi separari nihil repugnet.

Sic nigredo est adjunctum corvi inseparabile: & artifex peritus est adjunctum occupatum, quod non facilè separari potest à suo objecto.

Quintò, adjunctum est perficiens, vel destruens. *Illud naturale, hoc præternaturale dicitur. Illud Græcis* σωτηρικόν, salvativum, *seu* perfectivum; *hoc* φθαρτικὸν, corruptivum, *dicitur.*

Adjunctum perficiens est, quod est secundùm naturam subjecti:

Ut virtus, eruditio, justificatio hominis gratuita. Sic angelus bonus est adjunctum occupatum circa salutem hominis electi.

Adjunctum destruens est, quod corrumpit subjectum:

Ut malum, morbus, pœna divina. Sic Diabolus est adjunctum occupatum destruens Ecclesiam Dei.

Sextò, Adjunctum est remotius, vel propinquius.

Remotius est, quod à subjecto magis distat, alio adjuncto interposito.

Sic vis sermocinãdi est adjunctũ hominis remotius; quia

hæc facultas ſequitur facultatem ratiocinandi. Ita homo eſt adjunctum occupatum remotius circa ſtatuam.

Propinquius eſt, quod propiùs ad ſubjectum accedit, nullo adjuncto interveniente:

Ut vis ratiocinandi eſt adjunctum hominis valde propinquum: & ſtatuarius eſt adjunctum occupatum circa ſtatuam propinquius.

Septimò, Adjunctum eſt affirmatum, *ut doctrina, virtus*; vel negatum, *ut indoctus, malus, non-homo.*

Fuerunt diviſiones adjuncti in genere: in ſpecie illud eſt receptum, vel occupatum.

Adjunctum receptum eſt, quod à ſubjecto recipitur.

Hoc alio nomine dicitur *otioſum*, Græcè ἄνεργον, item, *adjunctum quieſcens:* & occupatum Græcis dicitur ἐνεργητικὸν, *activum, operoſum.* Sic ſapientia in homine dicitur adjunctũ otioſum, quia non verſatur circa ſubjectũ occupans: at pius, qui occupatur in meditatione verbi divini, dicitur adjunctũ occupatum. Non inficias eo, accidentia recepta non planè eſſe otioſa (nam ſapientia in homine eſt actuoſa) ſed Philoſophi vocarunt illa otioſa comparatè; quia non ſunt ſic ἐνεργητικὰ, ut adjuncta occupata.

Adjunctum receptum eſt vel inhærentiæ, vel adhærentiæ.

Adjunctum inhærentiæ eſt, quod à ſubjecto intrinſecus recipitur, eique ineſt: *alio nomine dicitur* adjunctum internum, receptum in rem, inhæſionis & inhærens. *Sic virtus eſt adjunctum inhærentiæ; quia ineſt ſubjecto.*

Adjunctum adhærentiæ eſt, quod à ſubjecto extrinſecùs recipitur, eique adeſt: *aliàs dicitur adjunctum externum, adhærens, adhæſionis, receptum ad rem.*

Eſtq; vel adjacens, vel circumſtans: quorum illud à ſubjecto ad ſe, hoc circa ſe recipitur.

Sic ve-

Sic vestes sunt adjunctum adjacentiæ seu adjacens; satellites sunt adjunctum circumstantiæ seu circumstans regem.

Adjunctum occupatum est, quod circa subjectum occupatur:

Ut studiosus circa literas, sutor circa calceum, Logica circa modum disserendi.

Cap. 12. Antecedens, concomitans, consequens.

Argumentum consentaneum seu conjunctum secundarium classis secundæ est antecedens, concomitans, & consequens.

Hic locus inventionis à multis prætermittitur. Non rectè. Si enim dari possunt exempla argumentorum conjunctorum, quę neq; ad causam & effectum, neq; ad subjectum & adjunctum referri possunt; necessariò dandus erit locus aliquis tertius, distinctus ab illis. Sed verum est antecedens, ut patebit ex appositione exemplorum jam jam subjiciendorum. Ergò.

Argumentum antecedens est, quod vi solius antecessionis consequens arguit ut thema. *Antecedēs quid in Logicis?*

In definitione hac notentur illa verba, *vi solius antecessionis*. His ostenditur, quid sit antecedens hoc in loco, nempe illud, quod tempore rem antecedit (hæc enim est sola illa antecessio) ita ut neque ejus sit causa, nec effectum. Verbi gratiâ. Crepusculum matutinū est. Ergò dies sequitur. Item: est crepusculum vespertinum. Ergò nox sequitur. Sic: Naturaliter dormit. Ergò evigilabit aliquando. Item: Est puer. Ergò aliquando evadet vir. Sic: est studiosus bonarum literarum. Ergò evadet doctor. Item: Mortuus est. Ergò propediem sepelietur. Item negatè: mulier non est gravida. Ergò non pariet. Item: arbor non floret. Ergò nec fructus feret. In his exemplis spectatur nuda antecessio temporis, non causalis, non subjectiva aliqua.

Estque necessarium, vel contingens.

Necessarium est, quod necessariò antecedit.

Ejus canon eſt:

Poſito antecedente neceſſario ponitur conſequens.

Sic crepuſculum matutinum eſt neceſſarium antecedens diei ſtatim conſecuturi. Ergo & ſublato antecedente, neceſſariò tollitur conſequens: ut, Arbor non floruit hoc anno. Ergo nec feret fructus. Neceſſe enim eſt prius florere arbores, quàm fructus ferant. Quidam Theologi docent, bona opera non eſſe cauſam ſalutis, ſed neceſſarium antecedens, videlicet neceſſitate præcepti. Verùm eſt & ibi alia neceſſitas, videlicet medii & ſigni. Sunt enim etiam neceſſaria neceſſitate medii & ſigni. Itaq; dici poſſunt cauſa inſtrumentalis, ſive cauſa ſine quâ non.

Antecedens contingens eſt, quod antecedit ſuum thema contingenter.

Ejus canon eſt:

Poſito contingente antecedente, non neceſſe eſt poni conſequens, & eo ſublato non neceſſe eſt tolli conſequens.

Sic antecedens contingens eſt: Mortuus eſt. Ad hoc enim contingenter ſequitur ſepultura. Non enim neceſſarium eſt, ut mortuus ſepeliatur. Nam mortui apud veteres cremabantur, vel etiam projiciebantur. Sic non neceſſaria ſunt hæc inter ſeſe: Puer eſt. Ergo vir evadet. Mori enim poteſt in ætate juvenili. Rubedo veſpertina antecedit ſerenitatem poſtridianam contingenter. Et illâ ſublatâ non tollitur neceſſariò ſerenitas poſtridiana. Ita eclipſis antecedit obitum magnorum principum.

Concomitans.

Concomitans eſt, quod arguit ſuum thema vi ſolius connexionis: *aliâs* connexum *dicitur.*

In definitione dicimus, *vi ſolius connexionis*, ut excludatur relatio & affectio alterius argumenti.

Eſtque neceſſarium, vel contingens.

Concomitans neceſſarium eſt, quod neceſſariò coëxiſtit cum ſuo connexo.

Ejus canon eſt:

Poſito vel ſublato connexo neceſſario, neceſſe quoq; eſt alterum poni vel tolli.

Sic

Sic necessariò connexa sunt causa secunda & prima, minùs principalis & principalis, finis & efficiens, materia & forma, propria unius subjecti, partes diversæ unius compositi, jam coëxistētes. Sic omnipotentia & ęternitas necessariò connexa sunt, tanquam propria. Ergo positâ illâ ponitur hæc, & sublatâ illâ tollitur hæc, & vicissim. Sic ventriculus & jecur sunt partes necessariò connexæ.

Concomitans contingens est, quod contingenter coëxistit cum suo connexo.

Ejus canon est:

Posito vel sublato connexo contingente, non necesse est alterum quoq; poni vel tolli.

Sic doctrina & probitas sunt connexa contingentia, quatenus uni subjecto insunt. Efficiens & materia coëxistunt contingenter ex parte efficientis, sed non ex parte materiæ. Nam non omnis efficiens deposcit materiam, at omnis materia præsupponit efficientem. Caput, brachia, & pedes, sunt connexa contingentia, quatenus non omne quod caput habet, statim etiam habet brachia & pedes.

Argumentum consequens est, quod vi solius consecutionis thema suum ut antecedens arguit. Consequēs quid in Logicis?

Dico, *vi solius consecutionis*, h. e. quod ita sequitur rem aliquam, ut neque sit ejus causatum, neque adjunctum. v. g. Mulier peperit. Ergo gravida fuit. Arbor fructum tulit. Ergo floruit. Jam vir est. Ergò puer fuit. Institutionem cœnæ Dominicæ consecuta est Christi passio. Christi passionem consecuta est mors: mortem sepultura: sepulturam resurrectio: resurrectionem ascensio in cœlos: ascensionem deniq; sessio ad dextram Dei Patris. Hanc subsequetur necessariò reditus ad judicium universale.

Consequens est necessarium, vel contingens.

Necessarium consequens est, quod thema suum necessariò consequitur.

Hujus canon est:

Posito vel sublato consequente necessario, ponitur vel tollitur antecedens.

Sic extremum judicium necessariò consequetur universalem resurrectionem mortuorum: hyems autumnum: hyemem ver. Intellige necessitatem vel absolutam & simplicem, vel ex hypothesi.

Consequens contingens est, quod thema suum contingenter consequitur.

Ejus canon est:

Posito vel sublato consequente contingente, non necesse est poni vel tolli antecedens.

Sic febris sequitur horrorem & lassitudinem; pluvia pallorem lunæ, aut matutinam rubedinem cœli; institutio bona, generationem bonam; senectus juventutem.

Et hic est locus antecedentis, concomitantis, & connexi, quem obsignamus tritis illis regulis Logicorũ: *Omnis causa est antecedens, sed non omne quod est antecedens, est causa: Omnis effectus est consequens, sed non omne consequens est effectus: Omne connexum est relatum, sed non omne relatum est connexum, scilicet prout à nobis fuit definitum.* Omnia enim argumenta relata sunt, neque tamen omnia connexa sunt.

Cap. 13. Argumenta dissentanea seu disjuncta in genere.

FUit argumentum simplex consentaneum: sequitur dissentaneum, quod vi solius dissensionis arguit suum thema. *Aliâs* disjunctum.

Et sic finiri potest, quod vi argutionis à themate disjungitur; vel, quod vi solius disjunctionis arguit suum thema. Intellige dissensionem seu disjunctionem primam; quæ specialis est & propria horum argumentorum. Est enim etiam orta dissensio. Sic patet, quare sub initium hujus libri dissensio cõstituta sit communis affectio argumenti, & nihilominus hîc constituatur species. Confer cum *cap. 3. hujus libri circa finem.*

Hujus argumenti canones generales sunt tres:

1 Argumentum dissentaneum arguit negativè.

Ratio canonis sumitur ex ipsâ definitione. Si enim dissentaneum

taneum argumentũ arguit ſuum thema vi ſolius diſſenſionis, certè in diſpoſitione axiomaticâ cum eo conjungi non poterit, ſed neceſſariò disjungetur. Et ideò vocavimus argumentum disjunctum: quia distrahitur à ſuo themate per negationem. e. g. Aulicus non continuè eſt pius: homo eruditus non illicò eſt dives: arbor nõ eſt lapis: pater non eſt filius: Diabolus non eſt Deus: homo non eſt non-homo: cæcus non videt. Alii ſic efferunt canonem: *Omnia diſſentanea enuntiantur negando.* Item: *Diſſentaneorum alterum de altero nunquam prædicatur affirmatè.*

2 *Diſſentanea ſunt æqualis notitiæ & claritatis.*

Neceſſaria monitio de diſſentaneis.

Non intelligitur hîc generalis illa notitiæ æqualitas, quæ omnibus argumentis vi relationis competit. Nam ſic omnia argumenta, quatenus relata, ſeſe mutuò conſtituunt & definiunt. Non etiam intelligitur æqualis notitia, quæ eſt ex merito ſeu parte rerum. Sic enim falſus eſſet datus canon: quia contraria poſitiva ſeu affirmantia ſunt notiora negativis. Omnis enim affirmatio eſt menſura negationis: ſic bonum eſt malo prius, & notius, ejusq; menſura quoad cognitionem. Sed hîc intelligitur ęqualis notitia ratione diſſenſionis, ideoque anteceſſionis & conſecutionis axiomaticæ & ſyllogiſticæ. Atq; hęc eſt noſtra ſententia, quam ſic firmamus. In conſentaneis locum habet prioritas & poſterioritas. Dico enim: Deus creavit mundũ: homo eſt eruditus. At non poſſum ininvertere, ſine notoriâ falſitate. In diſſentaneis illa anteceſſio & cõſecutio locũ non habet vi diſſenſionis. Sicut enim dico, formoſus non eſt facundus, lapis non eſt arbor, pater non eſt filius, virtus non eſt vitium, homo non eſt non-homo, cæcus nõ eſt vidẽs: ita poſſum invertere, & dicere facundus non eſt formoſus, arbor non eſt lapis &c. Atq; hanc expoſitionẽ eſſe veram, inde patet; quia argumentum, quatenus argumentũ, vi argutionis ſuæ, debet eſſe notius themate. Et ita diſſentaneum arguens eſt notius diſſentaneo arguto. Interim verum eſt conſectarium, quod deducitur è propoſito canone: *Diſſentaneorum alterum ab altero æqualiter arguitur:* hoc eſt, quantũ valet & arguit unum, tantum valere & arguere poteſt alterum: e. g. ſi dicas lapis eſt argumentum, & arbor eſt thema quod ab iſto argumento arguitur, hactenus lapis vi argutionis activæ magis arguit: at ſi dicas, lapis eſt thema, &

arbor est argumentum , jam arbor æqualiter arguit lapidem. Quantum enim ibi arguebat lapis, tantum hîc nunc arguit arbor. Sic si dicas: Est lapis. Ergo non est arbor: item, Est arbor. Ergo non est lapis: itidem est æqualis argutio, quemadmodum modò explicavimus. At contrà in consentaneis est illustrior argutio à causâ ad effectum, & à subjecto ad adjunctum; & obscurior ab effecto ad causam, & ab adjuncto ad subjectum. Tale quid in dissentaneis non fit, quatenus sunt dissentanea. Dico, quatenus sunt dissentanea: quia si induant vestem consentaneorum, secus se res habet. e. g. Dissentanea sunt, Deus & mũdus, quatenus est alia Dei, alia mundi essentia. Hactenus igitur unum non est notius & illustrius altero, vi illius dissensionis. Nam æqualiter Deus à mundo, & mundus à Deo dissentit. Ideò dico: Deus non est mundus; &, mundus non est Deus. Sed quando Deus & mundus considerantur ut consentanea, dico: Deus creavit mundum, non contrà. Hîc alterum est altero notius & illustrius. Sic enim Deus habet rationem causę, mundus effecti.

τὰ ἐναντία παράλληλα μᾶλλον φαίνεται 3 *Dissentanea juxta se posita clariùs elucescunt.*

Hoc est, dissentanea suâ antithesi, seu mutuâ oppositione clariora evadunt: seu, unum in collatione magis notificat alterum. verbi gratiâ, pax & bellum sunt quidem dissentanea, & æquè inter se manifesta, alterumque ab altero æqualiter arguitur: at si juxta se posueris & dixeris, pax non est bellum, tum dissensio illa longè clarior est. Sic enim habes propositionem, ut suprà illam è Logicis appellavimus, exercitam. Scis quidem jam antè, quid sit bellum, quid sit pax: sed cùm alterum ad alterum adhibetur spectaturque, clarior existit cognitio. Sic formosum & facundum esse sunt dissentanea ratione Ulyssis. Hæc dissensio clarior erit, si enunciaveris: Quanquam Ulysses facundus fuit, non tamen formosus. Sic enim habes propositionem exercitam, hoc est, Logicè & directè explicatam. Quando verò dico; facundum esse & formosum sunt diversa: tantùm habeo propositionem signatam, quæ convertenda est in exercitam. Sic signatæ propositiones sunt: arbor negatur de lapide, substantia affirmatur de homine. At exercitæ sunt: arbor non est lapis, homo est substantia.

Cap.

Cap. 14. Diversa.

Argumentum dissentaneum est diversum, vel oppositum.

Diversum est, quod ratione dissentit à suo themate.

Vox diversi est ambigua. Sumitur enim generatim & speciatim. Generatim diversa dicuntur, quæcunq; non sunt eadem. Et hoc modo in Metaphysicis ens dividitur in idem & diversum. Speciatim diversa dicuntur, quæ ratione dissentiunt; Græcis τῷ λόγῳ διαφέροντα. Ratione dissentire idem est, quod definitione dissentire. Sic ratione differre sumitur pro eo, quod est definitione distingui. *Crell. in isagog. Log. pag. 64.* Sic Aristoteles ens & unum re ipsâ unum esse dicit, ratione tamen distingui, hoc est, definitione. *4. Metaph. cap. 2. text. 3.* Quod & explicatum habet *Scaliger exercitat. 307. sect. 15.* Unum, verum, bonum, inquit, sunt affectus ipsius entis, una sanè res atq; eadem cum ipso ente, sed & ab eo, & inter se distinguuntur per definitionem. Itaque rationis distinctio hîc non est, quæ pendet ab operatione intellectus, prout in Metaphysicis accipitur: sed est distinctio, quæ fundamentum habet in definitione tantùm, ita ut diversa sint, quæ solâ definitione, non etiam re subjectâ, dissentiunt.

Canones hujus argumenti sunt quatuor:

1 *Diversa ita dissentiunt, ut tamen eidem subjecto simul tribui possint eodem tempore:*

Ut pauper & eruditus, dives & pius, dives & impius, consul & pater, philosophus & Christianus, doctus & pius, sunt diversa. Sed unde hoc cognosco? Respond. 1. Ex definitione: quia paupertas & eruditio &c. differunt solâ ratione. 2. Ex hoc canone, qui illustrat definitionem: quia possunt tribui eidem subjecto, eodem tempore.

2 *Diversa affirmatè non disponuntur.* — An diversa possint disponi affirmatè?

Hoc axioma colligi poterat è canone primo generali hujus capitis: sed quia multi hanc controversiam movent, placuit specialiter aliquid dicere hanc in sententiam. Quidam contendũt, diversa posse disponi affirmatè, & adducunt hæc exempla: Quanquam formosa est, tamen pudica est: Quan-

quam formosa est, tamen lasciva est: Quanquam eruditus est, tamen est pius. Sed sciendum est, quòd diversa affirmatè disposita in consentaneorum abeant castra: nimirum considerantur ut connexa contingentia, vel adjunctum disponitur cum subjecto accidentali, hoc sensu: Formosa est lasciva: item pius est beatus. In quibus exemplis accidens est subjectum attributionis, non inhęrentiæ; nisi quatenus connotat substantiam. Hæc tamen consensio non tollit diversitatem: ut formositas & facundia etiam tum manent diversa, quando in Pericle sunt simul. Vide infra *lib.9. c.4.* Sic Salomon petebat à Deo cor obediẽs. Sed Deus dabat ipsi non solùm cor obediens, quod petebat: sed etiam longã vitam, divitias & honores, quæ non petebat. Hæc diversa suâ naturâ, in Salomone sunt cõnexa. Cùm Athenis agerentur Panathenæa, Attici senem ludibrio habebant, invitantes tanquã admissuri. Verùm ubi venisset, eum non admittebãt. Is perambulatis fere jam omnibus, tãdem ad Lacedæmonios spectatores cùm venisset, omnes è sedibus assurgentes locum illi cesserunt. Eo facto delectatus populus plausu virtutẽ comprobavit. Inter hæc è Spartanis quidam: Sciunt Athenienses quæ sint honesta, at non faciunt. Hìc scire honesta, & facere honesta, sunt diversa. Sed si quis & sciat & faciat honesta, jam sunt connexa contingentia: nunquam idem sunt. Hinc maxima: *Licet diversa cõpetere possint eidem subjecto, tamen non sunt idem*: Subjecto quidem sunt idem, at non definitione.

3 Omnia diversa possunt transire in opposita.

Quatenus nimirum distinguũtur re, seu subjecto. Ita certè pietas & eruditio opposita esse possunt, nimirũ disparata. Nam primò possunt esse in diversis subjectis. Deinde pietas non solùm eruditioni, sed etiam aliis rebus opponi potest.

An usus diversorũ possit esse syllogisticus?

4 Ex diversis tam necessariò, quàm contingenter concludi potest.

Sunt multi, qui existimant, diversa duntaxat usum habere in declarando & amplificãdo, non item in probando. Errãt. Testor exempla, in quibus argumentum ex diversis sumtũ, evidentẽ probandi vim habet. Sumo autẽ hæc è multis pauca: 1. Quidã homo non est doctus. Omnis homo est animal. Ergò quoddã animal non est doctum. 2. Quoddam flavum non est

non est dulce. Omne flavũ est corpus. Ergò quoddã corpus non est dulce. 3. Ulysses nõ fuit formosus. Ulysses fuit facundus. Ergò quidã facundus non est formosus. 4. Salomon non fuit pauper. Salomon fuit pius. Ergò quidã pius non est pauper. Hi sunt syllogismi negativi, in quibus propositio est tum particularis, tum propria, congruentes ad quintum modum figuræ tertiæ. Non igitur est consequens: Syllogismi negativi, quorum propositio sit universalis, non possunt confieri ex diversis. Ergò, diversorum usus nullo modo est syllogisticus. Alioquin hoc verum est, è diversis nullam consequentiam extrui posse extra hanc tertiam figurã. Ratio hujus est: quia diversa, quâ diversa, leviter dissentiunt. Itaq; eorũ uno affirmato alterum nec affirmatur, nec negatur; & uno negato alterum nec affirmatur, nec negatur. v. g. non sequitur: Abraham est dives. Ergò & pius. Vel. Ergò nõ est pius. Nec sequitur: Non est Philosophus. Ergò est pius. Vel. Ergò nõ est beatus. Sunt hic scopæ dissolutæ: & si fiat dispositio syllogistica plena in primâ figurâ, vel major non erit universalis, vel erũt puræ negativæ. e. g. Quidam homo est probus: quia dives. Dispositio plena hæc erit: Qui est dives, idẽ probus. Hic homo est dives. Ergò probus. Major universaliter accepta est falsa. Si informetur particulariter, vitiũ erit in formâ. Si quis adferat hoc exemplum: Quod est error, vel timor, id non est scelus. Factum Ligarii est error, vel timor. Ergò non est scelus: dicam esse argumentum ex disparatis. Nam diversa illa, error, timor, & scelus, in isto syllogismo non considerantur ut diversa, sed ut opposita.

Cap. 15. Contradicentia.

Argumentum oppositum est, quod re dissentit à suo themate.

Re dissentire idem est, quod subjecto dissentire. Intellige subjectum non inhærentiæ, sed attributionis. Si enim intelligendum esset subjectum inhærentiæ, oppositio restringenda foret ad solas substantias. Nullum enim accidens potest esse subjectũ accidentis; intellige inhærentiæ. At potest esse subjectum attributionis, sicuti triangulum dicitur subjectum æqualitatis angulorum duobus rectis, ut sunt verba *Zabar. in 1. post. contex. 151.* **Opposita.**

Ejus canones in genere sunt:

1 Opposita, quatenus talia, sunt simul.

Implicaret enim contradictionem, esse oppositum, & tamen non habere oppositum. Ais: At idem sibiipsi potest opponi, non quâ idem, sed diverso respectu; ut idem quâ pater, opponitur sibi quâ filius; & quâ videns, opponitur sibi quâ cæcus; & quâ sanus vel sapiens, opponitur sibi quâ æger vel insipiens. Resp. Etiam tum opposita sunt simul.

2 Opposita non possunt eidem tribui, secundùm idem, ad idem, & eodem tempore.

Græci eleganter sic enunciant. Opposita 1. non conveniunt τῷ αὐτῷ, sed ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ, *alteri & alteri:* ut, doctum esse, alii, indoctum, alii convenit. 2. non κατὰ τὸ αὐτὸ, h. e. secundùm unam eandemq; partem, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, *secundùm aliud & aliud*, ut mortale esse & immortale convenit homini κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. 3. non πρὸς τὸ αὐτὸ, h. e. eodem respectu, sed πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο, ad aliud & aliud relatè; ut Abraham est pater & filius. 4. non ἐν αὐτῷ χρόνῳ, eodem tempore, sed ἐν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ χρόνῳ; sic hodie sanus, cras ęger esse potest idem homo.

3 Oppositorũ uno affirmato alterum præcisè negatur.

Si enim Socrates est homo, non est lapis.

4 Opposita quatenus opposita de se invicem prædicari non possunt.

Neq; obstant hæc exempla: generatio unius est corruptio alterius: amicitia mundi est inimicitia Dei: summum jus est interdum summa injuria: otium viri boni est negotium: quidam vir est non vir: quædam civitas est non civitas: hostium dona sunt non dona: quidam habens divitias, non habet divitias: quidam felix est non felix: item, cæci vident, surdi audiunt, muti loquuntur. Non, inquam, hæc exempla evertunt canonem: quia primum exemplum non formaliter, sed causaliter seu effectivè est intelligendum, reliqua verò non enunciant oppositum de opposito; quia vel est ambiguitas, vel tropus in terminis.

5 Opposita, dum uni tertio tribuuntur, non sunt opposita respectu illius tertii, licet inter se mutuò sint opposita.

Sic cùm

Sic cùm dico: Herodes est vulpes & homo: vulpes & homo sunt quidem opposita inter se mutuò, sed non respectu tertii, cui conveniunt. Hac enim ratione sunt cõsentanea. Ita albus & niger sunt opposita, respectu dentis, in quo non possunt esse simul. At si dicam, æthiops est albus dentes, & niger cutem, non sunt opposita amplius respectu illius tertii, licet inter se sint opposita. Hinc decidi potest illa quæstio, Qualia disponantur argumenta in illâ propositione de Filio Dei: Deus est homo: Si extra Christum considerentur hæc duo, Deus & homo, accensenda erunt disparatis: at in Christo non sunt opposita, sed essentialiter consentiunt. Una enim persona constituitur ex divinâ & humanâ naturâ, tanquam ex membris duobus unius integri.

6 *Opposita esse possunt sub eodem genere:*

Nimirum vel propinquo, ut virtus & vitium sunt habitus; vel remoto, ut fortitudo & timiditas.

7 *Opposita opponuntur juxta formas, quibus à se invicem distant.*

Non igitur opponi debent juxta genus, communes causas & communia adjuncta. Nam eatenus sunt consentanea. Non ergò valet: Calor est qualitas. Ergò frigus non est qualitas. Pater est robustus. Ergò filius non est robustus.

Argumentum oppositum est primarium, vel secundarium.

Primarium est, quod omnium fortissimè opponitur suo themati.

Oppositum primarium est contradicens, quod vi contradictionis suum thema arguit.

Sic non-homo arguit hominem, non-loqui arguit τὸ loqui.

Ejus canones sunt:

1 *Contradictio est omnium oppositionum prima.*

Est enim hæc oppositio inter ens & non-ens. Unde & primum principium cognoscendi hoc esse statuitur: *Impossibile est idem esse & non-esse.* Itaq;

Contradictio est omnium oppositionum mensura.

Manifesta est hujus consectarii ratio ex canone illo modò dato. Si enim est prima, utiq; mensura. Nam quod in aliquo genere est primum, id est mensura reliquorum. Hinc Scholastici: *Omne oppositum includit in se virtualiter oppositi negationem.* Item: *Quantò reliquæ oppositiones plus participant de contradictione, tantò habent plus de oppositione.* Atq; hæc causa est, quòd contradictioni primum locum dedimus in categoriâ oppositorum. Nam quia est prima, utiq; & simplicissima, atq; adeò generalior. Cæterùm intelligitur hîc contradictio incomplexa, non complexa; quarum illa vocatur topica, hæc axiomatica.

2 *Contradictio caret simpliciter omni medio.*

Medium quinq; modis dicitur.

Medium statuitur quintuplex à philosophis. 1. *Negationis extremorum seu subjecti*; quod sic interjacet inter extrema, ut in neutrum illorum cadat, quale medium dicitur esse spiritus inter calidum & frigidum. 2. *Participationis extremorum*, quale medium est tepor inter frigus & calorem, quia de utroq; aliquid participat. 3. *Loci, seu positionis*, quod est medium interjacens inter terminum à quo & terminum ad quem. 4. *Perfectionis*, seu proportionis inter excessum & defectum: in quali medio virtus dicitur consistere. 5. *Assecutionis*, ut sunt omnia media, per quæ assequimur finem. In canone intelleximus medium in primâ & secundâ significatione: quo sensu alii dicunt esse medium duplex, medium subjectum seu anonymum, & mediam formam, seu medium nominatum.

3 *Uno contradicentium affirmato, alterum negatur necessariò; & uno negato, alterum necessariò affirmatur.*

Id probatur per canonem tertium. Si enim omnis contradictio est sine medio, profectò tertium inter illa non poterit dari, ideoq; uno affirmato alterum negabitur, & contrà. Et hæc quoq; causa est, quòd contradicentia nunquam simul possint esse vera. Si enim hoc verum est, homo est homo; quæ prædicatio identica non est nugax; oppositum non erit verum, homo est non-homo.

4 *Nega-*

4 *Negatio simplex in contradictione adeò ampla est, ut neget ubique:*

Hoc est, in nullo certo subjecto: ut si dicam, homo, non-homo, hæc negatio simplex adeò ampla est, ut omnia complectatur, præter id, quod fuit affirmatum. Hinc philosophi: *Negatio est quasi genus eorum, quæ sub negatione continentur:* ut non-homo est quasi genus lapidis, asini, & cæterorum, quæ non sunt homines. Nam omne quod non est sub affirmatione, id reperitur sub hujus affirmationis negatione. Itaque

Quò affirmatum est superius, & altius, eò plus sub se comprehendit; & quò inferius, eò minus; contrà negatum quò est inferius, eò plus; & quò superius, eò minus comprehendit sub se.

Alii sic efferunt: *Quantò minor est ambitus negationis, tantò major erit ambitus affirmationis:* ut non-entis ambitus est minor: ergò entis est major. Nam hîc τὸ ens est superiori, imò summo loco. *Et quantò minoris est comprehensionis affirmatio, tantò majoris negatio:* ut si dicam, Aristoteles, ambitus affirmationis est minor, & negationis (non-Aristoteles) ambitus est major. Nam hîc negatio est inferior, ideoq; plus comprehendit. Cæterùm illa nomina non-homo, non-Deus &c. vocantur *ἀόριστα indefinita*, & stant pro uno termino.

5 *Contradictio est instrumentum disserendi excellentissimum.*

Multi existimant, contradictionis simplicis nullam esse in Logicis utilitatem. Canon contrarium loquitur. Ratio canonis est: quia contradicentium usus est: 1. In omni disputatione, quâ adversarius deducitur ad absurdum. 2. In distributionibus. Nam cùm genus per differentias oppositas dividimus, semper altera duarum est pura negatio alterius, & nil significat positivi. Sub hâc tamen comprehenduntur positivæ. Vide librum de distributione.

Cap. 16. Relata.

ARgumentum oppositum secundarium est, quod minùs fortiter opponitur themati.

Estq; directè, vel indirectè oppositum.

Directè oppositum est, quod uni tantùm opponitur.

Estq; vel positivè, vel privativè oppositum.

Argumentum positivè oppositum est, quod arguit suum thema tanquam aliquid positivè existens.

Estq; vel relativè, vel contrariè oppositum.

Relativè oppositum argumentum est, quod arguit suum thema vi oppositionis tanquam correlatum.

Canones hujus loci sunt:

1 Oppositio relativa est omnium debilissima.

Relativè opposita.

Docent hoc in loco de relatione ejusque naturâ: id quod Metaphysici est proprium. Hîc relata debent considerari tanquam opposita. Et ita paucissima de illis præcipi debent. Cæterùm canon ostendit debilem oppositionem relatorum, quam Scholastici ajunt non esse pugnacem, vel non satis inimicam. Hoc omne accipies de ipsâ dependentiâ, non de remotione seu oppositione ipsâ. Nam oppositio inter relata est satis firma, si in se consideretur: ut Pater non est filius æquè atque tenebræ non sunt lux. Sed oppositio illa dicitur debilissima, quia unum ab altero dependet: id quod non fit in reliquis speciebus oppositorum.

Relata quantu id materiale nō simul, sed quantu formale.

2 Relativè opposita non habent medium.

Intellige medium participationis. Non enim datur res, quæ partim pater sit, partim filius. Datur tamen medium negationis extremorum; ut lapis, qui nec pater est, nec filius. Plura de relatis, quâ relata sunt, infrà in libro 7. cap. 7.

Cap. 17.

Cap. 17. Contraria.

Argumentum contrariè oppositum est, quod arguit suum thema vi oppositionis tanquam contrarium: *ubi strictè accipitur* vox contrarium. Contraria.

Ejus canones generales sunt:

1 Contraria seu adversa sunt pellentis naturæ.

Aliâs sic effertur hic canon: *Contraria in se mutuò agunt expellendo.* Sic enim philosophus: φθαρτικὰ ἀλλήλων τὰ ἐναντία. Itaque formæ substantiarum non sunt sibi invicem contrariæ; quia nulla forma formam destruit. Ergò nec anima rationalis in homine destruet formam sensitivam, nec hæc vegetativam. Objicis: At forma gallinæ destruit formam ovi. Respon. Imò non destruit, sed ab alio principio destruitur forma ovi, cui succedit forma gallinæ.

2 Contrarium est aliquid alicui, vel primò, secundùm se, vel secundùm aliquid quod in se participat.

Sic qualitates per se sunt contrariæ, ut calor & frigiditas: at ignis aquæ est contrarius non per se, sed per accidens, nimirum propter qualitates.

3 Contraria sunt in eodem prædicamento:

Ut si unum ad qualitatem pertinet, etiam alterum ad qualitatem pertinere debet.

4 Quidquid alicui contrarium est, id per essentiam, quâ id est, quod est, contrarium est.

Seu, contrarium est aliquid alicui per formam. Neque hinc sequitur, substantiam substantiæ, vel formam formæ esse contrariam: sed hoc duntaxat, quòd contrarietas in substantiâ reperiatur virtualiter, tanquam in primâ radice, à quâ procedat; non formaliter. Illa contrarietas non pugnat cum substantiæ perfectione, sed dicit, substantiam aliquid eminentius habere, quo efficiat contrarietatem. Sicut Sol dicitur calidus: ita dicitur essentia contraria essentiæ.

Contraria sunt mediata, vel immediata.

Contraria mediata sunt, quæ medium interjectum habent: *sive illud sit medium negationis, sive participationis.*

Sic album & nigrum habent alios colores intermedios; bellum & pax medium quoq; habent, nempe inducias; sic calidum & frigidum habent medium tepidum. Et quidem in his est medium nominatum seu participationis, quod aliâs vocatur media forma. Sed inter virtutem & vitium est medium anonymum, seu negationis extremorum, quod etiam dicitur medium subjectum; estque id, quod nec virtus est nec vitium.

Canones ejus sunt:

1 *Non necesse est, ut alterum contrariorum mediatorum insit subjecto.*

Ratio: quia habent medium. Ideò non est necesse, omne corpus esse vel album, vel nigrum, cùm possit esse vel rubrum, vel viride, vel alterius coloris.

2 *Extrema sunt contraria secundùm se, media verò extremis contraria sunt secundùm gradum participationis:*

Ut album & nigrum sunt contraria secundùm se: sed rubrum sic contrariatur albo, quia magis participat nigrum. Sed virtus non est medium participationis. Ergò suis extremis contrariatur, non per modum medii; sed per modum extremi: quia scilicet virtus stat pro uno extremo, quod est bonum.

st impossibile duo ntradictoria, nisi dhibeatur legitima stinctio, esse si- ul vera.

3 *Contrarium non potest esse in contrario.*

Hoc est acroama philosophicum. Sed quando dicimus, contraria possunt esse in eodem subjecto in gradibus remissis, item successivè; loquimur populariter. Nam si contraria sint in uno subjecto. v. g. si quis sit simul lætus & tristis, si quid simul calidum & frigidum; licet illa extrema in se sint contraria, tamen non sunt contraria respectu illius tertii, sed potiùs adjuncta consentanea. Deinde, quando dicimus, contraria posse esse in eodem subjecto successivè, intelligimus subjectum capax utriusque contrarii, non autem illud, cui

unum

unum contrarium per naturam necessariò inest. Sic ignis est quidem calidus, sed non potest esse frigidus: at aqua modò est calida, modò frigida, & quidem in summo sive excellenti gradu: quia scil. ille per naturam est determinatus ad unam qualitatem, ista verò est indifferens ad utramq;.

Contraria immediata sunt, quæ medio carent. Itaque

Necesse est ut semper alterum insit in subjecto per naturam ad illud suscipiendum comparato:

Ut numerus par & impar sunt contraria immediata. Ideò necessum est, omnem numerum esse vel parem, vel imparem.

Cap. 18. Privantia.

Argumentum privativè oppositum est, quod arguit vi privationis suum thema tanquam habitum.

Privatio est negatio habitus qui jam fuit, vel esse debuit in subjecto nato eum recipere. Privatio.

In hâc definitione privatio more recepto dicitur negatio, quod sic accipiendum. Negatio philosophis est duplex, negans & privans. Negans est, quæ tollit subjectum cum adjuncto. Et hujusmodi negatio dicitur simplex. Scholasticis malignans. Negatio privans est, quæ tollit quidem adjunctum seu habitum, sed relinquit subjectum, cui additur. Et hæc dicitur negatio κα[illegible] τι. In hâc materiale à formali accuratè distingui debet. His additur negatio infinita, vel infinitans, ut loquuntur Scholastici. Sed illa revocari potest ad simplicem. Hîc notabis, synecdochicam esse appellationem hujus Topici. Nam privantia sic dicuntur à contrarietatis parte alterâ, videlicet privatione, ita ut nomen speciei tribuatur generi.

Privationis canones hi sunt in genere:

1 *Privatio præsupponit habitum.*

Verus est hic canon de privatione Logicâ, non de Physicâ,

qualis privatio tribuitur ovo respectu pulli. Et hæc dicit non simpliciter negationem, sed cum negatione aptitudinem. Illa simpliciter dicit absentiam seu carentiam habitus, & requirit tres conditiones. 1. ut subjectum sit aptum natum ad formam recipiendam, juxta regulam: *privatio & habitus sunt circa idem subjectum.* Ideò lapis non dicitur cæcus. 2. ut privatio attribuatur ei parti, in quâ potest esse forma: sic homo non dicitur cæcus, quòd non videat pede vel manu. 3. ut eo tempore forma absit, quo adesse poterat vel debebat per naturam. Ideò infans non rectè dicitur mutus, nec catulus recens natus, cæcus: sed homo dicitur mutus, qui jam consecutus est annos illos, quibus loqui poterat. Ideò definitur privatio Logica, quòd sit absentia formæ, quæ jam fuit vel esse debuit in subjecto πεφυκότι.

2 Privatio nulla est essentia alicujus rei positivæ.

Ut enim nullum esse habet, ita esse nullum dare potest. Dicitur autem privatio habere nullum esse, scil. positivum. Nam privatio consideratur vel formaliter, vel consequenter. Formaliter est carentia, adeoque nihil ejus, cujus est privatio, sed consequenter est habitus, & ita non est in classe privantium, sed adversorum.

Privatio est totalis, vel partialis. *Illa dicitur ἁπλῶς privatio & ἐντελὴς, hæc πῶς & ἀτελής.*

Privatio totalis est, quæ tollit & habitum, & potentiam ad habitum:

Ut cæcitas totalis dicitur, quæ humorem crystallinum, non solùm habitum tollit. Dicitur aliâs *privatio potentiæ,* satis aptè.

Ejus canones duo sunt:

1 Privatio totalis est planè destructiva.

Itaque præter naturam. Ἔνδηλον.

2 A privatione totali ad habitum non datur regressus:

Videl. per naturam, licet detur per omnipotentiam Dei. Hîc disputatur: an ab ullâ privatione ad habitum eundem numero fiat reditus? Resp. Per naturam non potest. A virtute divinâ potest. Si enim Deus potest reproducere idem

numero

numero corpus, etiam eundem numero habitum. Ille enim est causa eminentissima.

Privatio partialis est, quæ tollit actum: *unde &* privatio actus, *item* privatio secundùm quid *dicitur*, *item* privatio habitus: *licet Polanus privationem habitus à privatione actus distinguat. Sed malè.*

Canones ejus duo sunt:

1 A privatione actus seu habitus ad habitum facilis datur regressus.

Sic tenebræ sunt privatio lucis, somnus privatio sensionis externæ. Et ab his datur ordinarius & facilis regressus ad habitum.

2 Privatio partialis sæpe est media:

Hoc est, nunc bona, nunc mala. Itaque nunc secundùm naturam, nunc præter naturam; uti somnus, de quo Poëta

——— *Menti deus utilis ægra*
Somnus.

Dixi, *sæpè.* Nam interdum non est salvativa, sed maximè corruptiva: ut peccatum originale est privatio justitiæ originalis, quæ inesse debebat. Et hujusmodi privationes ita privant, ut substituant contrarium habitum. Itaque per naturam non datur facilis ab iis regressus ad habitum, sed vel per institutionem, vel auxilium Dei speciale, ut ita privationis ἀδυναμία, & hanc consequens δύναμις, tollatur & infringatur.

Cap. 19. Disparata.

SEquitur argumentum indirectè oppositum, quod multis pariter opponi potest thematis, & dicitur disparatum.

Hîc placet tribus verbis indicare, cur titulos capitum in classe argumentorum dissentaneorum, in plurali numero posuerimus, v. g. diversa, contradicentia &c. cùm tamen in contextu præceptorum in singulari numero dixerimus ar- Disparata.

gumentum diversum, oppositum &c. Utrumq; dicitur rectè, licet posterius sit ἀκριβέστερον. Etenim in dissentaneis, v. g. diversis est unum quod arguit,& unum quod arguitur. Illud dicitur argumentum,hoc thema. Quia verò thema interdum induit vestem argumenti,dicimus in plurali argumenta diversa. Vel,quia argumentum est principalius themate,illius quoq; nomen prævalet. Vel denique,pluraliter loquimur,ut significemus non agi de hoc vel illo relato,vel disparato; sed esse tractationem generalem:ita ut ad hunc locum omnia relata reduci possint. Sed hoc videatur alicui minutum. Videamus definitionem disparati argumenti. Disparatum argumentum nobis est finitum, quod multis pariter opponi potest thematis. Hîc notanda sunt duo. 1. Vocula *pariter*. 2. Phrasis illa, *opponi potest*. Vocula *pariter* est necessaria,& idem valet,quod eâdem ratione. Sic lapis *pariter opponi potest* arbori & aquæ. Deinde diximus *opponi potest*, non, *opponitur:* quia videl. non semper actu ipso opponitur disparatum argumentum multis thematis,licet possit: ut quando dico,panis & corpus Christi sunt disparata; hîc panis non solùm corpori Christi opponi potest,sed etiam aliis rebus. Hoc est, quod dicit *Libavius l. 1. Logicæ emendatæ pag. 78.* Agnoscuntur disparata ex affectione, quam non habent ad unum tantùm,sed ad plura simul,à quibus dissentiunt vi pari;quanquam ex hypothesi ita tractari possint, ut etiam duo sint tantùm, sed manente affectione disparatâ,& potentiâ,quâ poterant multis simul opponi. Quibusdam disparata dicuntur repugnantia. Sed alii distinguunt illa à disparatis, & repugnantiam dicunt esse inter disparatum unum & alterius proprietatem,vel inter duas plurésve proprietates disparatorum & contrariorum: ut electum esse,& excidere gratiâ Dei; nigrum esse, & disgregare visum;prudentem esse, & non posse dissimulare iram.

Canon de disparatis est unicus:

Disparatorum uno affirmato, negantur reliqua omnia:

Ut, est vestis cœrulea. Ergò nec flava, nec alba, nec viridis &c.

Sed non

Sed non negato uno affirmatur quodvis ex reliquis, verùm aliquod ſaltem, idq; indeterminatum:

Ut, Non es homo. Ergò es dea. Eſt argumentatio Vergilii, in quâ negato uno disparato affirmatur illud, quod quidem ſignis præſentibus colligebatur, quaſi è disjuncto & hypotheſi proceſſiſſet: aut homo es, aut dea &c.

Ex omnibus tamen aliis ſimul negatis, affirmatur reliquum, ſiquidem unum eſſe neceſſe eſt:

Ut cœruleum eſt cœlum. Quia nec flavum, nec rubrum, nec album &c. vel compendio, quia reliquorum colorum nullus apparet. Sic, abſynthium eſt amarum: quia nec dulce, nec pingue, nec auſterum, nec acerbum, nec acre, nec acidum, nec ſalſum, neq; etiam hæc ſimul.

Cap. 20. Comparata in genere.

Atque tale eſt argumentum ſimplex; ſequitur comparatum.

Argumentum comparatum eſt, quod cum ſuo themate comparatur in uno tertio.

Ejus canones in genere ſunt:

1 Comparatio non tollit rerum diſtinctionem, ſed ſupponit. Comparata.

Non enim poſſent res comparari inter ſeſe, niſi diſtinctæ eſſent: ut Chriſtus & Paſtor, Eccleſia & vinea, Sol & Luna, non poſſent inter ſe conferri, niſi eſſent entia à ſe invicem diſtincta.

2 Comparatio quævis fit in aliquo tertio, quo res inter ſe conveniunt, vel differunt.

Ratio: quia extrema conſiderantur vel ſimpliciter, ut Deus & mundus, lapis & homo, pater & filius: vel in collatione. Si igitur collatio differt à ſimplici conſideratione, & ibi non eſt tertium, neceſſum eſt ut hîc ſit tertium: ut Chriſtus & Paſtor conferuntur in hoc tertio, quòd curent quisq; ſuas oves. Hinc illud: *Quæ in uno tertio conveniunt, inter ſe conveniunt; & contrà.*

3 ***Omnes res mundi universi inter se comparari possunt.***

Etiam axiomata & syllogismi & methodi. Sed sic induunt vestem terminorum simplicium. Hinc axioma aliud dicitur verius & certius altero; syllogismus alius perfectior altero; hæc methodus illâ melior. Hinc etiam sæpe in probandâ quæstione controversâ integrum axioma sumitur pro argumento seu medio termino ex loco comparatorum: ut, impii non faciunt bona opera. Q. arbor mala non fert fructus bonos. Maritus suam uxorem diligere debet. Q. Christus Ecclesiam suam diligit.

4 ***Comparata sunt æquè nota, & non æquè nota.***

Sunt æquè nota, quatenus cōsiderantur secundùm ipsam comparationis naturam, seu quatenus comparata sunt. At non sunt æquè nota, quatenus extra comparationem, secundùm suam essentiam absolutam considerantur. Sic enim alterum altero & alicui & alicubi potest esse notius & illustrius, vel quoad sensualem, vel quoad intellectualem cognitionem. e. g. ovum ovo est simile. Hîc utrumque notum est vi comparationis, quæ facit ut si unum noveris quale sit, noveris & alterum, tametsi alterum non videris. Id tamen quod vidisti, tibi dicitur notius, quoad cognitionem sensualem. Ita si dicas: homo est bulla: utrùmque extremum tibi æquè notum est vi comparationis, licet alterum possit esse notius secundùm essentiam absolutam. Ita si Creusæ umbram conferas cum vento in levitate, Creusæ & venti æqualis fuerit notitia, non quidem ex Creusæ & venti naturâ, verùm è levitatis ratione in quâ conferuntur; quæ utrobique æqualis est. Objicis: Argumentum semper est notius themate. Ergò & in comparatis hoc locum habet. Respon. Omninò argumentum, quatenus arguit, notius est themate. Hoc adeò verum est, ut privatio, quæ arguit habitum, tanquam arguens arguto sit notior, non tanquam privatio: sic relatum quâ relatum arguens est notius correlato. Et hoc etiam valet in comparatis, neque evertit hanc illorum ὁμογνωσίαν quia comparata dicuntur esse æquè nota vi comparationis, quæ non evertit formalem rationem argumenti, sed duntaxat

duntaxat ipsi addit novum respectum: ita ut prærogativa argumenti per specialem illam comparatorum affectionem non evertatur.

5 Comparatio habet duas partes integrales, propositionem & redditionem.

Illa Græcis πρότασις, hæc ἀπόδοσις dicitur. Propositio est prior comparationis pars, continens argumentum: redditio est pars posterior continens thema: ut homo est flos. Hîc propositio & redditio ponuntur implicitè, & sic evolvuntur. Sicut flos citò oritur & interit: ita & homo. Verum itaq; est de omni comparatione, quòd duas illas partes habeat, non de explicitâ tantùm, ut nonnulli volunt.

6 Comparatio est implicita, vel explicita.

Implicita dicitur etiam contracta, quæ partes suas non distinctè, sed breviter proponit; idque vel sine notis, ut Christus est pastor: vel cum notis, ut gratia principum est similis vitro. Explicita seu explicata comparatio est, quæ partes suas quatuor terminis distinctè & plenè explicat: ut ex illo Ciceronis; *Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studia gloriâ:* sic elicies plenam comparationem: Ut cibus ad corpus se habet, sic honos ad artes. Ergò honos artium cibus, & cibus corporis similiter dicitur, ut patet ex descriptione quatuor terminorum hâc;

Cibus. Corpus. Honos. Artes.

Vel potiùs sic, ut appareat homologorum terminorum permutatio:

Cibus — Corpus.
Honos — Artes.

Deinde ex eodem exemplo dices: Ut incendium ad materiam aut fomitem, sic gloriam esse ad studia, ut monstrat hæc terminorum descriptio:

Incendi. — Fax vel fomes.
Gloria. — Studia.

Sæpe autem, quod hîc notandum est, duæ vel tres similitudines explicatæ surgunt ex unâ contractâ. *Duæ*, ut ex illo: Ut sementem feceris, ita & metes. Hîc duplex proportio sic est describenda:

Agricola.	Sementis.	—	Meſſis.
Homo.	Benefactum.	—	Gratia.

Similitudo hæc eſt: Sicut agricola ſementem facit,ita qui alteri beneficium præſtat. Et ſicut agricola pro præmio accipit meſſem: ita & benefactor præmium habet gratiam. Tres ſimilitudines ex illo Ciceronis ſurgunt: *Memoriâ veſtrâ, Quirites, noſtræ res alentur, ſermonibus creſcent, literarum monumentis inveteraſcent, & corroborabuntur.* Surgunt,inquam,hoc modo: ut ſata planta alitur ſive nutritur, nutrita creſcit, creſcens inveteraſcit & corroboratur: ſic res geſtæ memoriâ innoteſcunt, notæ commemorantur, commemoratæ autem literarum monumentis mandantur & poſteritati commendantur. Deſcriptio eſt cujuſdam æquationis ordinatæ hoc modo:

Planta	Alimentum.	—Incrementū.	—Robur.
Res geſtæ	Intellectus.	—Sermo.	——Hiſtoria.

Hoc exercitium eſt perelegans juxtà & perutile. Si igitur occurrat comparatio contracta, vide quot modis una res cum aliâ poſſit conferri. Ita ſi dicam: Ira eſt incendium animi; conſidera naturam incendii, in quâ deprehendes flammam, ardorem, & jactum flammarum. Sic ergò deſcribas proportionem:

Incendiū.	Flamma.	—Ardor——	Jactus flammarū.
Ira.	Furor ——	Rubor in facie —	Atroces oculi.

Neque ſolùm hæc ratio in ſimilibus, ſed etiam in aliis comparatorum ſpeciebus locum habet, licet in ſimilibus ſit copioſior & illuſtrior.

7 *Explicata comparatio eſt prior contractâ.*

Ratio eſt manifeſta: quia contractum dicitur,quod partes diſtinctè conſideratas involvit. Itaque

Omnis explicata duci poteſt in contractam; & omnis contracta reduci in explicatam.

Hoc patet è canone 6.

Cap. 21. Paria.

ARgumentum comparatum eſt, vel primariū, vel ſecundarium. Illud

Illud vulgò comparatum in quantitate, hoc in qualitate dicitur apud Ramum. Sed sine ratione. Videris hâc de re *Timplerum lib.2. Logic.c.6.q.5.*

Comparatum primarium est, quod suum thema arguit vi comparationis firmioris.

Ejus canon est:

Comparatio primaria alia est rerum, alia rationum.

Comparatio est rerũ vel rationũ.

Comparatio rerum est, cùm res incomplexæ seu termini simplices inter se comparantur in aliquo tertio, tanquam pares, vel impares. Comparatio rationum seu probabilitatis est, cùm sententiæ seu propositiones inter se conferuntur, tanquam pariter vel impariter probabiles: ut si gloriam conferas cum divitiis, comparationem instituis inter res: at si dicas, probabilius est aliquem amare suum amicum, quàm amare inimicum: inter verisimilitudinem seu probabilitatẽ enunciationum instituis collationem. Comparata ratione rerum habent locum in usu & axiomatico & syllogistico: ut, Sol major est Lunâ, vita plus est quàm victus, doctrina minor est quàm probitas: sed comparata ratione probabilitatis in usu syllogistico duntaxat locum habent.

Argumentum comparatum primariũ est par, vel impar.

Par est, quod thema suum vi paritatis arguit.

Argumentum par est vel propriè, vel impropriè dictum.

Par propriè dictum est, quod arguit suum thema vi paris quantitatis.

Estque vel rei, vel rationis.

Par rei est, cùm par quãtitas attẽditur in reipsâ.

Ejus canones sunt duo:

1 Quantitas, quæ in his paribus attenditur, est attributum limitatum æqualitate vel essentiæ, vel affectionis.

Exemplum prioris: Plato est æquè homo, ac Aristoteles. Exemplum posterioris: Johannes est æquè peritus ac Cunradus. Sensus canonis igitur hic est: Dum res par cum pari confertur, attenditur eadem quantitas seu idem gradus, vel

essentiæ, vel affectionis, quæ est vel numerus, vel magnitudo, & hæc vel extensiva est, vel intensiva. In eâdem quantitate seu gradu essentiæ comparantur tres personæ SS. Trinitatis. Intellige quantitatem intensivam, quæ dicitur perfectionis & virtutis, non extensivam, quæ dicitur quantitas molis. In eâdem quantitate numeri comparantur Sacramenta Veteris & Novi Testamẽti. In eâdem quantitate magnitudinis comparantur duæ lineæ æquales. Et hæc est magnitudo extensiva. In eâdem quantitate magnitudinis intensivæ comparari possunt duo theologi vel medici æquè docti & exercitati. Itaque *de paribus idem est judicium.* Et *quod valet in re pari, idem quoque in re compari.*

2 ***Ad locum comparatorum pertinent argumenta dissentanea seu opposita paria, hoc est, talia argumenta, quæ ducuntur à contrario sensu.***

Olevi an. pag. 49. Dialog. Valetque argumentatio per regulam Ciceronis *5. Tuscul. Contrariorum contraria sunt consequentia:* ut Virtus est laudanda. Ergò vitium vituperandum. Pater est qui genuit. Ergò filius, qui genitus est. Ejusmodi argumentum à pari est συμπλοκὴ ἐναντίων, *conjunctio contrariorum.* Itaque consequentia valet, cùm oppositio sit legitimè secundùm differentias oppositas. Nam tum par est ratio, & termini sunt reciproci in antecedente. At non valet, cùm oppositio sit secundùm genus, aut communia accidentia. Tum enim termini non sunt reciproci. Non ergo sequitur: Tutores debent benefacere pupillis. Ergo qui non sunt tutores, non debent eis benefacere. Nam benefacere est adjunctum tutoribus commune cum quibusvis hominibus. Deinde regula valet in perfectè contrariis. Non ergo sequitur: Mala opera damnant. Ergo bona salvant. Ratio: quia non sunt pariter contraria mala & bona opera. Illa perfectè mala, hæc imperfectè bona sunt. Hic velim te scire, Logicos constituere duplicem oppositionem seu consecutionem oppositorum. Consecutionem oppositorum aliam faciunt indirectam seu inversam: quæ Græcis dicitur ἀνάπαλιν ἀκολούθησις, ut: Vita æterna est hæreditas. Ergo non comparatur nostris meritis. Deus interdicit & odit peccatum. Ergo non est ejus author: aliam directam, quæ Græcis est ἐναλλάξ, & ἐπὶ ταὐτὰ ἀκολούθησις, Latinis argumentum

gumentum oppositorum parium, in quo fit oppositio per propria: ut, Qui habent spiritum Christi, sunt ejus. Ergo qui non habent spiritum Christi, non sunt ejus. Item: Qui perseverant ad finem, erunt salvi. Ergo qui non perseverant ad finem non erunt salvi.

Par rationis est, cùm par quantitas probabilitatis attenditur.

Ejus canon est:

Si duæ propositiones sint æquè probabiles, unâ positâ alteram quoq; poni consentaneum est:

Ut, Error fertur in cæteris ut humanum quid. Ergo etiam ferendus est in philosopho. Antè diximus, comparationem probabilitatis non facere ad explicationem, sed duntaxat ad probationem, h.e. non habere usum in dispositione axiomaticâ, sed tantùm in syllogisticâ. Exemplum hujus rei jam dedimus de paritate probabilitatis. Vulgò dicitur argumentum ab eo quod pariter est: at argumentum à pari rei simpliciter dicitur argumentum à pari.

Par impropriè dictum est comparatum, quod cum themate confertur citra quantitatem in aliquo tertio attributo, sive absoluto, sive respectivo.

Ejus canon est:

Paria impropriè dicta sunt ea, quæ conveniunt causâ, causato, subjecto, adjuncto, toto, partibus, genere, specie, definitione, & aliis terminis.

Hinc fit ut entia inter se comparata, dicantur eadem & diversa, vel essentialiter, vel accidentaliter. Essentialiter eadem & diversa, conveniunt & differunt essentiâ genericâ, specificâ, & numericâ. Accidentaliter eadem & diversa conveniunt & differunt accidenti aliquo, ut quantitate, qualitate, actione, passione, relatione. Similiter hinc fit ut alia dicãtur eadẽ & diversa causâ, sive finali, sive efficiente, sive materiali, sive formali: alia causato, ut finito, effecto &c. alia subjecto, sive recipiente, sive occupãte: alia adjuncto &c. Ex his comparatio pariũ propriè dictorum est, cùm res convenit cum re, aut essentiâ, aut numero, aut magnitudine, sive ex-

tensiva illa sit, sive intensiva. Reliqua inter se paria dicuntur impropriè: ut cùm Angelus & homo dicuntur pares causâ efficiente & finali, item quibusdam effectis & adjunctis. Hæc aliis Logicis dicuntur eadem: ut Sacramenta V. & N. T. sunt eadem causâ efficiente: disputatio & concio sunt eadem fine; videlicet gloriâ Dei: piper & zingiber sunt eadem effectu: Fides & charitas sunt eadem subjecto: Plato & Aristoteles sunt eadem adjuncto, ut tempore vel eruditione: Baptismus & S. Cœna sunt eadem genere: Fides Abrahami & Pauli est eadem specie.

Cap. 22. Majora & minora.

ARgumentum impar est, quod thema suum vi imparitatis arguit.

Estque vel propriè, vel impropriè dictum.

Impar propriè dictum est, quod arguit suum thema vi imparis quantitatis.

Estque majus, vel minus.

Majus est, quod quantitate excedit.

Estque vel rei, vel rationis.

Majus rei. Majus rei est, cùm majoritas attenditur in ipsâ re.

Ejus canones sunt:

1 *Quod suâ naturâ tale est, magis tale est, quàm id quod per participationem:*

Ut Sol est lucidior speculo, & ignis calidior aquâ fervente. Sic potus frigidus melior est calido.

Quod per se est tale, magis est tale, quàm quod per accidens:

Ut exercitium & cibus modicus sunt salubriora ustione aut amputatione brachii.

3 *Cui magis inest causa, ei magis inest effectus:*

Sic juvenis est robustior sene.

3 *Cui magis convenit definitio, ei magis convenit definitum:*

Ut pri-

Ut primæ ſubſtantiæ magis convenit definitio ſubſtantiæ, quàm ſecundæ. Ergo illa magis eſt ſubſtantia. Sic utile definitur, quod ad finem conducit. Ergo id quod magis conducit, eſt utilius.

5 *Quod magis proprium eſt rei, eidem eſt melius:*

Ut homini uti ratione eſt magis proprium, quàm uti ſenſu. Ergo & melius.

6 *Proprium melioris rei eſt melius proprio rei deterioris:*

Ut proprium hominis eſt melius proprio bruti.

7 *Plura bona ſunt anteponenda paucioribus:*

Ut literæ cum virtute iisdem ſine virtute.

8 *Quod ſimpliciter & universè bonum eſt, melius eſt eo, quod alicubi bonum eſt:*

Ut valere melius eſt, quàm curari: & lux tenebris, quia hę ſunt tantùm meliores noctuæ, vel furi.

9 *Quod à ſuo contrario magis remotum eſt, magis tale eſt, quàm quod minùs ab eo remotum eſt.*

Sic ſub polis frigus eſt intenſius, quia plaga illa eſt remotior à zonâ calidâ: temperantia magis virtus eſt, quàm continentia, quia illa nullâ vitii contagione inquinatur, hæc non ſine ancipiti luctâ cum cupiditatibus confligit.

10 *Quod ſemper, vel* ἐπὶ πολύ, utplurimum, *eſt utile, magis tale eſt, quàm quod aliquando:*

Ut juſtitia eſt melior fortitudine.

11 *Quod ad plura conducit, melius eſt, quàm quod ad pauciora:*

Ut aqua quàm vinum, vel mel.

12 *Cui magis inſunt media ad finem, eidem magis ineſt finis:*

Ut ille doctior, cui plus ingenii, plus ſtudii, plus otii, plus librorum.

13 *Quod inest meliori & honoratiori, est melius:*
Ut quod inest in animo, quàm quod in corpore est.

14 *Quod prioribus inest, præstantius est, quàm quod posterioribus:*

Ut sanitas quàm robur. Sanitas enim consistit in analogicâ seu æquali proportione humorum, qui dicuntur ideo primæ compositionis; at robur in nervis & ossibus, quæ faciunt ad secundam compositionem, situm est. Sic bonitas prius inest Deo, quàm creaturæ.

15 *Quod propter se expetitur, præstantius est eo, quod expetitur propter aliud:*

Ut pax bello, vita victu, sanitas exercitio corporis.

16 *Bonum obvium, & frequens, & quod ad manum est, melius est eo quod raro aut ægrè est utile:*

Ut panis est utilior turdis: & aqua, quæ ad manum est, siticuloso melior est vino, quod non habet. Cæterùm hic canon, ut & reliqui, intelligendus est cæteris paribus. Alioqui possunt esse falsi. Nam sæpè accidit, ut quorum raro fit copia, sint optima.

17 *Quod circa præstantius objectum versatur, præstantius est, quàm quod circa minus præstans:*

Ut Theologia præstantior est Philosophiâ.

18 *Quod per se bonum est, aut causa boni, aut inest alicui, melius est eo, quod per accidens:*

Ut valetudo optabilior est medicinâ, virtus formâ, justitia amicorum quàm hostium.

19 *Quod naturâ bonum est, melius est eo, quod non naturâ bonum est:*

Ut vita quàm mors est melior, Sed hic canon referri potest ad 18.

20 *Cujus conjugatum est melius, id quoque melius censetur:*

Ut justè agere est melius quàm fortiter. Ergò & justitia est præstantior fortitudine.

21 *Quod si omnes haberemus, altero non sit opus, præstan-*

præstantius est, quàm id, quo obtento altero indigeremus:

Ut justitia quàm fortitudo: abundantia rerum est melior pecuniâ. Aliâs sic effertur hic canon: *Quod quis cùm habet, non desiderat alterum, melius est eo, quod cum adeptus est quispiam, altero indiget.*

22 *Causarum finalium postrema est utilissima:*

Ut felicitas est melior virtute, pace, opibus, &, ut Philosophus ait, toto fortunæ instrumento.

23 *Quæ ordinantur ad meliorem finem, sunt meliora:*

Ut artes liberales meliores sunt sellulariis.

24 *Bona stabiliora sunt meliora fluxis:*

Ut aurum argento, virtus auro melior.

25 *Bona quæ sunt sola expetenda, meliora sunt iis quæ cum aliis:*

Ut prudentia est melior imperio: quia prudentia sine imperio optabilis est, non contrà.

26 *Finis est magis expetendus, quàm ea quæ ad finem:*

Ut victoria quàm bellum.

27 *Eorum quæ ad finem conducunt, id quod ad finem propiùs accedit, est dignius:*

Ut metere frumentum, quàm serere.

28 *Quod rei bonæ est similius, aut meliori similius, id melius:*

Ut vita cœlebs est similior vitæ angelicæ. Cæterùm canon intelligendus est de bono in se, non eo, quod est bonum alii.

29 *Quod Deo placet, melius est, quàm quod hominibus.*

Ratio est manifesta.

30 *Id simpliciter est melius, quod melior disciplina præcipit.*

Ut id, quod Theologia præcipit, melius est eo, quod Philosophia jubet.

31 *Quod sapienti, docto, & experto seni placet, melius est quàm quod insipienti, indocto aut juveni placet.*

Majus probabilitatis.

Majus probabilitatis est, cùm major rei probabilitas spectatur:

Ut, si terrena loquentem non capitis, quomodo intelligetis loquentem cœlestia? Hîc inter se conferuntur duo ista enunciata, intelligere loquentem de terrenis, & intelligere loquentem de cœlestibus.

Canon hujus loci est:

Si id, quod verisimiliùs inesse videtur, non inest, multò minùs verum erit id, quod minùs verisimile est esse.

Itaque syllogismi omnes hujus loci concludunt negativè. Cùm igitur in conclusione seu parte consequente sunt verba *multò minùs*, est argumentum ab eo quod est magis, seu à magis probabili: ut, Qui Deum non audit, multò minùs hominem audiet. At Judæi Deum non audiunt. Ergo multò minùs hominem audient.

Argumentum minus est, quod quantitate exceditur.

Estque vel rei, vel rationis.

Minus rei.

Minus rei est, cùm minoritas rei attenditur:

Ut avicula est minor homine.

Minus rationis.

Minus rationis est, cùm minor rei probabilitas attenditur:

Ut si homines possunt dare bona liberis petentibus, quantò magis Pater cœlestis?

Canon hujus loci est:

Si id, quod minùs verisimile est esse, tamen est; multò magis erit id quod magis verisimile est esse.

Itaque hîc perpetuò affirmatè concluditur. Proinde in conclusione seu parte consequente ponuntur verba *multò magis*: ut, Qui fallere consuevit patrem, multò audebit cæteros. Æschinus fallere consuevit patrem. Ergò multò magis

tò magis audebit fallere cæteros. Hîc etsi pater est major, tamen illa majoritas rei non attenditur, sed minor probabilitas : ideoque dicitur argumentum esse ductum à minùs probabili. Diligenter itaque cavendum, ne majorem vel minorem rem accipias pro majore vel minore probabilitate.

Impar impropriè dictum est, quod citra quantitatem arguit suum thema impariter in attributo aliquo tertio sive absoluto, sive respectivo.

Quando res cum re confertur in impari essentiâ, numerò, vel magnitudine, dicitur comparatio imparium propriè dictorum : at quando res cum re confertur in impari causâ, effecto, subjecto, adjuncto, genere &c. dicitur comparatio imparium impropriè dictorum. Confer cum cap. antecedentis canone ultimo.

Cap. 23. Similia & Dissimilia.

Argumentum comparatum secundarium est, quod suum thema arguit vi comparationis levioris.

Estque vel simile, vel dissimile.

Simile argumentum est, quod arguit suum thema vi similitudinis.

Estque propriè, vel impropriè dictum.

Simile propriè dictum est, quod arguit suum thema vi similis qualitatis & finis.

Ejus canones sunt:

1 *Ratio similitudinis etiam sumitur ex fine:*

Ut quia idem est finis *oris* in animali, qui *radicis* in plantâ; *pastoris* in grege, qui *episcopi* in Ecclesiâ, illa censentur similia.

2 ***Similitudo explicata est disjuncta, vel continua.*** Similitudo disjũcta, vel conjuncta.

Disjuncta versatur inter quatuor terminos reipsâ inter se distinctos; quorum ut primus se habet ad secundum: ita tertius ad quartum. v.g. Sicut gubernator se habet ad navem: ita magistratus ad Rempublicam. *Continua* est, quæ versatur inter tres terminos aptè inter se distinctos & affectos, ita ut sicut primus se habet ad secundum; ita secundus ad tertium: ut, sicut lex magistratui: ita magistratus populo præest. Tres hic sunt termini, lex, magistratus, populus.

3 Similium sunt similia consequentia.

Hic canon est probabilis, & agit de usu similium, quem habent in probando. Afferunt autem illa magis dissentiendi pudorem, quàm assentiendi necessitatem. Aliis locis credimus necessariò, similibus libenter, ait Molinæus. Datâ, verbi gratiâ, quæstione, an intellectus regat totam animam, sume aliquid, quod sit simile subjecto quæstionis, putà oculum. Hinc argumentaris. Oculus regit totum corpus. At intellectus est oculus animæ. Ergò. Sic: Princeps debet subditos suos defendere. Q. Paterfamiliâs familiam suam defendere debet. Item: Ratio non est submovenda à linguâ. Q. Nauclerus peritus non est submovendus à navi. Hæc notanda sunt contra illos, qui simpliciter asserunt, similia non habere ullam vim probandi, sed tantùm explicandi & amplificandi. Verum est, argumenta ex loco similium ducta non esse necessaria & scientifica. Sed à negatione modi ad negationem rei non valet consequentia. Itaque illud vulgatum: *Simile non probat, sed illustrat*; non simpliciter, sed secundùm quid accipi debet.

4 Similitudo non debet extendi extra scopum disserentis.

Hic canon in analysi magnum habet usum, & monet, ut inprimis scopus similitudinis perpendatur: quod inprimis in lectione sacrarum literarum observandum est, ubi habet locum illud Thomæ: *Theologia allegorica non est argumentiva*, si scilicet scopus non observetur.

5 Similitudo est instrumentũ Logicum maximè accommodatum ad genus docendi exotericum & populare.

Ratio: quia similitudo continet res maximè obvias sensibus. Un-

bus. Unde fit, ut sit aptissima ad docẽdum populum: ut si doceas, meliùs accipi doctrinam sensim, quàm confertim, simili vasorum angusti orificii, quę superfusam humoris copiam respuunt, sensim instillatam admittunt. Et, tyrannum esse excindendũ, quia ut vomica crescit phthisi corporis, ita hic dispendio Reip. Aut ingratum similem esse lagenis: utpote qui beneficia infusa facilè admittit, reddit verò multo cum murmure & querelis.

6 Proportio similium inter se est vel inversa, vel alterna. Græci illam dicunt ἀναλογίαν ἀνάπαλιν, hanc ἐναλλάξ. Proportio ἀνάπαλιν est, quando invertitur ordo aut προτάσεως, aut ἀποδόσεως tantùm, aut etiam terminorum. Hinc canon: Si quædam similia fuerint, ἀνάπαλιν, hoc est, inversè similia erunt: ut, si quemadmodum aurum se habet ad ignem, sic fides se habet ad periculum: ergò ut fides ad periculum, sic aurũ ad ignem. Proportio ἐναλλάξ est, quando similitudinis datæ antecedens antecedenti, & consequens consequenti comparatur. Hinc canon: Si quædam similia fuerint, alternè similia erunt: ut, si quemadmodum aurum se habet ad ignem, sic fides ad periculum: ergò etiam ut aurum ad fidem, sic ignis ad periculum. *Olevian. lib. 1. Dial. pag. 54.*

Argumentum simile impropriè dictũ est, quod citra similem qualitatem & finem arguit suum thema, tantùm simili motu & relatione.

Sic omnes res totius mundi possunt comparari in simili effecto, subjecto, materiâ, efficiente &c.

Argumentum dissimile est, quod vi dissimilitudinis arguit suum thema.

Estq; propriè, vel impropriè dictum.

Dissimile propriè dictum est, quod arguit suum thema vi dissimilis qualitatis & finis.

Ejus canones duo sunt:

1 Dissimilibus dissimilia conveniunt.

Itaq; magnam habent vim ad refutandum: ut si quis probet, omnia debere esse communia inter homines, quia inter

bruta ſunt omnia communia, aptè reſpondeas, hominem eſſe diſſimilem bruto.

2 *Diſſimilia etiam habent vim probandi.*

Fundamentum hujus canonis jactum eſt in proximè antecedente. Exempla ſunt: Chriſtus eſt paſtor bonus; quia non fuit mercenarius. Uxor leniter à marito eſt tractanda, quia non eſt inſtar mancipii.

Diſſimile impropriè dictum eſt, quod arguit ſuum thema vi diſſimilis motus aut relationis.

Per motum intellige actionem & paſſionem. Per relationem, argumenta Logica, excepto fine, item adjuncto.

Cap. 24. Conjugata.

TRactavimus argumentum primum: nunc tractabimus ortum, quod arguit ſuum thema perinde ut primum, ex quo ortum eſt.

Sic bonitas & bonum ſunt argumenta orta ex cauſa & cauſato formali. Confer hanc definitionem *cum cap. 3. hujus libri.*

Argumentum ortum eſt primi, vel ſecundi ordinis.

Argumentum primi ordinis eſt conjugatum & notatio.

Argumentum conjugatum eſt, quod arguit ſuum thema vi conjugationis.

Conjugata. Conjugatio eſt, quâ res affinis ab affini deducitur, & à nomine alterius denominatur.

Canones duo ſunt:

1 *In conjugatis Logicus non nominum, ſed rerum origo attenditur.*

Malè igitur conjugata à nonnullis vocantur argumenta nominalia. Nec enim affinitas nominũ, ſed rerum procreat notionem Logicam. Interim illa rerum ſocietas nominum ſocietate exprimitur. Itaq; Logicus illam primariò & per ſe, hanc ſecundariò & ex accidenti ſpectat.

2 In

2 *In conjugatis unum est principium, reliqua principiata.* Itaque

Omnia ad causam & effectum reduci possunt.

Conjugatio est primaria, vel secundaria.

Conjugatio primaria est, quâ concretum deducitur ab abstracto.

Ejus canones sunt:

1 ***Abstractum est conjugatum denominans.***

Zabarella dicit: Abstractum est forma, unde subjectum aliquod denominatur. Itaque

Abstractum exprimitur nomine simplicem significandi modum habente.

Sic humanitas significat solam humanitatem, quasi per se cohærentem extra hominem.

2 ***Concretum est conjugatum denominativum:***

Ut loquuntur, vel potiùs denominatum, seu, est subjectum, quod ab abstracto sic denominatur. Hinc concreta exprimuntur nominibus, quę compositum significandi modum habent: ut homo, quantus, qualis. Hæc enim nomina & formam significant, & subjectum; ut vox, *homo*, & humanitatem, & hominem significat.

3 ***Abstractum est concreti forma.***

Hoc clarum est è primo canone. Itaque

In conjugatis Logicis concretū ab abstracto deducitur.

Atque ita differunt conjugata Logica à Grammaticis, in quibus substantivum ab adjectivo deducitur. Hinc rectè *Scalig. lib. I. de caus. ling. Lat. c. 65.* ait: Quantum à quantitate est, si rem spectes: contrà quantitas à quanto, si vocem.

4 ***Concretum synonymum essentialiter prædicatur, ut homo de Socrate; at paronymum accidentaliter, ut album de eodem.***

5 ***Posito uno conjugatorum ponitur & alterum, & remoto uno removetur alterum.***

Si justus est, justitia est; & si justitia est, etiā justus est, hoc est, posito justo ponitur justitia &c. Hinc argumentamur: Justus est, Ergò justitiâ præditus est; & contrà.

6 Quod uni conjugatorum competit, etiam competit alteri suo modo; & quod uni non competit, nec alteri suo modo:

Ut, justitia est laude digna. Ergò & justus. Item, justus Deo placet. Ergò & justitia. At non sequitur: Justitia est virtus. Ergò & justus est virtus. Ideò in canone addidimus, *suo modo*.

Conjugata secundaria sunt concretum & modus aliquis, seu casus: *Ut, sapiens & sapere, vel sapienter agere.*

Ex Aristotele distinguere possis conjugata in paronyma, seu denominata, & casus. Paronyma sunt conjugata illa primaria, ut justus à justitiâ denominatur. Casus Aristoteli sunt tantùm adverbia & verba, ut *justè* & *sapienter* à *justus* & *sapiens*. Nos vocamus conjugata secundaria, de quibus hi sunt canones.

1 Positis casibus, necessariò ponuntur conjugata, à quibus orta sunt:

Ut, grammaticè loquitur. Ergò est Grammaticus. At positis conjugatis primariis, non necessariò ponuntur casus, nisi illa ponantur in actu. Non enim necessariò sequitur: Justus est. Ergò facit justa. Non, inquam, hoc sequitur necessariò, nisi justus aliquis supponatur talis actualiter. At hoc valet: Justus est. Ergò justitiâ præditus est. Nam hæc conclusio infert habitum, qui à formâ proximè pendet.

2 Ordo in conjugatis hic est: primò abstractum; secundò concretum; tertiò modus seu casus:

Ut, justitia, justus, justè. Itaque

Abstractum est fons cæterorum, & concretum est causa modi.

Vulgò dicunt: In abstractis secundariis casus pendet à concreto, & utrumque ab abstracto. Atque hic est locus conjugatorum, quem Aristoteles vocat ἐπιχειρόματον, *commodissimum*.

Cap.

Cap. 25. *Notatio & Nomen.*

NOtatio est argumentum, quod suum thema, videlicet nomen, arguit vi interpretationis ex ipsius origine. Notatio.

Ejus canones sunt:

1 *Notatio Logica rationem investigat notationis Grammaticæ.*

Itaq; illa hanc præsupponit, v. g. homo dicitur ab humo, ait Grammaticus. Hîc subsistit. At Logicus rationem illius notationis ostendit, & ait: Ex materiâ est notatio.

2 *Unius nominis plures esse possunt notationes, aliæ tamen aliis probabiliores.*

Sic Parcæ aliis dicuntur, quòd minimè parcant; aliis, quòd parcant. Utraque verisimilis, sed posterior verisimilior. *Scaliger lib. 3. poët. cap. 90.* Nam fermè præpollent notationes ex argumentis prioribus: ut notatio ex causâ potior est notatione ex effectis, & hæc potior notatione ex adjunctis: & in universum notatio ex consentaneis potior notatione ex dissentaneis. Jam verò si Parcæ dicantur quòd minimè parcant, est notatio è dissentaneis. Interim sic accipe illā observationem, ut tamen etiam habeatur ratio convenientiæ verbalis, hoc est, ut vox cum voce conveniat quoad literas. Non enim valet: fedus à ferio dicitur. Est notatio ex effecto. At si dicatur ab adjectivo *fœdus*, est notatio ex adjuncto ritu. Ergò illa notatio prævalet huic. Non, inquam, hoc valet. Nam hæc posterior est adproba: quia plures literæ retinentur, salvâ originis ratione Logicâ. At in illâ duæ duntaxat retinentur literæ. Et hanc regulam opponendam esse censemus nonnullis ineptis philologis, qui dictatoriam sibi arrogant licentiam in originibus nominum vestigandis, extritis fermè omnibus è voce, cujus originem quærunt, literis. Exempla sunt odiosa. Itaque illis adducendis supersedeo.

3 *Notatio est vel æqualis cum nomine, vel eo latior.*

Æqualis est, quæ cum nomine recurrit. Et tum est reciprocatio: ut, Est animosus, Ergò animi plenus. Et, Est animi plenus, Ergò & animosus. *Si verò notatio sit latior nomine, à nomine ad notationem tantùm affirmativè ducitur illatio*: ut, Testamentum est, Ergò mentis testatio. A specie enim ad genus affirmatè solùm concluditur. At nomen hîc ut species est, notatio ut genus. Si fortè datum exemplum non sit ad salivam, hoc habe: Pactum est, Ergò pactio est. Nam pactum à pactione est, sicut effectus ex causâ. *Igitur à notatione ad nomen tantùm ducitur negativa*: ut, Non est mentis testatio, Ergò nec testamentum. Non est pactio, Ergò nec pactum. Negato enim genere negatur quælibet ejus species. Cæterùm notatio æqualis aliâs dicitur *propria* & *adæquata*; latior dicitur *communis*.

4 *Cui competit nomen, eidem & nominis notatio; & cui hæc disconvenit, eidem & nomen ipsum:*

Ut, Est homo, Ergò ex humo sumtus. Sic: Non est ex humo sumtus, Ergò nec est homo.

5 *In nominibus propriis argumentum à notatione est infirmum, nisi divinitùs sint imposita.*

Non est firma consequentia: Ille vocatur Johannes, Ergò gratiosus est. Sed firma est hæc consequentia: Primus homo vocatus est Adam, Ergò ex terrâ sumtus fuit. Ratio: quia hoc nomen à Deo ipso fuit impositum.

Nomen est argumentum, arguens notationem tanquam thema.

Cap. 26. Totum & pars.

ARgumentum ortum secundi ordinis est quadruplex, totum & pars, genus & species.

Totum.

Totum est argumentum, quod vi relationis suę partem ut thema arguit.

Ejus canon est:

Quicquid affirmatur de toto, quatenus omnes partes compre-

comprehendit, idem affirmandum erit de partibus omnib. comprehensis: & quicquid de illo negatur, etiam de his:

Ut quod dicitur de totâ domo, idem dicendum de partibus omnibus comprehensis. Sic quod dicitur de homine, idem de animâ & corpore comprehensis.

Totum est essentiale, vel integrale.

Solent addere tertiam speciem, videlicet totum universale, ut est genus & species. Verùm accuratè loquendo genus & species non sunt totum propriè dictum: quia non habent partes propriè dictas. Vide *Molinæum libr. 2. Logic. cap. 5.* Est quidem genus affine toti, at non idem quod totum.

Totum essentiale est, quod constat ex partibus essentialibus.

Aliâs dicitur *totum physicum*, & *substantiale:* ut, homo constans ex animâ & corpore. Sunt tamen qui hoc totum distinguunt in substantiale & propriè dictum, quod ex materiâ & formâ propriè dictis componitur, ut est homo: & in accidentale & impropriè dictum, quod dicitur componi è materiâ & formâ impropriè dictis. Sic Resp. in politicis dicitur constare ex magistratu & subditis tanquam materiali, & ex horum unione per leges, tanquam formali.

Ejus canon est:

Posito vel remoto toto essentiali, necesse est poni vel removeri partes essentiales:

Ut posito homine, ponuntur corpus & anima.

Totum integrale est, quod constat ex partibus integrantibus:

Ut est corpus hominis. Aliis dicitur integrum. Atq; hoc adversè opponitur mutilo, relativè partibus suis.

Ejus canones sunt:

1 Posito integro, necesse est poni omnes & singulas ejus partes.

Intellige integrum perfectum. Ratio est in promtu; quia partes integrales se habent ad totum integrale per modum materiæ; unde & partes materiales appellantur. Itaq; posito

materiato, scil. perfecto, materiã poni necessum est. Sic posito corpore hominis perfecto, ponuntur ipsius mẽbra omnia & singula. Alii sic enunciandum censent hunc canonẽ: *Posito toto integrali, necesse est poni omnes illius partes integrales.*

2 *Sublato integro, necesse est omnes partes tolli:*

Non quoad realem existentiam, sed quoad relationem. Ita sublato corpore hominis, tolluntur omnes & singulæ ipsius partes, non quoad realem existentiam, sed tamen quoad relationem. Et sublatâ domo, non necesse est singulas partes tolli quoad existentiam. Subtiliùs sic dices: Sublato toto integro, necesse est omnes partes tolli, vel aliquam saltem. Omnes quidem: si integrum accipiatur pro partibus compositis. Aliquam saltem: si intelligatur partium unio seu compositio. Totius enim integralis unione sublatâ, necesse non est interire singulas ejus partes. Alii sic enunciant canonem: *Remoto toto integrali, removentur omnes illius partes principales.*

Totum integrale est primò similare, vel dissimilare. ***Illud aliâs homogeneum, istud heterogeneum dicitur.***

Totum similare est, cujus partes omnes sunt ejusdem nominis & naturæ cum toto:

Ut aqua, terra, sacra Scriptura, caro, terra Lemnia. Hic enim quælibet pars aquæ, terræ, sacræ Scripturæ, carnis, terræ Lemniæ, est aqua, terra, sacra Scriptura, caro, terra Lemnia.

Ejus canon est:

Quidquid prædicatur de toto homogeneo, prædicatur etiam de singulis partibus.

Excipe ea, quæ prædicantur de toto aliquo, quatenus totum est. Non enim si totum homogeneum, ut puta mare, continet omnes partes maris, aut ambit terram, iccircò de unaquâq; parte hoc verum erit. Nec hoc valet: Aër ambit terram. Hic aër, qui est in pyxide, est aër. Ergò hic aër, qui est in pyxide, ambit terram. Alii sic efferunt hunc canonem: *Quod toti homogeneo absolutè considerato tribuitur vel adimitur, id etiam singulis illius partibus tribui vel adimi necesse est.*

Totum

Totum dissimilare est, cujus partes sunt diversi nominis & naturæ à toto. *Tale totum est corpus humanum, item arbor, mundus.*

Secundò totum integrale est vel continuum, vel discretum.

Totum continuum est, cujus partes communi termino copulantur: *ut, corpus humanum, linea.*

Totum discretum est, cujus partes nullo communi termino copulantur: *ut grex, exercitus. Appellatur etiam* totum numerale, collectivum, & per aggregationem. *Nota, totum integrale etiam dividi in substantiale, ut est corpus, & accidentale, ut est ecclesia. Illud propriè dictum, hoc impropriè dictum vocatur.*

Pars est argumentum, quod arguit totum tanquam thema vi relationis suæ. **Pars.**

Ejus canones sunt:

1 *Positis omnibus partibus simul, ponitur totum.*

Sic anima & corpus simul si sint, constituunt hominem.

2 *Quod est partis, quâ pars, id etiam est totius secundùm illam partem:*

Ut hominis corpus est mortale. Hoc tribuitur homini secundùm illam partem. Alii sic enunciant canonem: *Quod convenit parti, convenit toti secundùm quid, & ex parte.*

3 *Quicquid affirmatur de partibus omnibus comprehensis, idem quoque affirmandum erit de toto, quatenus omnes partes comprehendit; & quicquid de illis negatur, etiam de hoc.*

Confer hunc canonem cum primo hujus cap. canone. Ratio canonis est: quia partes omnes simul acceptæ cum toto convertuntur.

Pars est essentialis, vel integralis.

Pars essentialis est, ex quâ totum secundùm essentiam constituitur: *ut materia & forma, velut cor-*

pus & anima hominis. Aliâs pars formalis *dicitur.*

Pars integralis eſt, ex quâ totum integrum ſecundùm quantitatem componitur: *unde &* pars quantitatis, pars quantitativa *&* materialis *dicitur.*

Eſtq; primò vel ſimilaris, vel disſimilaris.

Similaris eſt, quæ idem nomen cum toto obtinet:

Ut gutta non minùs eſt aqua, quàm univerſum mare.

De hâc eſt canon:

Quod convenit partibus ſimilaribus ſeorſim ſumtis, convenit etiam toti ſimilari.

Sic philoſophi colligunt aquæ rotundam eſſe ſuperficiem, quòd ſingulæ guttæ ultrò in rotunditatem formantur.

Pars disſimilaris eſt, quæ diverſum à toto nomen obtinet: *ut quodlibet membrum corporis eſt pars disſimilaris.*

Eſtq; vel principalis, vel minùs principalis.

Principalis eſt, ſine quâ integrum eſſe non poteſt.

Tales partes corporis ſunt caput, cor, ventriculus, jecur, pulmones: item parietes & fundamentum ſunt tales partes ædificii. Aliâs dicitur *pars neceſſaria.*

Minùs principalis eſt, ſine quâ totum eſſe poteſt:

Ut homo poteſt eſſe ſine digito, brachio, pilis; domus ſine cancellis, exedris.

Deinde pars integralis eſt continua, quæ cum aliis partibus communi termino copulatur; *ut caput eſt pars continua collo*; vel discreta, quæ cum aliis partibus communi termino non copulatur; *ut litera quævis eſt pars discreta vocis.*

Ad extremum nota, toti & parti accidere, ut conſiderentur ordinariè in corporibus, & ſpiritib. creatis; extraordinariè in myſterio SS. Trinitatis, & incarnationis.

Cap. 27.

Cap.27. Genus & species.

JAm dicendum est de genere & specie.

Genus est argumentum, quod prædicatur in quid de speciebus tanquam thémate. Genus.

Ejus canones sunt in genere septem:

1 Genus non est unius speciei.

2 Genus latiùs patet, quàm species.

3 Genus est prius specie, ordine naturæ, & distinctæ cognitionis.

4 Genus est inseparabile à suâ specie.

5 Cuicunque individuo genus tribuitur, ei tribui oportet alterutram vel aliquam speciem.

6 Cui genus adimitur, ei necesse est adimi omnes species.

7 Quod tribuitur vel adimitur generi, idem speciei.

Excipe quæ prædicantur de genere, quatenus est genus.

Generis tres occurrunt divisiones.

Primò genus est vel summum, vel subalternum.

Illud etiam ultimum & postremum dicitur. Quod enim est primum descendendo, est ultimum ascendendo.

Genus summum est, quod tantùm est genus, & nunquam species. *Aliâs* generalissimum *dicitur.*

Estque vel simpliciter summum; *ut ens:* vel secundùm quid, *quod respectu certi alicujus prædicamenti est tale. Hoc sensu philosophus numerat decem ἀνώτατα γένη.*

Genus subalternum est, quod ita est genus, ut collatum ad superius genus sit species. *Aliâs dicitur* genus medium, *vel* intermedium. *Sic animal respectu hominis est genus, respectu corporis aut viventis est species.*

Secundò genus est remotum, vel proximum.

Genus remotũ est, quod longiùs à specie distat:

Ut corpus vel vivens est hominis genus remotum. Non enim habet speciem immediatè, sed mediatè sibi subordinatam.

Genus proximum est, quod speciem sibi immediatè habet subordinatam:

Ut animal est proximum hominis genus.

Hujus canon est:

Genus proximum omnia superiora genera suo ambitu includit.

Sic animal in arbore substantiæ omnia superiora, ut corpus vivum, mixtum ex elementis, corpus simplex, & substantiam naturalem includit.

Tertiò est genus perfectum, vel imperfectum.

Perfectum est, quod essentiam suam ex æquo communicat singulis speciebus.

Dicitur etiam synonymum & univocum. Sic animal est genus hominis & bruti. Nam brutum æquè est animal atque homo.

Ejus canones sunt duo:

1 *Genus perfectum habent omnia, quæ directè in prædicamentis collocantur.*

2 *Genus perfectum est in speciebus, non ut tota earum substantia, sed ut pars substantiæ.*

Hîc notetur duplex generis natura. Una, quâ genus consideratur ut totũ, continens potentiâ & confusè omnes species; altera, quâ genus consideratur ut pars speciei, quæ tum consideratur ut totum actu continens ipsum genus. Et ita genus, quâ totum, notius est speciebus cognitione confusâ; quatenus pars, est ignotius: vicissim, quatenus est totum, est ignotius cognitione distinctâ; quatenus pars, est notius, juxta canonem: *Totum est notius partib. cognitione confusâ, at cognitione distinctâ est ignotius.*

Genus imperfectum est vel analogicum, vel æquivocum.

Molinæus

Molinæus dividit genus in univocum & æquivocum, seu synonymum & homonymum. Et æquivocum dicit esse duplex, simpliciter & secundùm quid æquivocum. Sed durum nobis videtur genus analogicum dicere æquivocum secundùm quid.

Genus analogicum est, quod uni speciei primùm, aliis verò propter primam speciem competit:

Ut ens respectu substantiæ & accidentis est genus analogicum. Nam substantia sibi principaliter entitatem vendicat: accidens verò eam habet in ordine ad substantiam. Aliâs appellatur genus *ἀφ' ἑνὸς*, vel *πρὸς ἕν*; item *κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον*. Huc retuleris *genus locale*, quod vocant. Et hoc tribuunt entibus collectivis, qualia sunt Respublica, Ecclesia, exercitus. Vide *Keckerman. in System. Logic.* ad locum generis.

Genus æquivocum est, quod dicitur de pluribus, quæ nihil habent commune præter nomen.

Sic theologia falsa dicitur theologia; & homo pictus dicitur homo. *Molinæus* contendit, animal analogicè dici de vivo & picto. Sed prior sententia magis probatur. Quamvis enim animal pictum habeat figuram animalis; illa tamen ipsa non est nisi æquivoca.

Species sequitur, quæ est argumentum vi relationis suæ arguens genus tanquam thema. *Aliâs dicitur* pars subjectiva toti, *& simpliciter* pars subjectiva: *& tum pars propriè dicta vocatur* pars componens totum.

Species duplicem relationem sustinet, unam respectu generis, alteram respectu individui. Utraq; hîc est spectanda.

Ejus canones in genere sunt hi:

1 Omnis species est res universalis, aliisq; sibi subordinatis essentialiter communicabilis. Species.

Sed hoc ipsi non competit, in quantum species est, sed in quantum est genus. Etenim species accipit, genus dat.

2 *Cui omnes ſpecies adimuntur, ei etiam genus adimitur: ſed non cui una vel altera ſpecies adimitur, ei etiam ſtatim genus adimitur:*

Ut, hoc ſequitur: neq; eſt corpus, neq; ſpiritus, Ergò nec eſt ſubſtantia creata. At non procedit: Non eſt corpus, Ergò nec ſubſtantia creata.

3 *Quidquid omnibus ſpeciebus tribuitur, vel adimitur, id etiam generi tribui, vel adimi neceſſe eſt:*

Ut quod tribuitur rationali & irrationali, idem animali.

4 *Quidquid uni ſpeciei tribuitur, vel adimitur, id etiam generi particulariter tribui, vel adimi neceſſe eſt.*

Sic quod tribuitur homini, tribui etiam poteſt generi, ſed ſecundùm quid, ſeu particulariter.

5 *Species ſolæ definiuntur.*

Genus verò non definitur, quâ genus, ſed quâ ſpecies.

Species eſt perfecta, vel imperfecta.

Species perfecta eſt, quæ eſt ſub genere perfecto: *aliàs* univoca.

Eſtq; ſubalterna, vel infima.

Subalterna eſt, quæ diverſo reſpectu eſt ſpecies & genus.

Ideoq; continet ſub ſe individua mediatè. Sic animal collatum ad ſuperiora eſt ſpecies, ad inferiora eſt genus.

Species infima eſt, quæ nunquam poteſt eſſe genus: *aliàs dicitur* ſpecies ſpecialiſſima, & proxima individuis:

Ut homo, fraxinus. Ramus ſpeciem ſpecialiſſimam vocat individuum. Sed hæc eſt nova acceptio. Raró hæc ſpecies vocatur ἔσχατον γένος, *infimum genus*, ut 3. *Metaph. cap.* 4.

Canones de ſpecie infimâ ſunt duo:

1 *Nulla ſpecies infima in alias ſpecies dividi poteſt per differentias eſſentiales & ſpecificas.*

At dividi poteſt per accidentales. Sic quidam homo dicitur doctus vel indoctus, dives vel pauper.

2 *Ad ſpe-*

2 *Ad speciem infimam constituendam sufficit individuum.*

Ita Sol, Luna, mundus, terra &c. sunt species infimæ; & homo erat species animalis, etiam ante fœminæ creationem. Ad genus verò constituendum, una species non sufficit, sed ad minimum debent esse duæ. Alii sic efferunt canonem: *Species infima potest conservari in uno individuo.*

Species imperfecta est, quæ genere imperfecto continetur.

Estq; generis analogici, vel æquivoci. Illa analogata & analogica, hæc æquivoca dici potest.

Illius canones duo sunt:

1 *Sub genere imperfecto, species una est principalis, altera minùs principalis.*

Principalis habet perfectam generis participationem, nec ab alterâ specie pendet: at minùs principalis pendet à principali. Sic substantia est princeps species entis; accidens minùs princeps.

2 *Species principalis est mensura speciei minùs principalis.*

Si enim pendet à principali, etiam illam habet pro mensurâ. Si quis ergò velit perfectè cognoscere speciem minùs principalem, allaboret priùs ut cognoscat principalem; cui tantum debet species minùs principalis, quantum debet ipsi generi. Ita substantiæ tantum debet accidens, quantum ipsi enti.

Et ita quidem spectatur species respectu generis & individui, de quo hæc pauca notanda axiomata.

1 *Individuum est speciei infimæ immediatè subordinata res singularis, nec alii inferiori secundùm naturam communicabilis:*

Ut Petrus, Paulus, hic lapis.

2 *Individuum primariò & per se existit, agit, & sentitur.*

Huc pertinent axiomata: *Essentia primò universalibus, existentia verò primò singularibus competit: Actus sunt suppositorum, sive singularium: Actiones ut sunt à singularibus, ita etiam circa singularia.*

3 *Individua non solùm sunt substantiarum, sed etiam accidentium.*

Hinc individuum aliud dicitur substantiale, aliud accidentale. Interim accidens est individuum propter substantiam: ut hæc scientia est individuum, propter hunc scientem.

4 *Individuum est vagum, vel signatum.*

Signatum est, quod certo aliquo signo, veluti nomine proprio, vel pronomine demonstrativo, vel periphrasi quâdam est determinatum: ut Paulus, hic canis, filius virginis pro Christo, & evertor Carthaginis pro Scipione. *Vagum* est, quod certo aliquo signo non est determinatum, ita ut dubium sit, de quonam sit illud intelligendum: ut quidam homo, pro certo homine; quædam urbs, pro unicâ urbe. Item, Apostolus pro Paulo, poëta pro Homero, philosophus pro Aristotele. Quomodo hæc individua sint intelligenda, contextus planum facit.

Cap. 28. Testimonium & testatum.

EXpositum est argumentum insitum: ultimo loco exponendum nobis est argumentum assumtum.

Argumentum assumtum est, quod arguit suum thema vi assumtâ à qualitate testatoris. *Aliàs dicitur* inartificiale.

Est quidem argumentum artificiale, quatenus pertinet ad artem: sed hoc significatu non accipi debet hoc loco. Nam dicitur peculiariter inartificiale, quia beneficio artis non eruitur ex naturâ thematis dissertabilis, sed aliunde assumitur. Confer cum *cap. 3 hujus libri. pag. 73.*

Argumentum inartificiale est testimonium, vel testatum.

An testimo- Quidam existimant, testimonium esse complexum quid, ideoq;

ideoq; locum ei non esse dandum inter argumenta incomplexa. Testimonium, inquiunt, est nihil aliud quàm sententia testans. Respondent quidam sic. Axioma, quatenus confertur cum alio, induit rationem argumenti comparati, & sic consideratur ut terminus simplex: neque tamen de illo præcipitur in serie argumentorum. Sic etiam testimonium se habet. Sic solent quidam respondere. Sed minùs rectè. Hâc enim ratione de axiomate, item syllogismo & methodo docendum esset inter argumentorum tractationem. Nam si testimonium est axioma, & tamen de illo docetur tanquam de argumento, etiam de axiomate in genere docendum fuerit in doctrinâ Topicâ. Nos igitur sic respondemus. Testimonium est argumentum simplex, non materialiter, quatenus spectatur tota sententia, sed notionaliter, quatenus est argumentum simplex, faciens ad explicandum, demonstrandum, & amplificandum. verbi gratiâ, Christus est verus Deus. Quia dicitur Johan. 1. *Et sermo ille erat Deus.* Hoc testimonium probat, non quatenus est integra dispositio axiomatica; sed quatenus consideratur tanquam medius terminus, hoc est, quatenus illi sententiæ accidit, ut possit esse argumentum probans. nium sit complexũ quid?

Testimonium est argumentum assumtum, quod arguit testatum ut suum thema.

Testimonium primò est vel rei, vel personæ.

Testimonium rei est, quod res aliqua perhibet.

Estq; vel naturale, vel supernaturale.

Testimonium rei naturale, est vel sensus vel experientiæ naturalis.

Testimonium sensus est, quod sensus dictat.

Estq; vel internum, vel externum.

Internum est, quod dictat lex naturæ, item conscientia.

Atque hoc testimonium est necessarium & certum, primo, ut loquuntur, certitudinis gradu. Sic testimonio legis naturæ & conscientiæ probantur prima principia theoretica & practica, qualia sunt: *Totum est majus suâ*

parte; *Deus est*; *Impossibile est idem esse & non esse*; *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; *Parentes sunt colendi.* Nimirum Deus nobis indidit intellectum primorum principiorum, ita ut illa negare non possimus, dummodò rationis simus compotes. Accendit, inquam, lumen naturale in mentibus nostris, quo lumine videmus evidentiam istorum principiorum primorum.

Testimonium sensuũ exteriorum an certum?

Testimonium externum est, quod dictant sensus externi.

Hoc testimonium etiam est infallibile & certum, non secundo certitudinis gradu, sed itidem primo. Nam si sensus externi sint integri, non decipiuntur circa propria objecta. Hinc est, quòd sacra Scriptura hoc testimonio utitur. Salvator *Luc.24.* discipulis suis fidem facturus se non esse spectrum, provocat ad testimonium sensuum: *Palpate*, inquit, *& videte, spiritus carnem & ossa non habet*. Sic Angelus *Marc.16.* probaturus Christum verè resurrexisse, utitur testimonio visus: *Videte*, inquit, *locum, ubi posuerant eum*. In quotidianâ conversatione audias illas formulas persæpe: Hisce meis oculis vidi; audivi meis auribus; vidi ipsum, tetigi hanc rem &c. Hoc testimonium sensuum rejiciunt Pontificii, dum blaterant, in Missâ fieri transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, ita ut nonnisi accidentia panis & vini maneant: cùm tamen visus, tactus, & gustus contrarium demonstrent.

Testimonium experientiæ est, quod suppeditat experientia.

Et hoc testimonium in naturalib. dependet à testimonio sensuum externorum, & per illud verificatur. Intellige hîc experientiam tùm universalem, quam omnes habent; tum particularem, quæ est paucorum. Sicut enim illa certa est respectu omnium; ita hæc respectu illorum, in quibus est. Et ideò experientiæ datur locus in classe principiorum acquisitorum. Sic experientia testatur, ignem esse calidum; Deum severiter punire scelera; Solem lucere.

Testimonium rei supernaturale est, quod sensus & experientia supernaturalis dictat.

Et hoc

Et hoc est infallibile modo certitudinis plus quàm primo, ut ita loqui liceat. Si enim testimonium sensus in naturâ est certum primo certitudinis gradu; quid vetat, quò minùs liceat dicere, testimonium hoc, quod sensus supernaturalis & experientia supernaturalis dictant, esse certum plus quàm primo certitudinis gradu? Ita spem liberationis divinæ non pudefacere, testatur nobis in afflictione constitutis sensus internus, isq; suavissimus, charitatis Dei erga nos, effusus per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: *Rom. 5. v. 5.* Ita spiritus noster testatur verum esse, quod nobis Spiritus sanctus dictat, nempe nos esse filios Dei. *1. Johan. 5. v. 6.* Sic experimur super naturam evecti, providentiæ & justitiæ divinæ documenta admiranda, quæ mundus experiundo non cognoscit.

Testimonium personæ est, quod suppeditat persona aliqua:

Ut Paulus Apostolus, Cicero. Mortui resurgent. Q. Paulus id testatur.

Secundò testimonium est vel favorabile, vel non-favorabile.

Favorabile est, quod meretur fidẽ cum favore.

Estq; divinum, vel humanum.

De hâc divisione in genere est canon:

Testimonium divinum firmissimum est; humanum eatenus firmum, quatenus author & exactam rei scientiam, & veritatem, quæ utraq; cum rectâ ratione conjuncta est, possidet. Testimoniũ divinum.

Scientia propterea requiritur, ut scias quid dicas; veritas autem ideò, ut velis, juxtà ac intelligis, proloqui. His duabus conditionibus si testimonium humanum polleat, tam ex hoc, quàm ex divino affirmatè & negatè concluseris. *Affirmatè:* ut, Deus testatur fore ultimum judicium. Ergò erit. Et, Aristoteles scientiâ & veritate nixus affirmat, quatuor esse elementa. Ergò sunt. *Negatè:* ut, Scriptura sacra nihil habet de purgatorio. Ergò nec est. Et, Aristoteles nixus scientiâ & veritate testatur, animam non esse mortalem. Ergò nec est.

Teſtimonium divinum eſt, quod Deum authorem habet.

Eſtq; vel immediatum, vel mediatum.

Immediatum eſt, quod à Deo ipſo citra operam miniſtrorum ipſius eſt profectum:

Idque vel per viſionem, vel per vocem, vel per ſortes, vel per inſtinctum divinum. Ita *Matth.3.* eſt teſtimonium Dei Patris: *Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco.* Sic multa teſtatus eſt per ὁράματα, ſeu viſiones, exhibitas Patriarchis & Prophetis; multa per ſomnia θεόπεμπτα & μαντικά, qualia fuerunt Joſephi, Pharaonis, Nebucadnezaris; multa per χρηματισμόν, ut *Matth.2. v.12. Luc.2. v.26.* per ſortes, *Joſ.7. Jon.1. v.7. Act.1. v.26.*

Teſtimonium divinum mediatum eſt, quod Deus per miniſtros ſuos, quibus illud immediatè inſpiravit, protulit.

Hujusmodi ſunt teſtimonia bonorum Angelorum, Prophetarum, Chriſti ipſius in carne manifeſtati & in terris docentis, & Apoſtolorum. Alii teſtimonia Prophetarum & Apoſtolorum vocant mixta, quòd ſint à Deo per homines nobis loquente.

Canones de teſtimonio divino ſunt duo:

1 *Omnia teſtimonia divina æquè ſunt* αὐτόπιστα καὶ *ἀξιόπιστα:*

Hoc eſt, omnia teſtimonia divina parem probandi vim habent: ſi ſcil. in orthodoxo & genuino ſenſu citentur. Nam teſtimonia divina malè intellecta, aut in ſenſu falſo & depravato accepta atq; allegata, non ſunt teſtimonia divina, juxta illud: *Verbum Dei ſtolidè intellectum non eſt verbum Dei.* Tum demum autem in ſenſu genuino accipiuntur, cùm interpretationis regulam ſtatuimus analogiam fidei & charitatis, h. e. ipſam S. Scripturam.

2 *Deus ipſe, atque adeò tota ſacra Scriptura univerſis teſtibus, quicunque produci poſſunt, æquipollet; ac proinde teſtimonium ejus eſt* καθολικώτατον, *verè univerſale.* Itaque

1 Quic-

1 *Quicquid Propheta, vel Apoſtolus, vel Evangeliſta ex inſpiratione divinâ dicit, non eſt particulare ſeu ſingulare, ſed univerſale.* sc. testimonium ... aequipollet universali.

Poteſt quidem dici ſingulare, reſpectu perſonæ miniſterialis, at non reſpectu teſtatoris auctoritativi. Et hinc eſt, quòd unius Prophetæ vel Apoſtoli teſtimonium eſt validiſſimum ad probandum.

2 *Argumentatio à teſtimonio divino fit negativè duobus modis.*

Primò, quando Deus in verbo ſuo aliquid diſertim & conceptis verbis non eſſe teſtatur: ut teſtatur ſe nolle, ut honorem habeamus diis alienis. Deinde, cùm ſilet de eâ re, quæ eſt controverſa: ut, hoc non eſt pro articulis fidei habendum, verbi gratiâ, quòd Papa Romanus ſit caput Eccleſiæ: quòd Miſſa ſit ſacrificium: quòd fides prævisa ſit cauſa electionis ad vitam æternam. Ratio: quia Deus nuſquam in verbo ſuo hoc teſtatur. Sed non valet argumentatio à teſtimonio particulari negativè, cùm alii contrarium teſtantur. Non enim ſequitur; Matthæus & Marcus nihil ſcripſerunt de circumciſione Chriſti. Ergò Chriſtus non eſt circumciſus. Etſi enim Matthæus & Marcus id non ſcripſerint, Lucas tamen conſignavit & Paulus Apoſtolus. Itaque de poſtremo hoc argumentationis modo accipiatur illud: *A non ſcripto ad non eſſe, non valet conſequentia.* Item: *Ab authoritate non licet argumentari negativè.* Hîc notandum eſt, quòd à teſtimonio divino in philoſophicis non liceat argumentari negativè: ut, non ſequitur. Deus non dixit, bis bina eſſe quatuor. Ergò nec hoc eſt verum, bis bina efficere quatuor. Eſt igitur uſus teſtimonii divini in philoſophiâ duntaxat affirmativus.

Teſtimonium humanum eſt, quod hominem, quâ homo eſt, authorem habet.

Dicitur in definitione, *quâ homo eſt.* Nam ſi vel Deus ipſius miniſterio utatur, & immediatè ipſi aliquid inſpiret, eſt teſtimonium divinum; vel Diabolus ipſius operâ abutatur, eſt diabolicum.

Variis modis dividitur testimonium humanum. Has divisiones ὡς ἐν τύπῳ adumbrabo.

1 Est dictum vel factum. Dictum est lex *superiorum*; apophthegma, *magnatum*; gnoma, *sapientum*; proverbium, *vulgi*. Factum *potest esse varium.*

2 Est proprium, vel alienum. Proprium est *vel confeßio, sive voluntaria, sive coacta; vel jusjurandum.* Alienum *est vel ab amico, vel ab inimico.*

3 Est mutuum, vel non-mutuum. Mutuum est, cùm unus alii dat testimonium, & vicissim accipit ab eodem: *ut, Christo Johannes testimonium dedit, & Johanni vicißim Christus.* Non-mutuum *quid sit, è dictis claret.*

4 Est vel vivæ vocis, *per testes*; vel vocis mortuæ *per scripturas, quæ sunt instrumenta, vel privata, vel publica; & hæc vel originalia, vel transsumta. Illa dicuntur* Protocolla, Authentica & Imbreviaturæ; *ista dicuntur* Copiæ.

5 Est antiquum, vel novum.

6 Est universale, vel particulare.

De his divisionibus sunt hi canones:

1 Omne testimonium humanum est contingens.

Ratio: quia testes, à quibus dignitatem suam habet, partim naturali ad labendum & errandum propensione, partim voluntariâ morum mutatione & inconstantiâ laborant. Jam qualis est testis, tale testimonium.

2 Testis humanus alius est ministerialis, alius auctoritativus.

Ministerialis est, cùm homo pius Deo est testis. Sic *Esa. 42. v. 35. 37.* Vos testes mei estis, dicit Jehova. Sic Johannes Baptista & Apostoli perhibuerunt Christo testimonium. Hi fuerunt testes ministeriales, qui non dare potuerunt authoritatem ei, cui testimonium perhibuerunt. At homo dicitur testis auctoritativus, cùm testimonium perhibet in foro, in Scholâ &c.

3 Testimonium universale, privato; liberum, coacto; antiquum, novo; testimonium viri prudentis, vel probi, vel gravis, testimonio imprudentis, vel improbi, vel levis; testimonium, quod homo contra se profert, citra coactionem, ei quod pro se profert; quod homo contra amicum, vel pro inimico profert, ei quod pro amico, vel contra inimicum profert; testimonium, quod artifex sincerus de re ad artem suam pertinente profert ei, quod ab alio artis experte profertur; præferendum est.

Hic canon constat conglobatione multorum canonum, quos vulgò sic proferunt: *Quæ plurimi, aut sapientiores tenent, vera esse probabile est: Antiquissima sunt certissima & exploratissima:* Aut contrà, *Novissima quæque sunt verissima & optima.* Hi duo canones sic conciliantur: In rebus quæ ad pietatem & mores spectant, antiquissima esse præferenda: eadem in iis, quæ ad ingenium, industriam, artes, vitæque commoditatem pertinent, à recentioribus superari. In moribus item antiquitas, in vocibus novitas sequenda est, hoc est, consuetudo, seu consensus eruditorum. Sed continuemus explicationem canonis nostri per alios, ut cœpimus: *Quidquid homines fide digni dicunt, id ita esse probabile est: Testimonium inimici pro inimico multum valet: Testimonium amici pro amico sæpe suspectum est: Testimonium inimici contra inimicum suspectum est: Testibus levibus & conductitiis, aut ultrò ad testimonium dandum sese ingerentibus aut obtrudentibus nihil credendum: Testibus in propriâ causâ deponentibus non credendum facilè:* Unicuique *artifici in suâ arte credendum est.*

4 Testimonium humanum in Philosophiâ & Theologiâ non sufficit ad probandum ullum thema philosophicum vel theologicum, nisi priùs rationibus, vel testimoniis divinis fuerit stabilitum.

Non igitur, quis dicat, in Philosophia debemus primò vel solùm attendere, sed primò, quid dicatur. Et in Theologiâ consensus orthodoxus magni est faciendus, si sit verè orthodoxus, hoc est, conveniat cum normâ SS. literarum.

Quòd si testimonia humana hoc tali fundamento nitantur, videlicet rationis sanæ in Philosophiâ, & sacræ Scripturæ, in Theologiâ; authoritas magni facienda est, ne fortè alicui objiciatur illud: *Qui respuit authoritatem fide dignam, arrogans est & nimium αὐθέκαστος.*

5 A testimonio humano nec universali, nec particulari valet consequentia negativè.

Non enim valet: Nullus Geographorum scribit de loco inferni. Ergò nullus est. Sic non valet: Ado Viennensis & alii historici nihil scribunt de fœminâ, quæ sub nomine Johannis octavi Papatu Romano functa sit. Ergò fœmina in sede Romanâ non sedit. Etsi enim Ado, & alii quidam nihil de eo meminerint, tamen Martin. Polonus, Sigebertus, Antoninus archiepiscopus Florentinus, Platina, & alii quàm plurimi historici hanc historiam literis consignatam ad nos transmiserunt. Non pugnat hic canon cum illo, quem suprà dedimus ad divisionem testimonii secundam. Nam ibi testimonium, quod affertur ut medium, non concipitur negativè, ut hîc factum.

Sequitur testimonium non favorabile, quod est diabolicum.

Estque verum, vel falsum.

Verum est, quod fidem meretur sine favore illius, qui perhibet.

Hoc enim fidem meretur non ex parte causæ efficientis, sed ex merito veritatis. Tale est Pythonis testimonium de Paulo & comitibus ejus, eos esse servos altissimi, viam salutis annunciantes. Talia fuerunt multa oracula, & responsa dæmonum, Sibyllarum, magorum &c.

Falsum est, quod nullo modo meretur fidem.

Hujus loci sunt duo canones:

1 Etsi diabolus non semper mentitur, semper tamen est mendax & fallax.

Itaque etiam eo ipso, dum verum dicit, fallendi studio ducitur. Proinde testimonium ipsius, etiamsi in se verum sit, ta-

sit, tamen respectu testis, à quo proficiscitur, nullam vim probandi habet.

2 *Testimonium diaboli, quod pro se & confœderatis suis profert contra inimicos suos, nullam vim probandi habet: sed quod contra se & confœderatos suos pro inimicis suis profert, vim aliquam probandi habet.*

Habet illam vim non respectu testis, sed rei testatæ. Hic canon fundatur in illo generali: *Testimonium inimici pro inimico multum valet.*

Sequitur testatum, quod est argumentum arguens testimonium ut thema.

Hujus natura clara est è doctrina testimonii. Hic est liber secundus de argumento simplici, seu incomplexo communi, cujus hic esto typus.

Typus libri secundi de Argumento simplici communi.

- *Argumenti traditur*
  - *Definitio. cap. 1.*
  - *Consideratio, quoad*
    - *Communes affectiones. cap. 2.*
    - *Divisionem, in*
      - *Genere. cap. 3.*
      - *Specie. Est*
        - *Insitum*
          - *Primum*
            - *Simplex*
              - *Consentaneũ*
                - *Primarium*
                  - *Causa in*
                    - *Genere. c. 4.*
                    - *Specie*
                      - *Externa*
                        - *Finis. cap. 5.*
                        - *Efficiens. cap. 6.*
                      - *Interna*
                        - *Materia. c. 7.*
                        - *Forma. cap. 8.*
                  - *Causatum. cap 9.*
                - *Secundariũ Classis*
                  - *Prima*
                    - *Subjectum. cap. 10.*
                    - *Adjunctum. cap. 11.*
                  - *Secunda; antecedens, concomitãs, consequẽs. c. 12.*
              - *Dissentaneũ in*
                - *Genere. cap. 13.*
                - *Specie*
                  - *Diversum. cap. 14.*
                  - *Oppositum*
                    - *Primarium: Contradicens. cap. 15.*
                    - *Secũdariũ Oppositũ*
                      - *Directè*
                        - *Positivum*
                          - *Relatum. c. 16.*
                          - *Contrariũ. c. 17.*
                        - *Privativum. cap. 18.*
                      - *Indirectè: Disparatum. cap. 19.*
            - *Comparatum. In*
              - *Genere. cap 20.*
              - *Specie. Est*
                - *Primarium*
                  - *Par. cap. 21.*
                  - *Impar. cap. 22.*
                - *Secundarium*
                  - *Simile* } *cap. 23.*
                  - *Dissimile* } *cap. 23.*
          - *Ortum. Ordinis*
            - *Primi*
              - *Conjugatum. cap. 24.*
              - *Notatio. cap. 25.*
            - *Secundi*
              - *Totum & pars. cap. 26.*
              - *Genus & species. cap. 27.*
        - *Assumtum. cap. 28.*

LOGICORUM LIBER TERTIUS De ARGUMENTO SIMPLICI PROPRIO.

Cap. I. Prædicamentum in genere.

TRadidimus argumenti ſimplicis communis naturam: jam trademus naturam argumenti ſimplicis proprii.

Argumentum ſimplex proprium eſt, quod dirigit materiam, ex quâ diſſerendum eſt, particulariter: & uno nomine dicitur prædicamentum.

Dicat aliquis: Annon adhuc verſaris in Logicæ parte generali? Cur igitur doctrinæ generali immiſces propriam ſeu particularem? Reſp. Dicitur argumentum proprium ſeu particulare in ſenſu comparato; non quòd ipſum non ſit generale, ſed quòd non ſit æquè generale atque illud, quod diximus commune. Si quis gnarus ſit primæ Philoſophiæ, facilè videbit quid rei ſit. Metaphyſica eſt diſciplina generaliſſima; & tamen dividitur in partem communem & propriam, ſeu generalem & ſpecialem. Cæterùm hîc disputatur, an de prædicamentis in Logicâ docendum ſit; & ſi ſit, quo loco? Reſp. ad 1. Omnino de prædicamentis in Logicâ docendum eſt; quia ſunt inſtrumenta diſſerendi æquè atque cauſa & cauſatum, ſubjectum & adjunctum &c. Neque tamen alia eſt prædicamentorum in Logicis, quàm in Metaphyſicis facies, niſi quòd accidentalem ſolummodò conſiderationem mutat Logicus. Eſſentialia enim categoriarum non mutat, nec mutare debet Logicus, niſi Metaphyſicam falſitatis arguere velit. Hinc *Fortunatus Crell. in isag. Logic.* ait, quòd in Logicâ id agatur in tractatione prædicamento-

An de prædicamentis in Logicâ docendum?

rum, ut primis notionibus secundæ accommodentur. Deinde rudiùs & vulgariùs debet tradi in Logicis de prædicamentis, quæ Metaphysicus ad limam subtilitatum accuratiùs exigit. Verbo me expediam: Si doctrina causarum est Logicæ considerationis, etiam doctrina prædicamentorum. Sed illud. Ergò & hoc. Probatur consequentia: Si entis differentiæ generales evadere possunt instrumenta disserendi; quidnî & propriæ ipsius differentiæ evadant talia instrumenta? Par certè est ratio, nisi contrarium probetur. Hinc infero: Sicut causa in Metaphysicis consideratur ut notio prima, in Logicis ut notio secunda: ita & prædicamentum. Jam respondeo ad 2. partem quæstionis; & ajo, prædicamentis non esse assignandum locum primum in Logicâ, sed illa omninò postponenda esse suis generalibus, sicut in Metaphysicis fieri videmus. Non video, quomodo doctrina de prædicamentis in Logicâ possit esse generalior doctrinâ de causâ, causato & cęteris locis, quę in Metaphysicâ est specialior. Profectò notiones secundæ accõmodandæ sunt primis. Id si fiat, nostra sententia prævalebit. Idem fecit *Olevian.* in sua Logica, & causam hujus sui facti reddit *pag. 79.*

Canones de prædicamentis in genere quatenus sunt Logicæ considerationis, duo sunt:

1 Prædicamentum in Logicâ consideratur, tanquam classis, quæ summa rerum genera, & quæcunque illorum complexu continentur, comprehendit.

Ipsa vox, prædicamentum, Græcè κατηγορία, est Logica. Metaphysicus enim substantiã & novem genera accidentis non tam vocat categorias, quàm quasi species entis. Interim videas in Metaphysicis etiam sic appellari. Tu verò sic statues; hoc vocabulum, *prædicamentum*, speciebus entis tantùm accõmodari propter usum Logicum. Prisci enim Logici summa illa genera à prædicatione sic denominarunt, quoniam iis ad prædicationes conformandas nos uti posse viderunt. Atque hinc videre est, cur prædicamentum à nobis vocetur argumentum proprium; quia scilicet Logicus illud considerat tanquam dispositionem generum & specierum, quæ certè sunt species argumentorum. Sic v. g. prædicamentum substantiæ in Logicâ consideratur, quatenus est summum ge-

mum genus: & ideò dicitur argumentum proprium. Hinc duo syllogismi. Syllogismus primus est talis. Genus quatenus est instrumentum, est Logicæ considerationis. Substantia in Logicis est tale genus. Ergò est Logicæ cõsiderationis. Excipies: Ergò ad locum generis pertinet tanquam exemplum. Non enim omne quod genus est, est in Logicâ tradendum. Resp. Certè valeret argumentatio, si substantia consideraretur ut genus, quod non est instrumentum, quale est animal: sed Syllogismus contrarium ostendit, videl. quòd sit genus tale, quo quis uti possit tanquam instrumento disserendi. Syllogismus secundus hic est. Si prædicamentum, v.g. substantiæ, est dispositio generum & specierum, est argumẽtum proprium. Sed illud est. Ergò & hoc. Ratio cõnexi: quia hæc est specialis consideratio thematis, si illius genus investigetur, itemque species oppositæ. Deinde prædicamenta etiam propria dicuntur argumenta, quia determinant argumenta communia. Nam si velis inquirere quæstionis simplicis, vel compositæ causas, effecta, subjecta, adjuncta, & cætera argumenta, perlustrare debes prædicamenta: ut, si de homine sit docendum, inquires quas causas habeat in prædicamento substantiæ, quantitatis, qualitatis, actionis &c. de quibus sine hâc directione nunquam cogitaturus fuisses.

Prædicamẽtum quomodo dicatur argumentum proprium?

2 *Prædicamentum in Logicis non consideratur tanquam index naturæ, sed tanquam instrumentum cognoscendi naturas rerum.*

Vulgò dicunt: *Prædicamentum est index naturæ.* Hoc verum est, si spectentur res ipsæ, quæ in illis disponuntur. Sic enim prædicamenta repræsentant totam rerum universitatem, quemadmodum tabulæ geographicæ repræsentant ipsas regiones. Et hæc consideratio est propria primæ Philosophiæ. Logicus autem prædicamentum adhibet tanquam normam, cujus beneficio possit convenientias seu genera & differentias rerum investigare, res ipsas non tradit, ut ex ipsâ tractatione patebit.

Prædicamentum est substantiæ, vel accidentis.

Omne, quod sub perfectam definitionẽ cadit, perfectè potest cognosci. Intellige perfectionẽ, quæ cadere potest in homi-

nem corruptum. Omne autem id, quod in aliquo prædicamento est, cadit sub perfectam definitionẽ. Habet enim genus & differentiam. Quod igitur est vel substantia propriè dicta, vel accidens propriè dictum, id definiri potest perfectè; ut quidam Logici definitionem perfectam considerant. Quare si velis naturam alicujus rei penitius investigare, omnium primò vide, num sit substantia vel accidens. Dixi autem, *quod est substantia propriè dicta, vel accidens propriè dictum*: quia multa reducuntur ad prædicamentum substantiæ vel accidentis, quæ propriè talia non sunt. Hâc de re sunt canones:

1 Quinque modis aliquid dicitur esse in prædicamento, directè, analogicè, collateraliter, reductivè, quod Græcis est δι' ἀναγωγῆς, vel per accidens.

2 Directè & primariò in prædicamentis est ens reale, simplex, per se unum, universale, completum seu totum, & voce certâ significatum:

Quid sibi velint hi termini, è Metaphysicis discas oportet.

3 Analogicè in prædicamento est Deus.

Quod enim directè est in aliquo prædicamento, id est compositum è genere & differentiâ. At Deus immunis ab hâc compositionis specie.

Item analogicè in prædicamentis sunt transcendentia.

4 Collateraliter in prædicamento est differentia.

Alii dicunt, differentiam κατὰ πλάτος, non κατὰ βάθος in prædicamento esse.

5 Reductivè in prædicamentis sunt 1. Entia concreta; ut justus, doctus. *2. Aggregativa & collectiva*; ut Respublica, exercitus, acervus. *3. Partes*; ut manus, ramus.

6 Per accidens in prædicamentis sunt: 1. Entia complexa:

Ut integræ propositiones, quæ referuntur ad prædicamentum, in quo sunt extrema; ut, homo est animal, refertur ad categoriam substantiæ, quia uterque terminus est in substantiâ:

ſtantiâ : at hæc propoſitio, homo eſt juſtus, refertur partim ad ſubſtantiam, partim ad qualitatem.

2 *Entia intentionalia:*

Ut ſunt colores intentionales, quales apparent in ſpeculis, & in vitris.

3 *Notiones ſecundæ:*

Ut zodiacus, axis, Nominativus. Et hæ referuntur vel ad prædicamentum qualitatis, tanquam conceptus; vel ad illa prædicamenta, in quibus ſunt res illæ, quarum ſunt notiones.

4 *Relationes rationis:*

Ut dextrum & ſiniſtrum in columnâ.

5 *Privationes:*

Quæ reducuntur ad prædicamentum ſuorum habituũ.

6 *Ficta poſſibilia:*

Ut mons aureus. Hæc reducuntur ad prædicamenta illarum rerum, è quibus finguntur eſſe compoſita.

Itaq; planè excluduntur à ſerie prædicamentali: 1. Æquivoca ante factam diſtinctionem. 2. Ficta impoſſibilia.

Vide hâc de re Keckermannum accuratè, more ſuo, tractantem *lib. 1. ſyſt. Logic. cap. 2.*

Cap. 2. Prædicamentum ſubſtantiæ.

PRædicamentum ſubſtantiæ eſt, in quo disponuntur genera, differentiæ & ſpecies illarum rerum, quæ per ſe ſubſiſtunt.

Ejus canones ſunt:

1 *Deus eſt in prædicamento analogicè.*

Puriſſima Dei ſimplicitas & infinitas obſtat, quò minùs directè poſſit collocari in aliquo prædicamento. Etenim omne quod in prædicamento eſt directè, id eſt compoſitum ex genere & differentiâ, ut ante diximus. **Deus an in prædicamento?**

2 *Chriſtus in hoc prædicamento eſt itidem analogicè:*

Quatenus videl. eſt perſona ſingulariter mirabilis & mi- **Chriſtus an in prædicamento?**

rabiliter singularis, constans duabus naturis; infinitâ & finitâ, potest, sed non directè, in hoc prædicamento collocari. Sed quatenus ipsi tribuuntur relationes, in prædicamento relationis esse dicitur à Theologis. Alii dicunt, Christum in prædicamento substantiæ esse directè, quatenus est homo; & analogicè, quatenus est Deus.

3 Substantia finita est summum hujus prædicamenti genus.

Hoc est, simplex illa natura, omnibus creaturis cõmunis, est summum genus univocum hujus prædicamenti. Sententia Peripatetica est, solas compositas & corporeas substãtias pertinere ad hoc prædicamentum, ita ut non solùm Deus, sed etiam intelligentiæ & anima hominis excludantur. Sed unica hęc ratio contra illos militat. Illud est summum genus hujus prædicamenti, quod univocè dicitur de omnibus sibi subjectis. At substantia finita dicitur univocè de spiritu & corpore, seu de omnibus creaturis. Ergò illa est summum hujus prædicamenti genus. Si tamen dicas, substantias primas magis esse substantias quàm secundas, substantia hoc respectu non erit genus synonymum, sed πρὸς ἕν.

4 Genera proxima hujus prædicamenti sunt spiritus, materia, forma, cœlum, stella, elementum, meteorum, metallum, lapis, arbor, frutex, herba, animal.

5 Differentiæ hujus prædicamenti sunt spiritus & corpus: Spiritus absolutus & determinatus, seu separatus & conjunctus: corpus incompletũ & completum: corpus completum simplex & mixtum: simplex vel alienum à mixtione, vel ordinatum ad mixtionem: mixtum vel imperfectè, vel perfectè: perfectè mixtum vel inanimatum, vel animatum: animatum vel vegetans, vel sentiens: sentiens vel rationale, vel irrationale.

6 Scala rerum cognoscendarum in hoc prædicamẽto hæc est: Deus, Angelus, Anima humana, Materia, Regio cœlestis, Regnum minerale, Regnum vegetabile, Regnum animale.

7 Pro-

7 *Proprietates substantiæ sunt: 1. non esse in subjecto. 2. non recipere magis & minus. 3. non contrariari, sed disparari.*

Sic Hector non inest alii subjecto; non magis est homo quàm Paris; & illi opponitur disparatè.

Sic tractanda sunt prædicamenta in Logicis. Disputationes subtiliores relinquantur Metaphysico. Cæterùm usum hujus tractationis cognosces ex libro ultimo hujus institutionis Logicæ.

Cap. 3. Prædicamentum quantitatis.

PRædicamentum accidentis est primarium, vel secundarium.

Primarium est accidẽtis absoluti, vel respectivi.

Prædicamentum accidentis absoluti est quantitatis, qualitatis, actionis, & passionis.

Prędicamentum quantitatis est, quo disponuntur genera, differentiæ & species quantitatis.

Illius canones sunt:

1 *Quantitas & numerus transcendentales hoc prædicamento non continentur, nisi analogicè.*

Quantitas transcendentalis tribuitur angelis: qui sunt quanti, at nõ quantitate prædicamenti, ut ait Scalig. Numerus transcendentalis est in SS. Trinitate, spiritibus, aliisq; rebus non quantis quantitate prædicamentali.

2 *Quantitas intensiva, quæ aliâs dicitur virtutis, item gradualis, impropriè collocatur in hâc serie.*

Sic etiam Deo tribuitur quantitas virtutis, seu perfectionis.

3 *Quantitas per accidens δι' ἀναγωγῆς est in hoc prædicamento.*

Sic actio aliqua, ut puta concio, dicitur quanta ob tempus longum, aut breve, quo duravit.

4 *Quantitas illa per se, propria est hujus prædicamenti, illiusq́ genus generalißimum.*

5 *Quantitas per se, sed abstracta, est illud genus.*

Nam ista quãtitas est simplex illa omnibus per se quantis, communis natura. Quantitas autem concreta non est ita simplex; & proinde nonnisi ratione formalis sui est in hoc prædicamento.

6 *Genera & species subalternæ sunt continua & discreta quantitas.*

7 *Quantitas continua quinque species habet: quæ sunt; linea, superficies, corpus, locus, & tempus.*

Punctũ an in prædicamento? Punctum, principium lineæ, in hoc ipso prædicamento collocatur, sed reductivè. Corpus in hoc ipso prædicamento est; non quatenus est substantia ex materiâ & formâ constans: sed quatenus est trina dimensio, quæ accidens est. Trinam istam dimensionem sic accipe. Mathematicus res considerat ἐξ ἀφαιρέσεως. Non igitur lineam vel superficiem materiatam, sed mente conceptam. **Quantitas mathematica quæ sit?** Finge igitur ab oculo tuo lineam fluere vel produci in longum tantùm, ad cœlum usque. Fluxus iste puncti, sive lõgitudo ista, est linea Mathematica. Sicut autem Mathematici imaginantur, lineam fieri ex fluxu puncti in longum: ita superficiem ex fluxu lineæ in latus constituunt: ut, finge lineam illam, quæ ab oculo tuo in cœlum producitur, in latus fluere, & superficiem habebis: cujus extrema erunt duæ lineæ, sicut extrema lineæ duo puncta sunt. Rursùm, sicut linea ex fluxu puncti; superficies ex fluxu lineæ: sic corpus ex fluxu superficiei in profundum fieri dicitur; cujus extrema sunt duæ superficies, ut nihil aliud sit corpus Mathematicum, quàm trina dimensio, ut dicebamus. Vide *Crellium in isagog. Logic. lib. 1. part. com. ad prædicamentum quantitatis.* Porrò tempus est quantitas continua; quia longum quiddam est, cujus partes, præteritum & futurum, seu prius & posterius continenter cohærent per intermedium τὸ νῦν seu *momentum*, quod ad quantitatem reductivè pertinet. Locus quoque quantitas est; quia est superficies, & quia τῷ λόγῳ, *ratione*, corpori respondet. Sicut enim corporis partes, quæ in loco sunt, continenter

tinenter cohærent: ita quoque loci partes, quibus corporis partes continentur, & quæ partibus loci respondent. Hæc superficies non excludit relationem loci ad locatum. Hîc observa lineam, superficiem, & corpus dici abstractas quantitates abstractatione Mathematicâ; locum & tempus abstractatione Physicâ.

8 Quantitas discreta duas habet species, numerum & orationem.

Numerum intellige numerantem, & numeratum. Illum primariò, hunc secundariò. Unitas verò, principium numeri adeoq; pars ejus, ad quantitatem & ipsa refertur, sed reductivè, quod de puncto & momento diximus. Oratio tripliciter considerari potest: uno modo, quo in mente concepta manet; altero, quo profertur; tertio, quo scribitur. Philosophi vocant mentalem, vocalem, scriptam. Sola vocalis ad hoc prædicamentum pertinet. Illa enim est mensura syllabarum, prout ore proferuntur. Sic enim quædam producuntur, quædam corripiuntur. Sic, inquam, vocalis oratio, dum distinctos sonos, & syllabas certo quodam modo profert, eas metiri dicitur, perinde ferè, atque cùm mensurâ aliquid metiris. Reliquæ duæ species orationis ad qualitatem referuntur: altera scripta ad quartam, altera ad primam speciem.

Unitas an sit in prædicamento?

9 Quantitas non est genus synonymum, sed πρὸς ἕν.

Nam sicut prima substantia magis est substantia, quàm secunda; & sicut habitus magis est qualitas, quàm dispositio; & sicut relatio secundùm esse magis est relatio, quàm illa, quæ secundùm dici est: ita quoque linea sive corpus magis esse videtur quantitas, quàm oratio.

10 Individua in hoc prædicamento sunt, hæc linea, hæc superficies &c.

Objicis: At suprà dictum est, individua in prædicamentis non contineri. Resp. Individua sub propriâ conditione ingrediuntur prædicamenta Logicè considerata, ut ait *Crellius in isag. Logic.* quatenus nimirum id hîc agitur, ut notiones secundæ primis accommodentur. At in prædicamentis Metaphysicè consideratis individua collocantur indirectè.

11 *Differentiæ hujus prædicamenti sunt magnitudo & multitudo; magnitudo intensiva & extensiva, seu quantitatis & molis; magnitudo molis incompleta & completa: multitudo absoluta, & concreta.*

12 *Quantitatis proprietates sunt: 1. nullam habere efficaciam. 2. non recipere magis & minus, sed majus & minus. 3. esse fundamentum relationum mathematicarum, ut sunt par & impar, æquale & inæquale, proportionari, &c.*

Cap. 4. Prædicamentum qualitatis.

PRædicamentum qualitatis est, quo genera, differentiæ & species qualitatis disponuntur.

Ejus canones sunt:

1 *Qualitatis species sunt quatuor primariæ; habitus, potentia naturalis, qualitas patibilis, & figura.*

2 *Habitus est incompletus, vel completus.*

Incompletus dicitur peculiari nomine dispositio. Completus dicitur simpliciter habitus.

3 *Habitus infusus à Deo, non comparatur crebris actionibus, sed tantùm acquisitus.*

De hoc habitu docet Logica Christiana. Pertinent igitur ad habitum virtutes, vitia, disciplinæ liberales & illiberales.

4 *Potentia naturalis sub se habet vim & imbecillitatem naturæ: illa dicitur activa, hæc passiva.*

Vis naturalis est habilitas nobiscum nata, quâ idonei sumus ad actiones quasdam præstandas. Imbecillitas verò est, quâ naturâ sumus inepti ad quasdam actiones. Ponuntur in hâc secundâ qualitatis specie omnes inclinationes, habilitates, habilitatumque privationes, quibus unaquæque res

que res apta est vel inepta ad agendum, ut vires herbarum, gemmarum. Huc pertinet etiam peccatum illud, quod pravam concupiscentiam Theologi vocant, quâ proclives ad malum naturâ sumus, & inepti ad bonum.

5 *Qualitas patibilis est, quæ partim passionis circa sensus est effectrix (unde & efficiens dicitur) partim à passione oritur.*

Sic dulcedo mellis, amaritudo aloës, dicitur patibilis qualitas, quia passionem efficit in sensu. Sed colores hominis dicuntur qualitates patibiles, quia oriuntur à passione; ut pallor ex morbo, nigror ex adustione Solis. Hoc accipe de coloribus inductis, ut ajunt, non de nativis. Huc pertinent affectus, ut iracundia, misericordia: item frigus, calor, humiditas, siccitas, raritas, densitas, sapor, odor, color, sonus. Affectus tamen alio modo referuntur ad prædicamentũ passionis. Nam affectus consideratur, vel quatenus efficit in homine perturbationem, vel quatenus est ipsa passio.

6 *Figura propriè tribuitur rebus artificialibus, ut circulo, quadrato; forma rebus animatis, ut equo, bovi.*

Fortunatus Crellius in isag. Logic. Pertinent igitur huc omnes figuræ mathematicæ, omnes externæ rerum formæ, & iccirco omnes res artificiales, ut testudo, olla, pulpitum &c. His enim rebus ars nihil aliud confert, quàm figuram.

7 *Summum seu ultimum hujus prædicamenti genus est qualitas, sive simplex illa omnibus qualitatibus communis natura, complectens sub se quatuor illas celebres & modò enumeratas species.*

Est autem genus analogicum: quia non æqualiter tribuitur habitui & dispositioni; nec æqualiter habitui animi & corporis, qualis est sanitas vel morbus.

8 *Habitus, potentia, patibilis qualitas, & figura, sunt species subalternæ respectu summi generis; genera respectu inferiorum.*

9 *Species habitus, sunt habitus animi & corporis. Habitus animi est vel intellectus, ut scientia, prudentia, ars: vel voluntatis, ut virtus, vitium.* Et hæ sunt *species infimæ : quia sub se tantùm individua*, hanc *scientiam, hanc artem, hoc vitium complectuntur.*

10 *Potentiæ naturalis species, sunt vis & imbecillitas in rebus naturalibus, tum manifesta, ut potentia appetendi, sentiendi, risibilitas, vires in gemmis, lapidibus &c. tum occulta, ut ἰδιοσυγκρασία, qualis est in magnete erga polum arcticum & ferrum ; item συμπάθεια, qualis est inter vitem & ulmum, & denique ἀντιπάθεια, ut inter vulpem & amaras amygdalas.*

11 *Qualitas patibilis, & figura non ita diffusæ sunt.*

Illius species sunt prima: ut lux, calor, frigus. & orta seu secunda: ut, raritas, sapor, odor, color: hujus, naturalis & artificialis.

12 *Proprietates qualitatis sunt 1. recipere contraria. 2. recipere magis & minus, id est, gradum intensum & remissum. 3. esse fundamentum relationum physicarum & ethicarum, ut similitudinis & dissimilitudinis, causæ & effectus.*

Cap. 5. Prædicamentum actionis.

PRædicamentum actionis est, quo ejus genera, differentiæ & species disponuntur.

Ejus canones sunt:

1 *Ad hoc prædicamentum referuntur actiones* Dei *analogicè.*

Actiones Dei quî cõsiderandæ?

Nam accuratè loquendo actiones Dei non sunt prædicamentales,

mentales, sed transcendentales, h. e. non habent se per modum accidentis alicujus, sed tanquam actus simplices. Actus autem est transcendens, non accidens.

2 *Summum genus hujus prædicamenti est actio, quatenus est communis natura actibus creaturarum.*

Hic canon fluit ex primo.

3 *Genera & species subalternæ, sunt actio spiritualis vel corporea; & corporea vel cœlestis, vel elementaris; & elementaris vel inanimatorum, vel animatorum; & actio animatorum vel in genere est sensus & appetitus, vel in specie est brutorum, & hominis; rursus actio hominis vel naturalis, vel habitualis seu acquisita.*

4 *Species specialissimæ sunt generatio, corruptio, alteratio, motus localis, augmentatio, deminutio, phantasia, memoria, visus, risus, contemplatio, praxis, ποίησις &c. Individua sunt, hæc generatio, hæc θεωρία, hæc διδαξις.*

5 *Proprietates actionis sunt: 1. recipere contraria. 2. recipere magis & minus.*

Cap. 6. Prædicamentum passionis.

Prædicamentum passionis est, quo ejus genera, differentiæ, & species disponuntur.

Ejus canones sunt:

1 *Nihil rerum divinarum pertinet ad hoc prædicamentum, nisi æquivocè, non analogicè, hoc est, quoad nomen tantùm.*

Sic quando dicimus, Filium à Patre genitum, Spiritum sanctum à Patre & Filio ut unà spirantibus spirari; item Deum adorari, contemni &c. non significamus passionem ullam respectu Dei, sed lucem, ut verbis Scaligeri utar, tenebrosis vocabulis exprimimus.

2 Paßio est summum hujus prædicamenti genus, quatenus est communis natura paßionibus creaturarum.

Hic canon fluit ex primo.

3 Genera & species subalternæ sunt paßio vel extrema, eaq; tum perfectiva, tum defectiva vel media: & utraq; spiritualis vel corporalis &c.

Hîc nota, quid velimus nomine passionis mediæ; nimirum omnem illam, quæ est indifferens, ita ut possit nunc bona, nunc mala esse; qualis est somnus, ira.

4 Species specialißimæ sunt, dependentia à primo ente, amor vel odium primi entis, calefactio paßiva, nutritio, lætitia, timor & similes affectus, febris & alii morbi.

5 Individua sunt, hæc lætitia, hæc calefactio, hæc voluptas, hoc desiderium.

Colophonis loco nota, quòd verbalia in IO nunc activè, nunc passivè accipiantur; ideoque modò in categoriâ actionis, modò in categoriâ passionis collocentur; ut gubernatio vel activè, vel passivè significat. Ad extremum nota, quosdam actionem & passionem adnumerare accidentibus respectivis. Sed tu scias, relationem secundùm dici in actione & passione habere locum, ideoque principaliùs aliquid esse in utraque, quod absolutum est: vel certè respectus ibi est transcendentalis.

Cap. 7. Prædicamentum relationis.

PRædicamentum accidentis respectivi est, quo genera, differentiæ & species relationis disponuntur.

Hîc relata considerantur, non ut dissentanea, sed ut consentanea. Ejus canones sunt:

Relata secundùm esse & dici.

1 Relata secundùm dici, secundariò referuntur ad hoc prædicamentum; relata secundùm esse ad illud propriè pertinent.

Relata secundùm dici sunt, quæ quoad id, quod sunt, h. e. quod

quod ad naturam & essentiam ipsorum attinet, in absoluto prædicamento sunt; ut scientia & similes habitus qui in qualitate sunt, & secundariò atque ex consequenti ordinem ad aliud, tanquam ad terminum, secum adferunt: vel quæ in proprio prædicamento collocantur, quoad id quod sunt, secundariò autem huc referuntur. Sic positio est in prædicamento situs, secundariò autem ordinem secum adfert & respectum. Relata secundùm esse, vocantur vera & mera relata, quæ quo ad id, quod primò sunt, ad aliud tanquam terminum referuntur, & quorum esse est referri, ut pater filius, dominus servus. Illa Græcis τὰ πρός τι κατὰ τὸ λέγεσθαι, ista κατὰ τὸ εἶναι dicuntur. Illa primò & principaliter in absoluto aut alio aliquo prædicamento continentur, & secundariò huc referuntur: ista sunt, quæ referuntur totâ suâ essentiâ, & ad hoc solùm prædicamentum pertinent.

2 *Relatio prædicamentalis univocè & transcendentalis analogicè pertinet ad hoc prædicamentum.*

Scholastici, patres illi sublimioris scientiæ, relationem ita dividunt. Transcendentalis est, quæ tribuitur enti. Illud enim dividitur in absolutum & respectivum. Hæc non est accidens; quia transcendit omne prædicamentum. Hujusmodi relationes in divinis ponimus, sive illæ sint ad intra, sive ad extra. Prædicamentalis autem relatio, tanquam ens debilissimæ entitatis, in Deo non habet locum. Nullum enim accidens primo enti tribui debet. De utroque tamen accipies illum canonem: *Relatio non componit, sed distinguit*; qui verè est aureus. Sic paternitas vel magistratus non reddit hominem compositiorem: sed eum distinguit ab aliis. Hinc illud: Relata non sunt ἄλλο τι, sed ἄλλου τινός.

Relatio prędicamentalis & transcendentalis.

3 *Relatio rationis ad hoc prædicamentum pertinet per accidens.*

Vide supra *cap. 1. canon. 6.* Relata dividuntur in realia, & rationis. Relata realia sunt, quæ respectum & ordinem inter se habent, semotâ omni mentis cogitatione; qualia sunt pater & filius, dominus & servus. Relata rationis sunt, quæ habent inter se respectum totum ab animo pendentem, illa sic

Relata rei & rationis.

comparante. Sic dextrum & ſiniſtrum in columnâ ſunt relata rationis. Relata rationis ab hâc categoriâ excluduntur. Hîc cave, limitem, teſtamentum & alia conſilio hominum inſtituta & ordinata voces entia vel relata rationis. Nam illa ſunt relata rationis, quæ extra animum nihil ſunt, ſeu quorum relatio tota à mente comparante pendet.

4 In hoc prædicamento ſunt relata mutua & non-mutua, item æquiparantiæ & disquiparantiæ.

Relata mutua & non mutua.

Relata mutua dicuntur, cùm unum æquè atq; alterum ab altero pendet realiter; ut pater & filius, dominus & ſervus. Non-mutua ſunt, cùm unum ad alterum refertur realiter, alterius autem relatio tota à mente comparante pendet. Sic ſcientia & ſcibile ſunt relata non-mutua. Scientia ad ſcibile refertur, licet nullius cogitatio accedat: ſcibile verò ad ſcientiam non refertur, niſi à mente hominis. Talia ſunt ſenſus & ſenſile, habitus & id cujus eſt habitus, πίστις καὶ τὸ πιστόν. Stat enim in his relatio ex unâ tantùm parte, hoc eſt, realis eſt; ex alterâ verò parte tantùm rationis eſt. Porrò relata æquiparantiæ Scholaſticis ſunt, cùm neutrum altero ſuperius vel inferius, dignius vel indignius eſt: ſed inter quæ eſt ſumma æqualitas; unde & idem nomen obtinent; ut duo amici, duo ſimiles, duo æquales: uti ſunt tres perſonæ SS. Trinitatis. Vocantur etiam *relata unius vocis*, ſeu nominis. Relata disquiparantiæ ſunt, cùm alterum ſuperat alterum. Et hæc dicuntur etiam relata *ſuperpoſitionis* & *ſuppoſitionis*, item *diverſi nominis*, ſeu plurium vocum. Talia relata ſunt pater & filius, dominus ſervus, præceptor diſcipulus.

Relata æquiparantiæ & disquiparantiæ.

5 Fundamentum & ſubjectum relationis non ſunt in prædicamento hoc.

Relatio eſt accidens adeò infirmæ entitatis, ut niſi alio firmiore fulciatur, ſubſtantiæ ceu ſubjecto inhærere non poſſit. Sed non ſolùm ſubjecto, quâ accidens, ſed etiam quâ debile accidens, loco fundamenti alio accidente indiget, cujus adminiculo ſubſtantiæ inſit. Subjectum igitur relationis, ut cujusvis accidentis, eſt ſubſtantia; fundamentum verò, quod aliâs dicitur materiale, non ſubſtantia ipſa, ſed abſolutum quoddam accidens in illâ ſubſtantiâ, quo intercedente, relatio ſubſtantiæ, ut ſubjecto, ineſt. Sic paternitas non proximè

ximè inest ipsi substantiæ seu personæ patris, sed interveniente alio accidente, quod est qualitas. Paternitas enim illi substantiæ, tanquam subjecto, inest, ob vim & ἐνέργειαν generandi. Sic duplum & dimidium relata sunt. Inest hæc relatio substantiæ propter numerum. Sic decem boves pares sunt respectu quinque. Relatio ista bobus seu substantiæ inest, intercedente numero. Pares enim & impares dicuntur boves propter numerum. Sunt autem duo solùm prædicamenta apta huic officio, ut relationum realium fundamenta sint; videl. quantitas, non quidem continua, sed discreta, quæ dicitur numerus; item qualitas. At relationum rationis fundamentum est mensura. Quidquid igitur ad aliud refertur, id aut ob quantitatem, aut ob qualitatem, aut ob mensuram refertur. Sic duplum & dimidium relata sunt ob quantitatem discretam, præceptor & discipulus ob qualitatem.

6 Relatio ipsa, terminus relationis, & duo relata sunt in hoc prædicamento.

Relatio est forma & essentia relativi, differens ab eo tanquam abstractum à concreto. Hinc quot sunt distincta relata, tot etiam distinctæ sunt relationes: ut pater decem habens filios, decem habebit paternitates, decem illis filiis respondentes. Nam alius est respectus ejus ad filium minusculum, alius ad grandiorem, alius ad medios. Hæc relatio dicitur ipsum formale. Relata à quibusdam vocantur duo relationis termini, unus à quo, alter ad quem. Termini illis dicuntur ideò, quòd in iis relatio terminetur & desinat; qui nequaquam absolutum quid sunt, sed relatum. Absolutum enim, quâ absolutum est, nullam relationem terminat. Sed terminus nobis hîc dicitur finis propter quem est relatio. Sic terminus limitis seu limitationis est ipsa agrorum distinctio; terminus Baptismi est confirmatio & obsignatio ablutionis peccatorum per sanguinem Christi. Quòd si terminum priori modo accipias, unum idemq; diverso respectu & terminus & subjectum appellari poterit. Sic pater erit subjectum, in quo paternitas oritur; filius autem terminus, in quem desinit: contrà filius erit subjectum filiationis, pater ejusdem terminus. Verùm prior sententia mihi magis

probatur. Exemplum hoc habe. Conjugii subjectum est mas & fœmina. Fundamentum est qualitas illa à Deo indita, quâ omnes res appetunt conservationem speciei. Relatio est mutuus ille respectus inter extrema. Relatum est maritus, correlatum uxor. Terminus est mutua vitæ societas ad generis humani propagationem, & bonorum malorúmve ad vitæ solatium communio. Hîc vides, subjectum esse in prædicamento substantiæ; fundamentum in prædicamento qualitatis; relationem, duo relativa seu extrema & terminum in prædicamento relationis. Hîç nota, in assignando correlato nova vocabula sæpe fingenda esse. Sic non dices, Ala est avis ala, sed ala est alati ala. Hæc enim sunt ἀντιστρέφοντα, hoc est, *reciproca*, non illa. Nam ala latiùs patet quàm avis: quia multa sunt, quæ alas habent, sed aves non sunt. Sic caput est capitati caput, & peccatum actuale peccatati, hoc est, illius quod peccatum habet, est peccatum. Sicut enim positio positi est positio, & actio acti, hoc est, patientis est actio: sic etiam peccatum actuale illius erit peccatum, quod peccatum habet. At originale peccatum ad qualitatem pertinet.

7 Supremum hujus prædicamenti genus est relatio, hoc est, simplex illa, & omnibus realibus relationibus communis natura, complectens sub se tanquam species & genera subalterna relationes secundùm dici & secundùm esse; sub quibus mutua & non mutua, æquiparantiæ & disquiparantiæ relatio continetur.

8 Præter modò assignata genera subalterna & species, sunt etiam duo illa, relatio ex naturâ & ex instituto tum divino, tum humano.

9 Species specialissimæ sunt paternitas, filiatio, ordo œconomicus, politicus, ecclesiasticus, scholasticus, emtio, venditio, commodatio, quævis obligatio &c.

Individua sunt, hæc paternitas, hiç ordo œconomicus &c.

Cap. 8. Prædicamenta secundaria.

Fuerunt accidentis prædicamenta primaria: supersunt secundaria, numero quatuor, videl. Quando, Ubi, Situs, & Habitus.

Categoriam Quando constituit quantitas sive tempus, quatenus illi novus iste modus, quòd substantiæ, quæ in tempore est, tanquam subjecto extrinsecus adhæreat, accedit. Itaq; τὸ Quando est nihil aliud, quàm tempus, quatenus substantiæ accidit, quæ in tempore est. Sic τὸ Ubi nihil aliud, quàm locus, sed cum modo isto, quòd rei locatæ seu corpori tanquam subjecto accidit. Situs seu positus est nihil aliud, quàm locus respiciens non totum corpus, sed certas locati partes. Quemadmodum enim τὸ Ubi dicit ordinem totius locati ad totum locum, nullâ partium habitâ ratione; sic positio ordinem partium locati ad partes loci. Habitus deniq; nihil est aliud, quàm quarta species qualitatis, tantùm modum istum adjiciens, quòd substantiæ tanquam subjecto accidat, & de illâ in concreto prædicetur. Atq; hæc placuit adjicere propter novatores illos, qui quatuor hæc prædicamenta ad Indos ablegant.

Nunc videamus quatuor illorum canones:

1 *Supremum genus prædicamenti* Quando *est τὸ Quando simpliciter, sive temporeum & in tempore esse; complectens sub se Quando præsens, præteritum, & futurum; in anno, die, mense &c. esse, istorumq; individua.*

Species itaq; & genera subalterna sunt Quando præteritum, præsens & futurum; species specialissimæ sunt in anno, in mense, die, horâ esse; individua verò, in hoc anno, die, horâ esse.


2 *Supremum genus prædicamenti* Ubi *est τὸ ubi sive locatum esse: species & genera subalterna sunt commune & proprium ubi; species infimæ in templo esse, in muséo esse; individua, in hoc templo esse, in hoc muséo, in Galliâ; Italiâ &c.*

3 *Genus ſupremum (quod & poſtremum dicitur) prædicamenti, ſitus eſt poſitio illa omnibus poſitionibus communis; cujus genera & ſpecies ſubalternæ ſunt, poſitio naturalis & voluntaria; ſpecies infimæ, accumbere, erigi: individua, hujus lapidis erectio, hic accubitus.*

4 *Genus ſupremum prædicamenti habitus, eſt ipſe habitus, ſive ſimplex illa & omnibus habitibus communis natura; complectens ſub ſe habitum ornamenti & neceſſitatis, domeſticum & militarem &c. tanquam ſpecies & genera ſubalterna; individuis proximas ſpecies, tunicatum, armatum eſſe; & deniq; individua, hoc tunicatum, hoc armatum.*

Sic tractavimus prædicamenta Logicè, tanquam argumenta propria, hoc eſt, generum & ſpecierum locos. Methodus hâc tabellâ comprehenditur.

TYPUS LIBRI TERTII.



LOGI-



LOGICORUM LIBER QUARTUS De DEFINITIONE.

Cap.1. Definitum in genere.

SIc ſe habet argumentum ſimplex ſive incomplexum: ſequitur complexum.

Argumentum complexum eſt, quod dirigit materiam ex quâ diſſerendum eſt, tanquam terminus in diſpoſitione.

Eſtq; tum definitio, tum distributio.

Nova hæc alicui videri poſſit ſententia, quòd definitio & distributio accenſentur terminis complexis. At firma ratio hoc ſuadet. Conſentiunt Logici majorum gentium in hanc definitionis definitionem: Definitio eſt oratio, quid res ſit declarans: vel eſt oratio, quæ eſſentiam aliquam declarat. Si eſt oratio, utique non eſt terminus ſimplex. Hæc enim ἀσύνϑετα. Eſſe autem orationem, inde patet: quia unum tantùm nomen non poteſt eſſe definitio. Nam definitio diſtinctè debet ſubjicere intellectui, quod nomen definiti confuſè proponit. Unde cùm de omni eſſentiâ, quæ definitione explicatur, duo conceptus formari poſſint; alter convenientiæ, quo eſſentia, quæ declaratur, convenit cum aliis; alter differentiæ, quo ab eiſdem diſtinguitur; fit neceſſariò, ut omnis definitio duab. minimùm vocibus conſtare debeat; alterâ, quæ gignat in mente conceptum convenientiæ; alterâ, quæ diſtinctionis. Objicis illam definitionem peccati, quæ eſt Johannis Apoſtoli: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, ubi unica vox eſt. Sed tenendum, unicâ iſtâ voce contineri & genus & differentiam. Complectitur enim & materiale peccati, quod eſt actio, & formale, quod eſt illegalitas.

Definitio & distributio ſunt termini cōplexi.

Definitio est argumentum complexum, vi affectionis suæ arguens definitum ut thema. *Græcis dicitur* λόγος, ὅρος, ὁρισμός.

In hâc definitione genus & differentiam paucis explicabimus. Genus est *argumentum complexum* sive dispositum. Græci dicerent ἐν τῇ συμπλοκῇ. Dispositio illa non est axiomatica, sed semiplena. Dum enim dico, animal rationale, definitionem habeo, at non axioma. Et quamvis definitio significet rem unam, tamen est terminus complexus. Et verò peculiaria præcepta sunt tradenda de genere & differentiâ. Quapropter non sine causâ proprium sibi vendicat librum hoc instrumentum nobilissimum. Differentia continetur illis verbis: *vi affectionis suæ definitum arguens seu explicans ut thema.* Affectio illa est ipsa explicatio activa, quâ definitio apta est ad explicandum definitum. Atque hinc patet, definitum non esse partem definitionis, si quidem definitio sensu philosophico accipiatur. Præterea definitum sic est thema, ut etiam possit induere rationem argumenti, & vi affectionis suæ, quæ est explicabilitas, ut ita dicam, arguere definitionem ut thema. Quapropter de definito priùs nobis erit dicendum, quàm definitionis naturam explicemus.

Definitum. Definitum est, quod definitione explicatur.

Ejus consideratio est generalis, & specialis.

Generalis consideratio continetur duobus canonibus.

1 Omne ens potest suscipere rationem definiti.

Hoc quidam negant. Ineptè. Non enim est consequens: Multæ res non possunt perfectè definiri. Ergò non omnium rerum haberi possunt definitiones. Nam dum dicimus, omnem rem posse suscipere rationem definiti, intelligimus definitionem non perfectam, sed definitionem in genere, quatenus etiam esse potest imperfecta. Proinde verus manet ille canon Aristotelis *9. Metaph. cap. 6.* quòd cujusq; rei perfecta definitio non sit quærenda.

2 Omne definitum debet habere rationem entis, seu aliquid entitatis.

Ratio: quia τὸ ἁπλῶς μὴ ὂν non potest cognosci. E. nec definiri.

finiri. Si verò quis definiat entia ficta, jam illa conſiderantur tanquam intelligibilia ratione fundamenti ſui, quod habent: ut ſi quis fingat montem aureum, fictionis fundamentum eſt mons & aurum.

Cap. 2. Definitum in ſpecie.

DEfinitum in ſpecie eſt verbale, vel reale.

Verbale eſt, quod explicatur per vocem.

Aliâs dicitur nominale. Et hoc differt à notato, de quo egimus *libro 2.* Nam notatum hîc latiùs patet, ut infrà dicemus. Deinde hîc induit novam relationem. In libro 2. tradebatur ratio notatum ex loco aliquo primo explicandi; hîc traditur modus notatum per ſuam definitionem jam inventam explicandi. Itaque hîc ſupponitur notatio, ibì invenitur.

Definitum reale eſt, quod per attributa realia explicatur.

De hoc ſunt iſti canones:

1 Non eſt eadem rerum, quæ definiuntur, natura.

Res enim quædam ſunt neceſſariæ, quædam contingentes. Neceſſariæ ſunt, quæ ita ſe habent à naturâ, nec à caſu aut voluntate humanâ mutari poſſunt. Hæ ad leges definiendi examinari ut poſſunt, ita debent. Res contingentes ſunt, quæ pendent ab operatione ſeu voluntate hominis. Hæ res aut ſunt tales ſimpliciter hominum voluntate, & ita etiam mutantur pro voluntate hominum; aut ſunt tales voluntate hominum ſecundùm quid, ut ſunt artes, ſcientiæ, virtutes, & alia innumera, quæ quidem ſpecificationem accipiunt à voluntate hominis, ſed ita, ut homo illorum eſſentialia non mutet. Quod attinet ad res priori modo contingentes, illæ qua tales non patiuntur ſeſe conſtringi legibus horiſticis. At res poſteriori modo contingentes omninò habent certas definitiones. Neque enim juſtitia verbi gratiâ Ariſtidis in definitionem venit, ſed juſtitia prout in ſe eſt formaliter & naturâ ſuâ. Interim tamen res illæ contingentes priori modo etiam certas habent & catholicas definitiones, dum res, quæ definiuntur, in eo

Rerum definiendarũ natura varia.

permanent ſtatu. Sic limitis alicujus definitio eſt catholica, quamdiu ille limes permanet in ſuo eſſe, ut loquuntur.

2 *Definitum habet nexum neceſſarium cum definitione.*

Neceſſitas definitionis, quæ vocetur in Scholis.

Hæc vocatur *neceſſitas formæ*, item *definitionis*, in Scholis. Hic canon loquitur de rebus illis, quarum eſſentia ab immutabili Dei & naturæ ordinatione pendet: non autem de rebus, quarum eſſentia à mutabili hominum ordinatione pendet.

Definitum reale eſt perfectum, vel imperfectum.

Perfectum eſt, quod perfectâ definitione explicari poteſt.

Ejus canones ſunt:

1 *Omne definitum perfectum eſt per ſe & directè in aliquo prædicamento.*

Ratio canonis eſt; quia perfecta definitio conſtat genere & differentia. Quod verò in nullo eſt prædicamento, non habet genus.

2 *Omne quod perfectè definitur, eſt ſpecies.*

Ratio canonis eſt manifeſta ex priori; quia nimirum omne definitum requirit genus.

3 *Tot ſunt ſpecies definiti perfecti, quot ſunt ſpecies prædicamentorum principalium.*

Hinc definitum aliud ſubſtantiale, aliud accidentale dicitur. Addimus autem in canone, *prædicamentorum principalium:* quia res, quæ ſunt in quatuor poſterioribus prædicamentis, vel non ſunt definibiles, vel ſi definiendæ ſint, reducuntur ad principale aliquod tanquam menſuram minùs principalis.

Definitum imperfectum eſt, quod imperfectâ definitione explicari poteſt.

Eſtque imperfectum vel ex parte conceptus, vel ex parte rei.

Defini-

Definitum imperfectum ex parte conceptus eſt omnis res ſingularis, atq; ita etiam Deus, ens illud ſingulariſſimum in eſſendo.

Neminem offendet hæc locutio, qui ſcit quid hoc in loco intelligamus per definitum imperfectum. Non dicimus res ſingulares eſſe imperfectas ſuâ naturâ: quin potiùs contrarium dicimus, illas longè perfectiores eſſe rebus univerſalibus. Sed dicimus eſſe imperfectè definibilia iſta entia. Ratio; quia rei ſingularis forma nos latet. Deinde Dei eſſentia eſt infinita, ideoque à nobis perfectè cognoſci nequit. Adde puriſſimam ſimplicitatem, quæ omnem compoſitionem, atque ita etiam illam quæ eſt ex genere & differentiâ, quæque in definitione perfectâ requiritur, excludit.

Deus quare non poſſit definiri?

Definitum imperfectum ex parte rei eſt, quod aliquâ imperfectione laborat.

Sicut res ſingulares ob ſuam perfectionem nobis incognitam, perfectè definiri non poſſunt: ſic contrà res imperfectæ ob imperfectionem ſuam perfectè definiri non poſſunt. Nam quia definitio explicat eſſentiam rei, & verò homo rebus non dat eſſentiam; omninò neceſſum eſt, ut homo res ita cognoſcat atque definiat, prout ſuâ naturâ ſunt.

Definitum imperfectum ex parte rei eſt 1. Genus ſummum. 2. Res incompleta. 3. Ens collectivum. 4. Ens imaginarium. 5. Privatio.

Evolvamus ſingula. Genus ſummum dicitur imperfectum, non imperfectione aliquâ privativâ, uti vocant, ſed negativâ, quæ tota conſiſtit in comparatione ad res ſingulares. Res incompleta, ut materia, forma, & pars, dicitur imperfecta in comparatione ad totum. Ens collectivum quî poſſit imperfectum dici, fortè miretur aliquis. Nam quis mundum, vel Philoſophiam, vel Eccleſiam, & ſimilia entia collectiva argueret imperfectionis? Reſponſio eſt in promtu. Entia collectiva non ſunt in uno aliquo prædicamento, & habent eſſentiam compoſitiſſimam. Quò quid autem compoſitius (loquor cum Scho-

lâ) eò imperfectius. De ente imaginario seu ficto & privatione res omni caret difficultate, quare vocentur themata imperfecta. Itaque accedamus ad ipsam definitionem.

Cap.3. Definitio verbalis.

DEfinitio sequitur, quæ est verbalis, vel realis. *Illa Græcis* ὀνοματώδης, *hæc* πραγματώδης *dicitur.*

Definitio nominalis.

Definitio verbalis est, oratio quidditatem nominis explicans: *aliâs* nominalis: *item* quid vocis, *dicitur.*

Estq; primaria, vel secundaria.

Primaria est, quæ vocem è suâ notatione declarat.

Itaq; non est ipsa notatio. Aliâs dicitur κατ᾽ ἐτυμολογίαν; ut *Fides* est id,quo fit id,quod dicitur. *Nobilis* est,qui virtute suâ est noscibilis.

Secundaria est,quæ definitum per aliam vocem notiorem explicat: *sive illa sit ejusdem, sive diversæ linguæ.*

Dicitur aliâs definitio κατὰ λέξιν,& κατὰ συνωνυμίαν,item κατ᾽ ἀντίλεξιν; ut, *Evangelium* est bonus nuncius. *Surculare* est adnascentes arboribus surculos adimere. *Angariare* est cogere ad currendum vel ferendum aliquid. *Esse sub lege* Paulo Apostolo est esse sub maledictione legis. *Sedere ad dextram Dei Patris*,est omnia nomine Patris administrare in cœlo & in terrâ,& inprimis in Ecclesiâ. *Deitatem in Christo habitare corporaliter*,est illam personaliter in Christo unitam esse assumto corpori.

De utraq; hâc definitione nominis,est canon:

In definitione nominis interdum genus additur:

Ut,*homo* est animal ex humo sumtum;*Logica* est ars dicta παρὰ τὸν λόγον. *Centaurium* est herba,quam in linguâ Germanicâ nominamus tausentgülden;*Triangulum* est figura tres angulos habens.

Cap.4.

Cap.4. Leges definitionis realis perfectæ.

DEfinitio realis eſt, quæ quid res ſit explicat.

Eſtq; perfecta, vel imperfecta.

Perfecta eſt, quæ definitum accuratè explicat. Definitio realis perfecta.

Ea conſideratur in genere, & in ſpecie.

Definitio perfecta in genere habet undecim canones, *ſeu leges horiſticas*: & quatuor vias, quibus inveſtigatur.

Undecim canones hi ſunt:

1 Unius rei una eſt definitio:

Scil. eſſentialis, quæ Scholaſticis dicitur *quidditativa*. Ratio canonis eſt; quia definitio perfecta explicat eſſentiam. Eſſentia verò una eſt cujusq; rei. Ergò & explicatio eſſentiæ. Poſſunt tamen plures eſſe unius ejusdemq; rei definitiones in tribus, ut loquuntur, caſibus.

1 Si definitum ſit homonymum. Sic vita modò ſumitur pro eſſe viventis ſubſtantiali; modò pro actu ſecundo ſeu operatione proficiſcente à tali εἶναι. Duplex igitur ejus danda eſt definitio.

2 Si una eademque res variis modis conſideretur. Ita ſacramentum accipitur modò relativè, pro viſibili ſigno gratiæ inviſibilis, ut Auguſtinus loquitur; modò abſolutè, pro ſigno & ſignato ſimul, hoc eſt, pro actione compoſitâ ex viſibili acceptione ſignorum, & inviſibili fruitione rerum ſignatarum.

3 Si una eademque eſſentia aliis atque aliis verbis concipiatur. Tum multæ ſunt definitiones unius rei, non ſenſu, ſed verbis diſcrepantes.

2 Verba definitionis ſunto perſpicua, & quoad ejus fieri poteſt, propria.

Perſpicuitas quidem eſt unicum legitimæ definitionis re-

quiſitum. At proprietas verborum non adeò eſt neceſſaria. Nam defectus vocabulorum propriorum perſæpe nos cogit uti impropriis, ſed perſpicuis. Nec enim omne vocabulum improprium continuò eſt obſcurum.

3 *Genus ita debet eſſe comparatum, ut rem definitam ſeparet ab omnibus, quæ ſunt extra ipſum.*

Hinc genus vocatur fons & fundamentum quidditatis. Sic animal ſeparat hominem ab omnibus, quæ non ſunt animalia.

4 *Differentia definitum ab omnibus aliis, quæ genus ſuo ambitu continet, ſeparat.*

Sic τὸ rationale ſeparat hominem ab omnibus aliis, quæ continentur ambitu generis nempe animalis ſimpliciter.

5 *Quidditas ſimplex non abſolvit definitionem.*

Species, quæ definitur, compoſita eſt, ut ſuprà planum fecimus. Quod ſi ita eſt, ſimplex quidditas nequaquam abſolvere poterit definitionem; hoc eſt, nec ſolum genus, nec ſola differentia. Hæ namque ſunt quidditates ſimplices. Nonnunquam tamen reticetur genus, idq; duas ob cauſas.

Genus interdum reticetur in definitione.

1. Si in methodicâ aliquâ tractatione paulò antè genus ſit expreſſum. Sic in Logicis cauſa definitur interdum omiſſo genere, cujus in proximè præcedentibus facta eſt mentio.
2. Si definitum unâ voce non poſſit exprimi; ut, corpus artificioſum eſt, quod ab artifice compoſitum eſt. Hîc omittitur genus, videl. τὸ corpus. Hîc enim non violatur ille canon: *Definitum non ingrediatur definitionem.* Ratio: quia deſtituimur vocabulis, atq; ita vocabula, quæ ſuppetunt, ſurrogantur in locum eorum, quæ non ſuppetunt. Non igitur vitioſas dices definitiones, ut quidam ſcioli faciunt, in quibus repetitur vox prior definiti. v.g. Adjunctum proprium eſt adjunctum; ſyllogiſmus categoricus eſt ſyllogiſmus; hic homo verbi gratiâ, Cato, eſt homo &c. Quando autem genus reticetur, vocatur contractio ſeu præciſio.

6 *Genus & differentia in eodem ſint prædicamento, in quo eſt definitum.* Itaq;

1. *Accidens non poteſt eſſe genus ſubſtantiæ, vel contrà.*

Sic

Sic crasis tanquam accidens non potest esse genus animę; nec nubes potest esse genus iridis. Nubes enim est substantia, iris autem est ἔμφασις seu imago rei.

II. *Accidens absolutum non potest esse genus accidentis respectivi, vel contrà.*

Sic fides justificans non habet pro genere actionem seu opus; nec Dialectica, quatenus est habitus, instrumentū. Hîc tamen duæ sunt exceptiones. 1. Relatum potest habere genus ex absoluti accidentis prędicamēto, si non suppetat proprium genus in categoriâ relationis. Ita dominus non debet definiri homo; quia genus ipsius in prædicamento relationis occurrit, videlicet homo in statu eminentiæ; cui additur differentia habens servum. At Cœna Domini, quatenus pro totâ illâ solennitate sumitur, genus habet actionem sacram. Non enim occurrit genus in prædicamento relationis, quo exprimi possit totus ille ritus. Sed hîc dici potest, illa relata induere naturam accidentium absolutorum. 2. Absolutum potest habere genus è categoriâ relationis, si diversimodè consideretur. Sic Dialectica absolutè considerata est ars; sed cum adhærente respectu considerata, est instrumentum. Sic Aristoteles naturæ genus fecit principium. Nimirum naturam consideravit, non absolutè, sed respectivè, secundùm propriam causalitatem.

7 *Definitio debet esse libera ab omni nunc & tunc.*

Hoc est, definitio conveniat omni & semper. Itaq; voculæ illæ syncategorematicæ, *plerumque, semper, nunquā, aliquando, interdum* &c. definitioni non debent inseri: ut, homo est animal semper rationale; quasi scilicet possit esse tempus, quo homo sit animal irrationale. Excipe sequentia definita *πχνικὰ, necessarium, contingens, impossibile, proprium.* In his enim voculæ, *aliquando, semper, perpetuò*, exprimuntur, tanquam ad essentiam definiti pertinentes: ut, axioma necessarium est, quod semper verum est: contingens, quod ita verum est, ut aliquando falsum esse possit: Impossibile est, quod de nullo unquam verum esse potest: Proprium adjunctum est, quod omni, soli, semper convenit. Præterea ex hoc canone deducitur etiam hoc consectarium: Signa universalia & particularia, ut *omnis, quidam* &c. nec

definito præponenda, nec definitioni inserenda sunt. Est itaque ridicula definitio, si dicas: Omnis Dialectica est ars benè disserendi; vel, homo est quoddam animal rationale. Interim tamen istæ particulæ universales & particulares ingrediuntur definitionem, quatenus in definitione aliquid determinant: ut, plebs est reliqua omnis multitudo exceptis senatoribus: justum generale est, quod erga omnes homines semper & ubique præstandum est. Sic particula *quidam* interdum inseritur definitioni propter excellentiam: ut, feudum est ususfructus quidam rei immobilis sub conditione fidei.

8 Definitio negans fermè est vitiosa.

An definitiones negantes oēs sint vitiosæ?

Ratio: quia non explicat essentiam definiti, sed non-essentiam, hoc est, non ostendit quid res sit, sed quid non sit. Vanæ igitur sunt hæ definitiones: Dissimile est, quod non est simile: accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium. Dixi in canone *fermè*. Nam definitiones negantes tolerantur in rebus perfectissimis, cujusmodi est Deus; & imperfectissimis, qualis est materia prima. Harum enim rerum proprietates positivæ nos latent. Vide Scalig. *exerc. 112. sect. 2.*

9 Definitio est res una, non copulâ, sed naturâ.

Itaque partes definitionis, genus & differentia, non debent connecti conjunctione copulativâ. Si enim copula intercederet, significaretur res quidem una, sed per accidens; cùm ex partibus definitionis debeat fieri unum naturâ, ut est in canone, seu unum per se. Quare non dices, Homo est animal & rationalis. Neque tamen ideò rejicimus *definitiones per concomitantiam*, quas vocant, in quibus minùs generale magis generali, proprium proprio, & effectum effecto interdum conjungitur per conjunctionem *&* vel voculam *cum*: ut, Ira est cupiditas vindictæ cum ebullitione sanguinis circa cor. Hîc cum principali & generali conjungitur minùs generale. Fides est lumen in intellectu & fiducia in corde; hîc proprium proprio adjungitur. Equus est animal domabile ad vehendum & trahendum. Hîc effectum additur effecto per copulam *&*.

10 Definitioni non admiscenda est distributio.

Itaque

Itaque in definitione non debent poni particulæ disjunctivæ, *aut*, vel, *sive* &c. Vitiosa igitur est illa definitio: Quantitas est magnitudo vel multitudo. Non enim definitio, sed distributio est. Excipe 1. Definita communia ab uno, quæ vocant Philosophi, hoc est, genera analogica, seu species analogicas. Sic bonũ rectè finitur, quòd sit perfectio expetibilis vel sui tantùm gratiâ, vel gratiâ alterius. 2. Cùm partes definitionis unâ voce non possunt exprimi: ut, scandalum est dictum aut factum, quo proximus offenditur. 3. Cùm utimur præcisione. Exempla passim in his institutionibus Logicis occurrunt.

11 Definituri inspiciant ideam, non individua.

Hoc est, qui definire cupiunt rem aliquam, ii considerent id, quod est perfectissimum. Aliâs sic effertur hic canon: *Perfecta definitio constet genere proximo & differentiâ specificâ.* Sumitur autem differentia specifica propriè & per se ab omnibus argumentis, quæ definito à priori sunt essentiales, sive sint causæ internæ, sive non. Quòd si essentialia à priori nos lateant, substituenda sunt essentialia à posteriori. Proinde magnum errorem errat Ramus, quando definitionem perfectam docet esse definitionem constantem è solis caussis essentiam constituentibus, quales causæ genere & formâ comprehenduntur. Ut enim nihil de hoc dicam, quòd genus non possit esse causa suæ speciei, illud falsissimum est, quòd differentia specifica in definitione perfectâ semper obtineat formæ rationem: ut ipse usus, qui optimus est disserendi magister, clarissimè testatur, & nos in sequentibus ad oculum demonstrabimus.

Hæ sunt undecim leges de tropo definitionis perfectæ, quas quidam comprehendunt hisce duabus:

1 Definitio sit adæquata suo definito:

Hoc est, cum eo reciprocetur, ut neque latior sit, neque angustior.

2 Definitio constet ex attributis, veris, affirmatis, essentialibus seu per se, propriis, & quantum fieri potest, simpliciter prioribus & notioribus.

Cap. 5. Modus investigandi Definitionem perfectam.

VIa definitionem perfectam investigandi est quadruplex, videl. per divisionem, resolutionem, notationem & definitionem contrarii.

Modus investigandi definitionē per divisionem.

Via divisionis est, quâ definiuntur inferiora.

Ideoque descendit à summis per intermedia ad infima usque, hoc est, ad speciem definiendam. Et hæc methodus definiendi accuratior est, & naturæ ordini, perfectæq; disciplinæ conveniens.

Ejus canones duo sunt:

1 *Definitum referatur ad suum prædicamentum.*

2 *Quod definito proximè adjacet in serie prædicamentali, est ipsius genus proximum: quod autem dividit genus, id differentia est.* Itaque

Sumatur primùm id, quod communius est, latiusque patet, quàm res definienda. Deinde illud ipsum dividatur Mox differentia, quæ rei convenit, addatur primo attributo. Rursus, si nondum oratio reciprocabitur cum re propositâ, dividatur id totum, quod assumtum est, tandemque eò usque fiat progressio dividundo, donec oratio propria efficiatur, quæ nullam in rem aliam transferri possit. Exempli gratiâ; Si hominem definire velis, accipies primò summum genus prædicamenti, in quo est homo, puta substantiam, quæ omnium latissimè patet in hac categoriâ. Dices igitur; *homo est substantia.* Sed quia substantiarum aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ, addes: *corporea.* Sed quia substantiarum corporearum aliæ sunt simplices, aliæ compositæ, addes: *composita.* Rursum quia compositarum aliæ tantùm sunt, aliæ vivunt, addes: *vivens.* Verùm ne id quidem satis est. Viventium enim quædam nihil sentiunt, ut plantæ; quædam sentiunt. Ergò adjungendū est, *sentiens.* Sed hoc adhuc communius. Nam eorum quæ sentiunt, quędam expertia sunt rationis, quædam rationem participant. Addes igitur; *rationale,* seu *rationis particeps.* Quod satis erit. *Fonseca lib. 5.*

seca lib.5. inst.Dial. cap.7. Eodem modo procedes in definiendis accidentibus. e.g. Fortitudo sit definienda. In quonam illa est prædicamento? Qualitatis. Fortitudinis igitur genus est qualitas. Sed calor etiam est qualitas. Verùm patibilis. Fortitudo autem est habitus. At saltatoria etiam est habitus. Sed corporis. Fortitudo autem animi. Sed habitus animi duplex est, intellectualis, ut sapientia, & moralis, seu voluntatis. Fortitudo est habitus voluntatis. At audacia etiam est habitus voluntatis. Sed vitium. Fortitudo est virtus. Sed & justitia est virtus, verùm quæ circa alteri tribuendas res debitas versatur. Fortitudo autem est virtus, quæ versatur circa res φοβεράς. Estne talis alia virtus? Nulla. Differt igitur fortitudo hoc objecto à cæteris virtutibus. Proinde invenisti definitionem fortitudinis.

Via resolutionis est, quâ definiuntur superiora, seu magis universalia. **Modus constituendi definitionẽ per resolutionem.**

Ideoque ascendit ab inferioribus ad superiora. Hæc methodus definiendi etsi non adæquè perfecta est ut prima, tamen inventionis ordini est accommodata; eâque plurimùm utitur Socrates apud Platonem.

Ejus canon est unicus:

In definiendo aliquo genere spectabis definitiones specierum. Ex his tolle propria specierum; & communia, quæ supererunt, constituent definitionem generis.

Hic canon nititur isto fundamento: *Definitiones specierũ constant ex attributis communibus & propriis.* e. g. homo est substantia, corporea, vivens, sentiens, rationalis: brutum est substantia corporea, vivens, sentiens, irrationalis. In his definitionibus omnia sunt communia excepto ultimo attributo. Si jã velis definire animal per viã ἀναλύσεως ὁριστικῆς, detrahe proprium utriusque attributum, hoc est, differentiã specificã hominis & bruti, & remanebit definitio animalis. Fonseca hanc resolutionem vocat collectionẽ seu considerationem similium; quã facit duplicem. Primùm, si velis infimæ alicujus speciei definitionem colligere, inspicies in individuis illius rationem aliquam, ob quam nomine talis speciei nominentur, eaque erit definitio talis speciei. Hâc arte colliges definitionem magnanimitatis, quæ in Socrate &

Lyſandro fuit, hanc ſcilicet eſſe, æqualiter ſecundam & adverſam fortunam ferre. Hoc enim uterque fecerunt. Sed hic modus non eſt hujus loci, ſed eſt proprius accidentium. Deinde, ait Fonſeca, ſi velis colligere definitionem alicujus generis, videbis, num rationes diverſarum ſpecierum, habentium idem commune nomen, conveniant ſecundùm tale nomen in unâ aliquâ ratione, quæ ſimpliciter una ſit, nec ne. Nam ſi convenerint, ea erit definitio generis: ſin minùs, tale commune nomen erit æquivocum utrique ſpeciei. Et hic modus eſt idem cum noſtrâ reſolutione, cujus exemplum modò dedimus. Poteſt igitur etiam vocari via ſeu methodus definiendi per collectionem.

Modus cõſtituẽdi definitionem per notationem.

Via notationis eſt, quâ ex nominis notatione provehimur ad ipſius rei definitionem.

Eſtque duplex.

Prima originem vocis attendit, quæ fermè dat differentiam, cui ſi addatur genus, proba erit definitio:

Ut, definiturus Arithmeticam, inquirat in ipſius notationem. Dicta eſt illa ἀπὸ τοῦ *ἀριθμοῦ, à numero*. Huic notationi addatur genus, & emerget definitio Arithmeticæ: eſt ſcientia benè numerandi; ſeu, eſt matheſis numerorum. Sic Phyſica à *φύσει, naturâ*, eſt dicta. Sic ergò finies illam: Phyſica eſt ſcientia rerum naturalium, ſeu naturæ. Ethica dicta eſt à nomine ἦθος, mores ſignificante. Dicas ergò: Ethica eſt prudentia morum.

Secunda eſt, quando ex definitionibus concretorum colliguntur definitiones abſtractorum, & contrà.

Exempli gratiâ: Si beatus eſt vir, qui timet Dominum; beatitatis ratio formalis conſiſtet in timore Domini. Si pius eſt, qui ſine hypocriſi Deo, patriæ & parentibus debitum cum reverentiâ cultum præſtat; pietas erit ſtudium cum ſummâ reverentiâ colendi Deum, patriam & parentes. Hoc eſt, quod Ariſtoteles in Ethicis dicit: *Prudentia quid ſit, ita intelligemus, ſi quos nominemus prudentes, cognoverimus.* Sic

mus. Sic & ex abstracti definitione colligitur definitio concreti: ut, Geometria est ars bene metiendi. Ergò Geometra est artifex benè metiendi artem callens.

Modus cõstituendi definitionẽ per contrarium.

Via contrarii est methodus investigandi definitionem per alterius contrarii definitionem.

Intellige hîc contrarium laxè, quatenus substantiis etiam tribuitur contrarietas. Exempla hujus methodi ὀρισικῆς sunt: Justitia est virtus, quæ suum cuique tribuit; Ergò injustitia est vitium, quod nulli suum tribuit. Homo est animal rationale. Ergò bestia erit animal irrationale. Causa est, à quâ causatum pendet. Ergò causatum est, quod à causa pendet. Hîc debemus abstinere, quoad ejus fieri potest, terminis negativis; id quod in allatis exemplis factum.

Cap. 6. Ratio definiendi substantiam.

Definitio perfecta in specie est vel substantiæ, vel accidentis primarii.

Ratio definiendi substantiam.

Definitio substantiæ instituenda est juxta hos canones:

1 *Substantia naturalis incorporea, ut angelus & anima, definitur genere, proprietatibus, & effectis præcipuis: in specie angeli boni & mali definitio adjicit ad illa modò dicta causas bonitatis & malitiæ, & consequentia.*

Observa, animam hîc considerari absolutè, quatenus est spiritus; non relatè, quatenus est pars compositi. Ita enim infrà considerabitur in loco de partis definitione. e. g. *Angelus* est spiritus finitus, à societate corporis liber, definiens sibi locum, motu celerrimo se promovens. *Angelus bonus* est spiritus finitus, qui ex gratiâ Dei in statu innocentiæ permansit ad devotam & indefessam nominis divini celebrationem, & promotionem salutis piorum. *Angelus malus* est spiritus finitus voluntate propriâ à Deo deficiens, Dei ac hominum osor, confusionis & omnis improbitatis author,

ideoq; æterno exitio destinatus. *Anima* (scil. absolutè considerata) est spiritus finitus ad societatẽ corporis à Deo destinatus. In hâc definitione non dicitur, quòd sit forma corporis: (hoc enim non competit animæ solutæ à corpore) sed exprimitur appetitus ipsius; qui duplex quidem est, desiderii, & complacentiæ: sed ille hîc exprimitur, iste competit animæ, quatenus jam actu informat materiam.

2 *Substantia naturalis corporea universalis est perfectæ definitionis capax.*

Intellige perfectionem, quanta in hominem in hoc mortali corpore, tanquam materiâ fæculentâ, commorantem, cadere potest. Alioqui verum est, quod universa Philosophorum turba testatur; nullam formam nobis plenè & planè notam esse.

3 *Substantia universalis definitur vel ἁπλῶς, vel ἐκ προσθέσεως:*

Hoc est, vel simpliciter & absolutè, genere & differentiâ essentiali: vel ex appositione, seu per additamentum, puta ex genere & proprio. Prior illa definitio est essentialis à priori; posterior est essentialis à posteriori, verbi gratiâ, homo est animal rationale; & homo est animal risibile. Hîc nota, terminum ἐκ προσθέσεως, etiam aliter accipi; sic nimirum, ut accidentia quæ proprium & determinatum subjectum habent, dicantur definiri per additamentum. Cùm enim dependeant ab alio, iis additur aliquid, quod non pertinet ad naturam definiti.

Cap. 7. Modus definiendi accidentia primaria.

DEfinitio perfecta accidentis primarii, est quantitatis, qualitatis, actionis, passionis & relationis.

Quid sit accidens primarium, & quòd illius definitio perfecta detur duntaxat, non etiam secundarii, suprà à nobis dictum & demonstratum est.

In ge-

In genere de accidentis definitione hi ſunt canones.

1 Accidentis definitio inveſtigari poteſt per demonſtrationem. Modus definiendi accidentia.

Exempli gratiâ. Grammaticus quærit, an nomen ſit declinabile? Illud affirmat, hâc uſus demonſtratione; quia variatur per caſus. Ex hac demonſtratione exiſtit definitio declinationis: Declinatio eſt variatio per caſus. Si velis eclipſin Lunæ definire, forma quæſtionem compoſitam: an luna patiatur eclipſin? Hîc Luna ſubjectum eſt, eclipſis adjunctum. Quæratur medium, ſeu cauſa propter quam luna patiatur eclipſin. Cauſa illa eſt terræ interpoſitio diametralis. Huic cauſæ addatur definitio eſſentialis, quæ eſt privatio luminis in Lunâ. Hinc prodit eclipſeos lunaris definitio: Eclipſis Lunæ eſt defectus luminis ſolaris in Lunâ, ob interpoſitionem terræ diametralem.

2 Accidentia communia poſſunt definiri ſine ſubjecto, in quo inſunt:

Ut, nigredo eſt color ortus ex principatu (ſeu participatu) obſcuri. Interim ſciendum eſt, quòd in genere lateat ſubjectum; ut hîc ſubjectum nigredinis, videl. ſuperficies, latet in genere ipſius, quod eſt color. Hîc igitur obſervanda regula: *Quæ ſunt in definitione generis, non debent repeti in definitione ſpeciei.* Quando ſubjectum ita omittitur in definitione accidentis, dicitur definitio ἐξ ἀφαιρέσεως: ſed quando additur, dicitur definitio ἐκ προσθέσεως; ut, tonitru eſt ſonus in nube propter extinctionem ignis: riſibilitas eſt aptitudo hominis ad riſum, orta ab anima rationali.

3 Accidentis differentia ſumitur vel à formâ, vel à ſubjecto proprio & propriâ causâ externâ, eaq; vel efficiente tantùm, vel finali proximâ tantùm, vel utrâque ſimul.

A formâ; ut ſi fides ſalvifica definiatur aſſenſus fiducialis. A ſubjecto & efficiente tantùm: ut, hilaritas eſt affectus vultus à lætitiâ procedens. A fine tantùm: ut, Logica

est ars modum disserendi tradens. Dum dico *à fine tantùm*, excludo efficientem, non objectum, quod etiam in hâc Logices definitione est positum. A causâ efficiente & finali proximâ simul: ut, Sacramentum est signum externum à Deo annexum federi ad obsignationem promissionis utrinque factæ.

In specie nunc videamus modum definiendi singula accidentia.

Modus definiendi quantitatem habet hunc canonem:

Quantitas in genere sumta duntaxat est definibilis, & definitur mentione subjecti & efficientis.

Quantitas consideratur vel in genere, vel in specie. In genere considerata est aliquid completum, & definitur eo modo, ut diximus *suprà libr. 3. cap. 3.* e.g. Quantitas est accidens corporis ortum ab extensione materiæ. Sed in specie considerata est vel abstracta, vel concreta. Abstractè considerata est ens incompletum, ut linea, superficies &c. Nam non habet subjectum; quia consideratur ab illo sejuncta. Itaque infrà de modo definiendi quantitatem hoc modo sumtam, dicendum erit; ut & de ratione finiendi quantitatem concretam.

Modus definiendi qualitatem quatuor habet canones, prout quatuor sunt ipsius species principales:

1 Habitus definitur genere, fine, & subjecto occupante seu objecto primario:

Ut, Physica est sciẽtia contẽplandi corp⁹ naturale: Liberalitas est virtus moralis mediũ tenens in dando & accipiendo.

2 Potentia naturalis definitur mentione generis, subjecti, causæ efficientis & finalis proximæ:

Ut, στοργὴ est naturalis inclinatio, quâ parentes benè volunt liberis, quam Deus indidit cordibus, ut esset vinculum humanæ societatis, & commonefactio de suo amore erga genus humanum: Ingenium est potentia secunda intelligendi, orta in homine ex dispositione bonâ corporis, atq; adeò sanguinis, spirituum, cordis & cerebri.

3 Qua-

3 *Qualitas patibilis definitur genere, subjecto, causâ efficiente & finali:*

Ut, Color est qualitas afficiens seu patibilis corporis, orta ex contemperatione lucidi & opaci: Odor est qualitas afficiens corporis mixti, orta ex prædominio sicci sapidi, temperati cum humido.

4 *Figura definitur itidem ex genere, subjecto, efficiente & fine.*

Ut, Pulchritudo est figura amabilis, in corpore orta ex bonâ proportione partium & suavitate coloris, ad ornandum mundum, & gratiam amoremque corpori conciliandum.

Modus definiendi actionem idem est, qui in qualitatibus. Definitur enim genere, subjecto, efficiente & fine principali:

Ut, Contemplatio est operatio hominis ex applicatione mentis ad res, quarum scientiâ homo perficiatur.

Modus definiendi passionum continetur hoc canone:

Passio perfectiva & media definitur genere, causis & subjecto; corruptiva verò, ut maligna privatio.

Exemplum prioris est: Somnus est passio cessationis ab operationibus in animali, orta ex alimentario & utili humore cerebrum imbuente & perfundente, spirituumque animalium meatus quasi congelante. Exempla posterioris passionis vide infra cap. ult. hujus libri.

Modus definiendi relata duos habet canones:

1 *Relatio definitur genere, relato, correlato, fundamento, & termino:*

Ut, Conjugium est unio mariti & uxoris, ad prolis procreationem, & vitæ bonorumq; jucundam societatem, mutuo consensu sancita.

2 *Relatum definiendum est per suum correlatum.*

Ut, pater est qui filium, filius qui patrem habet: vel addito genere, pater est persona in statu eminentiæ, filium habens &c. Priores illæ definitiones dicuntur circulares.

Cap. 8. Definitio imperfecta arbitraria.

DEfinitio imperfecta sequitur, quę definitum imperfectè explicat: *aliâs dicitur descriptio.*

Imperfectè explicare est 1. leviter, populariter, adeoque ex argumentis definito nullâ ratione essentialibus, rem aliquam explicare. 2. ita explicare naturam definiti, in quantum à nobis cognosci potest.

Canon hujus loci est unicus:

Quò magis vel minùs à legibus perfectæ definitionis recedit definitio imperfecta: eò magis vel minùs est imperfecta.

Nimirum hæc est omnium imperfectorũ natura, ut magis vel minùs imperfecta censeantur, prout perfecto, tanquam mensuræ, sunt propiores, vel ab eodem remotiores,

Definitio imperfecta est arbitraria, vel necessaria.

Definitio arbitraria.

Arbitraria est, quæ pendet à voluntate artificis.

Sæpè artifices adferunt definitiones imperfectas, cùm possint habere perfectas. Istiusmodi definitiones ideò dicuntur imperfectæ arbitrariæ; quia pendent ab arbitrio artificis, qui propter certas circumstantias, utputa auditorum ruditatem, non utitur definitionibus quidditativis, sed descriptivis.

Hæc est trium modorum.

Primi modi est, quæ genere caret, vel habet genus metaphoricum, undecunque etiam differentia sit desumta:

Ut, magistratus est lex loquens; lex est mutus magistratus; fides est illud, quo extant quæ sperantur, & quæ demonstrat quæ non cernuntur. *Hebr.11.vers.1.*

Secundi

Secundi modi eſt, quę quidem genus habet, ſed differentiam imperfectam:

Ut, homo eſt animal mortale politicum; vel, eſt animal mortale, capax diſciplinæ. Si velis cognoſcere, num definitio hoc utroque modo ſit imperfecta, repete illa quæ ſuprà diximus de perfectâ definitione, cùm in genere, tum in ſpecie. e. g. modò allata hominis definitio examinetur ad regulas ſpeciales de modo definiendi ſubſtantiam; quòd ſi deprehendetur ad illas non congruere, cenſebitur imperfecta. Non autem congruit; quia τὸ mortale eſt additum. Alioqui ſi dicatur ſimpliciter, animal politicum, vel capax diſciplinæ, quod alii vocant, diſciplinabile, erit definitio perfecta à proprio. Nam proprium in definitione perfectâ ponitur tanquam eſſentiale à poſteriori. Eſſentiale à priori eſt principium rei conſtitutivum; à poſteriori, quod eſſentiam rei conſtitutam immediatè ſequitur.

Imperfecta tertii modi eſt, cùm abstracta definiuntur per concreta & viciſſim.

Ut, ens eſt, quod eſſentiam habet; eſſentia eſt forma ſeu actus entis, quatenus eſt ens; ſeu, eſſentia eſt, à quâ aliquid denominatur ens; homo eſt animal, quod habet humanitatē; humanitas eſt forma, à qua aliquis denominatur homo &c. Hę definitiones in Metaphyſicis, Phyſicis, quoad qualitates, & Ethicis quoad virtutes & vitia, locum habent. Dicuntur imperfectæ, quia licet abstractum ſit forma concreti, tamen à nobis nō ſatis exprimitur, quid ſit abstractum, utputa humanitas &c. Dicuntur autem imperfectæ arbitrariæ; quia etiam accuratiores haberi poſſunt, quàm illæ ſunt: ut, juſtitia eſt actus juſti quatenus juſtus, imperfecta eſt finitio; hæc perfecta, juſtitia eſt virtus, quæ ſuum cuique tribuit.

Cap. 9. Definitio imperfecta ex parte conceptus.

DEfinitio imperfecta neceſſaria eſt, quæ eſt ob rei definiendæ naturam talis: *videlicet vel ob ejus ſummam perfectionem, vel ob imperfectionē.*

Eſtque talis vel ex parte conceptus, vel ex parte rei.

Imperfecta ex parte conceptus eſt, quæ eſt ex noſtri conceptus imperfectione, & rei perfectione.

Eſtque omnium rerum ſingularium, adeoque Dei, entis illius ſingulariſſimi, & cujusque individui creati.

De priori eſt canon.

Dei nec eſt genus, nec differentia.

Definitio eſſentiam rei explicat κατὰ πολυμερές, ut loquuntur. Eſſentia autem Dei partes nullas habet; ideoque nec genus, nec differentiam. Habet tamen quaſi genus, & quaſi differentiam, hoc eſt impropriè. Nam τὸ quaſi eſt vocabulum improprietatis. Genus eſt analogicum, videlicet ens, ſubſtantia, vel ſpiritus. Differentia ſpecifica ſumitur vel ex illis differentiis primis entis, quales ſunt infinitum, independens, illocale, actus purus &c. vel à proprietatibus & operationibus. Exemplum prioris eſt: Deus eſt ens independens, vel ens increatum. Poſterioris exemplum hoc eſt: Deus eſt eſſentia una, ſimplex, immutabilis, immenſa, æterna, omniſapiens, ſola bona, verax, omnipotens, beata; Pater, Filius & Spiritus ſanctus; creator, redemtor, & ſanctificator. Hæc deſcriptio eſt à proprietatibus, tribus perſonis, & operibus principalibus. Hîc oritur quæſtio, quare hæc definitio vocetur imperfecta ex parte conceptus, cùm debeat potiùs ita appellari ex parte rei? Nam Deus ob puriſſimam ſimplicitatem nullo modo poteſt definiri, in ſeſe conſideratus. Reſpon. Dicitur imperfecta ex parte conceptus, non ut innuatur, Deum poſſe in ſe conſideratum definiri; ſed ut modus cognitionis, quâ Deum non dico comprehendimus, ſed apprehendimus, ſignificetur, hoc ſenſu: Definitione nos eſſentiam Dei quadantenus explicare conamur, καθ' ὑπόληψιν, *juxta conceptum* noſtrum. Quia verò conceptus noſter imperfectus eſt, etiam definitio illa imperfecta eſt. Quòd ſi conceptus noſter ſimplex eſſet, nullo modo cognoſceret Deum adminiculo definitionis, ſed ſimplici intui-

tu. Hic

tu. Hic obiter & velut in transcursu notetur, Deum sine omni discursu, & definitione etiam, solo simplici intuitu omnia cognoscere. Omnis enim syllogismus, omnis item definitio, arguit intellectum compositum.

De posteriori definitione, videlicet individui creati, sunt hi canones.

1 Individuum definiendum, est vel substantia, vel accidens.

2 Individuum substantiale est vel rationale, vel non.

3 Individuum rationale est persona, ut Themistocles, Julius Cæsar, Angelus Gabriel: & ejus descriptio petenda est ex effectis præcipuis & adjunctis, loco item & tempore:

Ut, Julius Cæsar fuit primus ille Imperator Romanus author monarchię illius, dictator perpetuus & Pontifex maximus, qui ordinavit annum, quo hodie etiamnunc utimur, & primus Germanos atq; Britannos oppugnavit &c. Augustus Cæsar, primus ille, qui firmavit Imperium, Julii successor, qui triumviratum gessit cum M. Lepido & M. Antonio &c. Istiusmodi descriptiones dicuntur definitiones κατὰ περίφρασιν.

4 Individuū non-rationale dicimus omnē substantiā singularem præter personam, putà præter hunc hominem, vel hunc angelum. Hoc ita definiendum, ut vel definitio generalis illi applicetur, vel circumstantiæ illius recitentur; ut causæ, adjuncta, antecedentia, cognata, adversa &c.

Sic Rhenum definiturus, potest illi accommodare definitionem fluvii, & differentiam à locis, quæ alluit, præcipuis, petere hoc modo: Rhenus est fluvius, seu perennis aquarū decursus, suos fontes habens in monte, qui modernis dicitur Vogel; Rauracos primùm, deinde Alsatiā utramque, Nemetes, Vangiones præterfluens, circa Batavorum fines in tria cornua divisus, totidemque ostiis partim in Mosam fluvium, partim in Oceanum sese exonerans. Sic hæc alce ab aliquo capta in Borussiâ definiri potest animal valde timi-

dum, epilepsiæ obnoxium, affine cervo, cujus nervi, cornua & ungulæ magnum habent usum in curandâ epilepsiâ hominis, capta à principe, vel nobili Borussiæ hoc vel illo in loco &c.

5 *Individuum accidentale definitur appositione generis, causæ efficientis, finis, propriorum, & effectorum.*

Ut, nativitas Christi est generatio hominis extraordinaria, quâ secunda deitatis persona assumsit naturam humanam, ad officium propheticum, sacerdotale & regium. Eodem modo fortitudo Alexandri Magni, prudentia Themistoclis, justitia Aristidis, & cætera accidentia singularia definiri possunt.

Cap. 10. Definitio imperfecta ex parte rei.

SEquitur ultimo loco definitio imperfecta ex parte rei, quæ talis est ob definiti imperfectionem.

Estq; rei universalis admodum, partis, entis collectivi, accidentis, cõcreti, imaginis & privationis.

Res admodum universalis, uti sunt genera illa summa, definiuntur vel sine genere, vel loco generis perfecti habent imperfectum & accidentale, undecunque differentia sumatur:

Ut, ens est quod essentiam habet; vel ens est, quod ab intellectu concipitur tanquam notissimum; substantia est ens per se subsistens. Hæc definitio imperfecta est; quia τὸ ens est genus summum & substantia imperfectum, quod *libr. 2.* diximus analogicum.

Partem definiendi modus his continetur canonibus:

1 *Pars essentialis definitur ex respectu, quem habet vel ad totum compositum, vel ad alteram partem.*

Hoc modo definimus materiam & formam. v. g. anima rationalis

rationalis eſt ſpiritus intelligens,gaudens ſocietate corporis, ſeu informans corpus humanum,ſeu informans hominem: corpus humanũ eſt ſubſtantia ab animâ informata. Hîc cavere oportet,ne partem ponamus pro genere integri. Vitioſè igitur judicantur hæ definitiones: Animal eſt anima corpori conjuncta;vel, Animal eſt corpus animâ præditum.

2 *Pars integralis definitur materiali,formali, fine ſeu actionibus propriis,& accidentibus:*

Ut,Cor eſt pars corporis,officina ſpirituum vitalium,figurâ pyramidale.

Ens collectivum eſt vel ſubſtantia collectiva, vel accidens collectivum.

Subſtantia collectiva eſt perfectior,vel imperfectior.

Perfectior eſt, quam Deus certo quodam ordine ex variis ſubſtantiis in unam collectis conſtare voluit.

Ejus canon eſt:

In collectivis perfectis generi addatur formale,quod eſt relatio ſeu diſpoſitio, itemque cauſa efficiens & finalis:

Ut,Mundus eſt compages omnium creaturarum,à Deo ordinatiſſimè & pulcherrimè concinnata, ut ipſe quotidie magis magisq; coleretur.

Subſtantia collectiva imperfectior eſt,quæ talis eſt ex hominis ordinatione.

Eſtq; vel magis,vel minùs ordinata.

Magis ordinata,*ut exercitus*,definitur genere & differentiâ ſumtâ ab ipsâ ordinatione, efficiente & fine:

Ut, Exercitus Belgicus eſt multitudo hominum collectorum ab ordinibus confederatis, diviſus in tot ſigna,hujus vel illius gratiâ.

Minùs ordinata, *ut eſt acervus tritici*,loco differentiæ habet finem:

Ut, Acervus tritici est substantia collectiva, constans è multis tritici granis sese mutuò contingentibus, serviens sustentationi hujus vel illius familiæ.

Accidens collectivum definitur è materiali, & formali, quod est ordo inter accidentia illa in unum collecta, itemque causâ efficiente & finali:

Ut, Philosophia est compages scientiarum, prudentiarum & artium, profecta à Deo, ministerio hominum eruditorum, ad id, ut hominis cùm intellectus, tum voluntas perficiatur.

Accidens concretum sic definitur: Referatur ad prædicamentum, in quo est accidens abstractum, & differentia petatur ex canonibus accidentium perfectorum suprà traditis:

Ut hic denarius est quantitas concreta. Definiatur itaque subjecto & causâ suâ; ut, Hic denarius est numerus, ex decem thaleris, vel equis, collectus. Nam numerus in genere definitur, multitudo ex unitatibus collecta. Ergò hic numerus est multitudo ex his vel illis unitatibus collecta. Sic consiliarius est in prædicamento qualitatis. Ergò juxta canonem de habitus definitione sic describatur: Consiliarius est persona jurata, electa à principe propter singularem virtutum splendorem, ut ipsius adjumento commodiùs & faciliùs Rempublicam administrare possit.

Imago est vel notio, vel figmentum congruum.

Notio est vel naturalis, vel artificialis.

Naturalis est imago repræsentans rem extra intellectum: *ut iris in nubibus.* Hæc definitur ex relatione, subjecto, in quo fit repræsentatio, causâ efficiente & finali:

Ut, Iris est imago naturalis Solis in nube inæqualiter disposita, & orta ex radiorum solarium variâ reflexione ad mutationem aëris constitutionis indicandam.

Imago artificialis est notio secunda. *Notio prima etiam est imago artificialis, sed hæc pertinet ad definita*

finita perfecta. Notio ſecunda eſt hujus loci; & definitur genere, relatione, fundamento & termino:

Ut, Prædicamentum eſt notio ſecunda logica, disponens & diſtinguens res omnes per certos ordines ordinisque gradus.

Figmentum congruum eſt, quod à poëtis excogitatum eſt ad ſimilitudinem verarum rerum, idque delectationis & commovendi affectus gratiâ: & deſcribitur ex genere, materiali, formali, fine, & propriis.


Genus quidem invenitur, ſi illud figmentum reducatur ad prædicamentum, in quo eſt ens, cujus ſimilitudo eſt in illo figmento. Materiale ejus plerumque eſt collectivum quid. Formale eſt figmenti ſignificatio, ſeu ipſa relatio. e. g. Sirenes ſunt monſtra marina, partim humano, partim piſcino corpore prædita, quæ adeò molliter cecinerunt, ut nautas præternavigantes ad ſe pellicere & in extremum dare exitium potuerint, quibus repræſentare voluerunt priſci poëtæ naturam voluptatis. Sunt tamen, qui ſcribunt Sirenes reverâ eſſe entia in naturâ.


Privatio hîc intelligitur deſtructiva, & definitur genere, habitu, objecto & causâ efficiente:

Ut, Cæcitas eſt privatio viſus immiſſa homini à Deo propter peccatum. Vel etiam ſimpliciter per oppoſitum definiri poteſt iſtiusmodi privatio: ut, Cæcitas eſt privatio viſus; Paupertas eſt privatio divitiarum.

Satis de definitione, inſtrumento illo Logico facilè palmario. Nunc methodum hujus libri brevi tabulâ complectamur.

ADUMBRATIO LIBRI QUARTI DE DEFINITIONE.





LOGICORUM
LIBER QUINTUS
De
DISTRIBUTIONE.

Cap. I. Distributum.

DEfinitionem excipit distributio, quæ est argumentum complexum vi relationis suæ arguens distributum tanquam thema.

Hîc duo notanda sunt. 1. Cur definitio præcedat distributionem? 2. Cur distributio annumeretur argumētis complexis? Ad 1. resp. Definitioni princeps constituitur locus, partim ob dignitatem ejus, partim quia hic est ordo naturæ. Dignitatem si spectes, dicendum tibi erit, omnes scientias propriè & per se comparari per definitiones. *Arist. 2. post. c. 17.* At nulla scientia propriè & per se per distributionem comparatur, sed ex accidenti. *Zab. 4. de method. c. 13.* Quo etiam nomine definitio omnium anchorarum firmissima dicitur. *Scal. ex. 110. s. 1.* Ordo naturæ quoq; postulat, ut definitio in methodico systemate præcedat distributionem. Nam in definitione componimus, in distributione resolvimus. Atqui in compositione procedimus à causis ad effectum; in resolutione contrà ab effectu ad causas. Ad 2. resp. Si distributio est terminus incomplexus; jam non erit distributio. Nam distributio est resolutio totius in partes. At hoc non esset, si unicus esset terminus. Confer cum *cap. 1. libri superioris.* Nam quæ ibi diximus de naturâ definitionis, ea naturam distributionis quoq; illustrant.

Doctrina definitionis est prior doctrinâ distributionis.

Distributum est, quod in partes resolvitur.

Sicut libro superiore diximus de definito, ita & hîc nobis dicendum est de distributo; quod arguitur à distribu-

tione tanquam thema, necnon induere poteſt veſtem argumenti. Sed tum propriè conſideratur ut totum, de quo *libr.2.*

Ejus canones in genere ſunt duo:

1 Infinita ſunt, quæ diſtributionem effugiunt.

Nam ſi omnia & ſingula distribui poſſent, omnis pars haberet partes, & fieret progreſſus in infinitum; qui abſurdus. Itaque duntaxat id, quod habet rationem totius, poteſt distribui: ſive illud ſit totum per ſe, ſive per accidens.

2 Diſtributum omne habeat partes.

Ratio hujus canonis petitur ex antegreſſo; quia ſcilicet omne distributum eſt totum in partes reſolubile. Icircò veritas malè dividitur in theologicam & philoſophicam, quaſi aliquid verum poſſit eſſe philoſophicè, quod falſum eſſe poſſit in Theologiâ, & contrà. Veritas enim non eſt totum, ſed ſimplex & impartibile. Eodem nomine rejicitur illa quaſi-distributio omnipotentiæ in formalem & participatam. Nam omnipotentia eſt ſimpliciſſimum quid, quod nullo modo in partes dividi poteſt.

Distributum eſt verbale, vel reale.

Distributum verbale eſt vox ambigua, quatenus in ſuas partes diſpeſcitur.

Partes autem ejus ſunt ipſæ ſignificationes variæ.

Ejus canones duo ſunt:

1 Vox ambigua quinq; criteriis cognoſcitur.

Nam 1. vox eſt ambigua, cujus oppoſitum eſt ambiguum: ut, infidelitas dicitur multis modis. Ergò & fides. Inimicitia multis modis dicitur. Ergò & amicitia. 2. Vox, quæ tribuitur rebus diverſorum prædicamentorum, eſt ambigua: ut nomen *cancer* eſt ambiguum; quoniam interdum ſignificat ſubſtantiam, videlicet animal; interdum accidens, ut morbum. 3. Vox, quæ tribuitur rebus diverſo reſpectu, eſt ambigua; ut, vox temporis & loci eſt ambigua. Nam tempus & locus dicuntur vel abſolutè, vel relatè, ut in Phyſicis didicimus. 4. Vox, quæ nunc latè, nunc ſtrictè ſumitur, eſt ambigua: ut philoſophiæ, mundi, fidei, electionis

&c. voca-

&c. vocabula laxè & strictè accipiuntur. 5. Cùm unum è conjugatis est ambiguum, etiam alterum est; & cùm vox primitiva, ut loquuntur Grammatici, est ambigua, etiam derivativa talis erit; ut, sanitas multis modis dicitur. E. & sanum. Collocare non uno modo accipitur. E. nec localitas, nec locus: & vicissim. Vide infra *lib. ult. cap. 10.*

2 *Varia significata vocis sunt partes distributi verbalis.*

Vulgò in Logicis pars ita definitur, ut solùm rebus possit applicari. Verùm vocabulum partis latiùs est extendendum, ita ut etiam partes quædam sint verbales. Sed hîc est venialis locutio, ut ajunt.

Distributum reale est res certa, quatenus in suas partes distribuitur.

Cap. 2. Distributio verbalis.

Distributio est etiam verbalis, vel realis; *prout diximus de distributo.*

Distributio verbalis est, quâ vox ambigua in suos significatus distinguitur.

Aliâs dicitur distinctio nominis.

Ejus canones hi sunt:

1 *Distributio verbalis est primum benè de re aliquâ disserendi principium.*

Ratio: quia vox ambigua est insidiosa & inimica rerum considerationi: ideoque præpedit solidam rerum intelligentiam, nisi primo loco excutiatur.

2 *Distributio verbalis sit perspicua & vera:*

Hoc est, naturæ rei distinguendæ & usui probatorum authorum sit consentanea. Non igitur probandæ sunt distinctiones obscuræ, fictitiæ, erroneæ & vanæ, quales sunt illæ: cœlum significat vel ipsam Dei majestatem, & ita dicitur æternum & omnipotens, vel certum locum; item omnipotentia est vel absoluta, ut Dei, vel limitata, ut Papæ. Ex hoc turbido fonte posterioris distinctionis profluxit illa formula, quæ hodiè præfigitur multis libris Romæ & Bononiæ

impressis, quâ Paulus quintus vocatur *omnipotentiæ Pontificiæ conservator acerrimus.*

Distributio verbalis est vel vocis, vel orationis ambiguæ.

Distributio vocis ambiguæ est, quâ vox incomplexa diversas res significans, distinguitur in sua significata: *ut, philosophia, fides, justitia, justificatio.*

Distributio orationis ambiguæ est, quâ oratio diversas res significans distinguitur.

Sæpè namque occurrit sententia, quæ diversum sensum & interpretationem admittit: ut edere carnem Christi, descendere ad inferos, sedere ad dextram alicujus.

Cap. 3. Leges perfectæ distributionis.

DIstributio realis sequitur, quâ totum reale in suas partes resolvitur.

Ejus traditur tum divisio, tum methodus.

Divisio, quòd sit perfecta, vel imperfecta.

Perfecta est, quâ totum per se in suas partes resolvitur.

Ejus tum leges, tum species considerandæ sunt.

Leges distributionis hæ sunt.

1 Subjectum rei non debet fieri membrum distributionis:

Ut, Medicina non debet distribui in morbos & remedia; nec Theologiæ partes constitui debent Deus, & opus Dei. Hæc enim est subjecta medicinæ & theologiæ materia. Quapropter sic dicendum; theologiæ partes duæ sunt, prima est de Deo, altera de operibus Dei. Possunt tamen illæ formulæ excusari, si quis dicat esse præcisionem.

2 Distributio verbalis non confundatur cum reali.

Quando igitur dicimus, Theologia est vera, vel falsa; non

statuen-

ſtatuendum eſt,hanc talem eſſe diſtributionem realem. Eſt enim diſtinctio æquivoci.

3 *Diſtributio habeat partes inter ſe diſſentientes,& cum toto conſentientes.*

Conſentire quidem debent cum toto:quia partes diſtributionis non debent diſtributum perimere. Itaq; cùm dico, Homo eſt vivus vel mortuus;vectigal eſt legitimum,vel illegitimum;non diſtribuo rem,ſed vocem. Ratiò:quia pars ſecunda in his diſtributionibus non conſentit cum toto. Nam homo mortuus non eſt homo; & vectigal illegitimum non eſt vectigal. Sed eædem partes debent inter ſe diſſentire,ut ne una alteram includat.Intellige hîc diſſenſionem vel rei, vel rationis. Fateor, accuratiſſimæ ſunt diſtributiones, in quibus partes diſſentiunt reipsâ. Sed cùm id non ſemper obtineri queat, nec ſimpliciter ſit neceſſarium; aliquando diſſenſio rationis ſufficit; ut, caſtigatio eſt vel mollior, vel aſperior. Sic nec vitioſa eſt diſtributio, in quâ triangulum & quadrangulum opponuntur. Quamvis enim triangulum inſit quadrangulo;ineſt tamen ſolùm materialiter,non formaliter. Ita in quaternione ineſt unitas,ſed ſolùm materialiter,non formaliter. Eſt enim ibi duntaxat una formalitas,quâ eſt talis numerus,& à quâ denominatur. At malæ ſunt diſtributiones animalis in natans & album, in rationale & bipes: cùm idem poſſit eſſe & natans & album,& rationale & bipes. Hunc canonem illuſtrant illa axiomata: *Contradiſtinctum includit contradiſtincti negationem: Partes diſtributionis ſeparari debent per oppoſitas differentias:Partes debent eſſe ſumtæ ex eodem prædicamento,in quo eſt totum,*ut ſi totum ſit ſubſtantia,partes quoque tales eſſe debent. Qualis diſſenſio partium requiratur in legitimâ diſtributione?

4 *Diſtributio ſit adæquata ſuo diſtributo:*

H.e. neq; latior ſit,neq; anguſtior,ſed reciproca. Aliâs ſic effertur hic canon:*Diſtributio debet exhaurire totum diſtributum.* Vitioſa igitur eſt diſtributio

1 Quæ anguſtior eſt ſuo diſtributo,h. e. in quâ pars aliqua deeſt,quæ diviſo ineſt:ut ceremoniæ non rectè dividuntur in pias & impias;quia quædam ſunt adiaphoræ,ut aperire caput ad pronunciationem nominis Jeſu.

2 Quæ latior est suo distributo, hoc est, quæ non solùm distributo competit, sed pluribus. Sed hîc cauto opus est. Solent enim quidam nasuti, inscii, inepti, ignavi, carpere has distributiones; Logicæ partes duæ sunt, generalis & specialis: axioma est simplex vel compositum: argumentum est primum vel ortum. Hæ, inquiunt, distributiones sunt latiores distributo. Scilicet, acutum videtis superbi disputatores! Ignoratis in divisionibus vocabula generalia esse restringenda ex ipsâ naturâ distributi? Ignoratis, verba esse accipienda secundùm subjectam materiam? Generales sunt hi termini transcendentes, primum ortum, simplex compositum, absolutum respectivum, generale speciale, perfectum imperfectum. Itaque determinationem & specificationem accipiunt à speciebus. Hinc argumentum rectè dicitur esse primum vel ortum, itemque jus primum vel ortum; axioma dividitur in simplex & compositum, itemque syllogismus & alia infinita eodem modo distinguuntur. Syllogismus rectè dividitur in perfectum & imperfectum. Sed & methodus, & animal quoque rectè sic dividitur. Ita non solùm Logicæ partes constituuntur duæ, generalis & specialis, sed etiam primæ philosophiæ, philosophiæ naturalis, & omnium disciplinarum Mathematicarum. At pars generalis Logicæ, non est pars generalis Metaphysicæ. Sed st! Sunt enim ignarorum & ignavorum omnia plena.

5 *Distributio constet ex partibus, quantum fieri potest, paucissimis.*

Itaque dichotomia præcipuam laudem obtinet, si non sit coacta, neque memoriam obruat multitudine seu repetitione suâ. Fit enim interdum, ut venando dichotomias, constituamus sex vel septem divisiones, ubi poterat unica trichotomia nobis rem eleganter ob oculos ponere.

6 *Distributio non faciat saltum.*

Hoc est, fiat in partes immediatas & proximas, non in remotas. Vitiosa igitur est distributio, quâ corpus dividitur in hominem, bestiam & arborem; quia multa membra interjecta transiliuntur. Est enim corpus proximè aliud simplex, aliud mixtum.

7 *In partibus distributionis enunciandis servetur ordò didascalicus:*

Hoc est, id præponatur, quod cognitione prius est. Dices igitur, syllogismus est perfectus vel imperfectus, causa est per se vel per accidens: non contrà. Interdum tamen fit secus, quando videlicet de parte principali multa dicenda sunt, de minùs principali perpauca.

8 *In distributione non una tantùm pars nominanda, & altera illius negatione significanda.*

Nam si unam duntaxat partem nominaveris, & alteram, vel reliquas illius negatione significaveris, non videberis propriè explicare partes, in quas dividitur. Ratio est: quia negatio alterius partis non solùm non est differentia, ut testatur Aristoteles, sed nullo etiam alio modo propriè pars est, sive componens totum, sive subjectiva toti. Hinc *Scal. ex.65.s.1.* docet, differentias rerum constituere species. Non autem constituunt nisi positivæ. Tribus tamen de causis cogimur dividere rem in partem unam, & in negationem alterius partis. Prima est, ut faciamus divisionem necessariam, & quam nemo negare possit. De quâcunque enim re vera est affirmatio aut negatio. Altera est, quia sæpenumero reliqua pars caret nominibus positivis: quo fit ut ad negativa sit confugiendum: ut cùm dividimus substantiam in corpoream & incopoream, & animal in rationale & irrationale; quia ignoramus veras differentias. Tertia est, si partes, in quas divisio immediatè facienda est, fuerint plures, quàm perspicuitas divisionis ferre possit. Tunc enim omnes præter unam significandæ sunt nomine negativo: ut si dicas, bestiarum quædam sunt pennatæ, quædam implumes. *Fonseca lib.4. instit. Dial. cap.12.* Huc pertinet canon: *Cùm genus per differentias oppositas partimur, semper altera duarum est pura negatio alterius, & nihil significat positivi. Sub hâc tamen comprehenduntur positivæ differentiæ. Semper tamen affirmatio priori loco ponenda.*

An in distributione possit habere locum negatio partis alterius?

Cap.4. Divisio.

SPecies perfectæ distributionis sunt duæ, divisio & partitio.

Solet vulgus Logicorum confundere hæc vocabula, divisionem cum distributione, & utramq; cum partitione. Sed probi Latini hanc confusionem abominantur. Hos & nos secuti sumus. Vide *Quintil. l. 7. inst. orat. c. 1.*

Divisio est distributio perfecta generis in species.

De hâc tres sunt canones in genere:

1 ***Divisum sit genus, non autem species infima.***

Ratio canonis est clara ex definitione divisionis, item ex illo: *Species, quâ species, non dividitur in species.* Itaque species infima nunquam cadit sub hanc divisionem: & species intermedia non dividitur, quâ species, sed quâ genus. Non igitur est divisio, si dicas, Homo est mas vel fœmina; intellectus est agens vel patiens; ecclesia est visibilis vel invisibilis. Nam homo intellectus, & ecclesia, sunt species infimæ. Hîc tamen notes, speciem infimam à philosopho etiam vocari genus infimum, ut *3. Metaph. c. 4.* ἔσχατα γένη, τὰ ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις, οἷον ἄνθρωπος.

2 ***Cùm specierum propria nomina nulla sunt, appellantur nominibus numeralibus ordinis.***

Sic dicimus, troporum genera duo sunt, primum & secundum. Item argumentum est primi vel secundi ordinis. Differentia entis est primæ, secundæ &c. classis.

3 ***Divisio esse judicatur, cùm genus prædicari potest de partibus seu speciebus suis συνωνύμως, in casu recto.***

Sic cùm animal dicitur esse homo, vel bestia, est divisio; quia τὸ animal prædicatione synonymâ dicitur de homine & bestiâ.

Divisio est primaria, vel secundaria.

Primaria est 1. quæ fit per differentias essentiales & proprias inter se dissentientes. 2. quando genus univocum seu perfectum dividitur.

Prioris exemplum est, cùm animal per rationale & irrationale dividitur in hominem & bestiam. Posterioris exemplum est idipsum; vel hoc, corpus est vivum vel inanimum.

Divisio

Divisio secundaria est. 1. quæ fit per differentias accidentales, sive proprias, sive communes, inter se dissentientes. 2. quando genus analogicum seu imperfectum dividitur.

Illius exemplum est, cùm animal per differentias accidentales dividitur in gressile, volatile, reptile & natatile. Hujus exemplum est, cùm substantia dicitur esse prima, vel secunda. Hæc dicitur Alberto, Cajetano & Toleto divisio analogi in analogata; quia substantia priùs primæ, quæ maximè est substantia, ut ait Philosophus, quàm secundæ competit. Sic bonum dividitur in honestum, jucundum, & utile.

Cap. 5. Partitio.

Partitio est distributio perfecta totius compositi in suas partes.

Vulgò dicitur distributio integri in membra, vocabulo nimis angusto. Est enim hoc vocabulum speciei. Quare non rectè tribuitur generi. Ejus canon est:

Partitio censetur esse, quando totum non potest in casu recto, sed in obliquo, sive paronymως, dici de suis partibus:

Ut, hominis partes duæ sunt, corpus & anima. Non possum dicere, corpus est homo, sed hominis, scil. pars.

Partitio est vel totius essentialis, vel totius integralis.

Partitio totius essentialis est, quâ totum essentiale in partes suas resolvitur.

Estq; primaria, vel secundaria.

Primaria est, quâ totum essentiale propriè dictũ resolvitur in materiam & formam, *scil. proximam, ut constare potest* è cap. 3. can. 6. *e. g. homo in corpus & animam rationalem.*

Secundaria est, quâ totum essentiale impropriè dictum, resolvitur in suum materiale & formale:

Ut, oratio in voces & significationem; ecclesia in homi-

nes efficaciter vocatos,& horum cùm capite Christo & inter sese unionem.

Partitio totius integralis est, quâ totum integrale in suas partes integrantes dispescitur.

Estque item primaria, vel secundaria.

Primaria est, quâ integrum propriè dictum in partes resolvitur:

Ut, corpus humanum in artus & ventres; & ventres in summum, medium, & infimum, ut loquuntur anatomici.

Secundaria est, quæ totum integrale impropriè dictum resolvit in partes:

Ut, verbum Dei dividitur in legem & evangelium; lex in duas tabulas, aut decem præcepta; comœdia in protasin, epitasin & catastrophen.

Cap. 6. Distributio imperfecta.

Distributio imperfecta est, quæ distributum in partes impropriè dictas resolvit: *seu, quæ à naturâ perfectæ distributionis aliquo modo recedit.*

Estq; duplex. 1. Quâ species infima in sua individua distribuitur.

Hæc dicitur imperfecta; tum quia differentiæ commodæ & oppositæ inveniri non possunt, per quas species in individua, quę plerumq; numero sunt infinita, dividatur: tum quia in artib. & disciplinis nullus est illius usus: ut cùm homo dividitur in hunc & illum, puta Johannem, Petrum, Paulũ &ç.

2 Quâ totum per accidens in partes suas resolvitur.

Et hæc est vel causativa, vel effectiva, vel subjectiva, vel adjunctiva.

Causativa est, quâ causa distribuitur in sua causata: ut, finis in sua finita, efficiens in sua effecta, materia in sua materiata, forma in sua formata.

Exempli

E.g. 1.Eruditio comparatur partim naturâ,partim curâ. 2.Deus alios eligit,alios reprobat; verbum Dei aliud terret conſcientias,ut lex;aliud conſolatur territas,ut evangelium; animalium aliud eſt viviparum,aliud oviparum. 3.Ex argillâ fiunt urcei,ollæ, cacabi &ç. 4.Anima alia eſt in plantâ, alia in animali.

Effectiva eſt, cùm cauſatum dividitur in ſuas cauſas: ut, finitum in ſuos fines, effectum in ſuas efficientes, materiatum in ſuas materias, formatum in ſuas formas.

Exempli gratiâ. 1. Prædia ſunt urbana,vel ruſtica:hominum alii reſurgent ad vitam,alii ad mortem æternam:diſciplinæ ſunt contemplatrices, vel operatrices; & hæ activæ, vel factivæ: rerum domeſticarum aliæ ad neceſſitatem, aliæ ad commoditatem,aliæ ad voluptatem pertinent. 2.Doctrina alia eſt divinitùs infuſa, alia præceptis & uſu acquiſita: Scriptura eſt prophetica, vel Apoſtolica: calor vel à Sole eſt, vel ab igne; fames alia eſt ex ſterilitate, alia ex vaſtatione; animal eſt vel univocum, natum ex parentum efficaciâ, vel æquivocum, natum ex putredine; jus eſt divinum,vel humanum. 3.Siclus Legis erat aureus,vel argenteus:poculum aliud eſt aureum,aliud argenteum,aliud ſtanneum,aliud ligneum. 4.Animal eſt rationale,vel irrationale:linea vel recta eſt,vel obliqua.

Distributio ſubjectiva eſt, cùm ſubjectum, ſive recipiens, ſive occupans in ſua adjuncta diſtribuitur:

Ut,verbum Dei aliud eſt ἔγγραφον,aliud ἄγραφον:fœdus Dei eſt vetus, vel novum;ſenſile aliud eſt objectum viſus, aliud olfactus &ç.

Hîc ſunt duo canones:

1 Subjecti per ſua accidentia diviſio poteſt inſtitui ſecundùm omnia fermè accidentium genera:

Ut, ex quantitate hominum alii ſunt gigantes, alii pygmæi,alii medii: ex qualitate eſt homo doctus, vel indoctus:fidelis,vel infidelis: alius naſo ſimo, ſeu repando,alius aquilino, alius retorto, alius recto: ex actione, quidam

mercator, quidam concionator, quidam causidicus &c. ex passione, quidam martyr, quidam patiens pœnam meritam: ex relatione, quidam est dominus, quidam servus; ex quando, alius puer, alius juvenis &c. ex ubi, alius Europæus, alius Asiaticus &c. ex situ, alius sedens, alius stans, alius ambulans &c. ex habitu, alius armatus, alius inermis; alius splendidè vestitus, alius sordidè, alius mediocriter.

2 Distributio è circumstantiâ loci & temporis potest & subjectiva & adjunctiva dici diverso respectu.

Hic canon intelligitur ex priori & ex sequenti definitione distributionis adjunctivæ. *Ex loco:* ut, animalia quædam degunt in terrâ, quædam in aquis, quædam sunt ἀμφίβια; gentes aliæ habitant ad ortum Solis, ut Persæ; aliæ ad occasum, ut Hispani; aliæ ad meridiem, ut Itali; aliæ ad Septentrionem, ut Dani; vel, hominum alii habitant in zonâ extremâ, alii in mediâ. *Ex tempore:* ut, flores aut hyberni sunt, aut verni, aut æstivi, aut autumnales; officia alia sunt juvenum, alia seniorum, alia constantis ætatis; sunt & extrema quædam studia senectutis, ut ait Cicero.

Distributio adjunctiva est, cùm adjunctum, sive receptum, sive occupatum, in sua subjecta dividitur:

Ut, lux alia est Solis, alia ignis; virtus alia est ethnicorum, alia Christianorum; color & figura corporis est alia Germanorum, alia Italorum &c. febris alia est in humoribus, alia in spiritibus, alia in partibus solidis; morbus alius capitis, alius cordis &c. peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in nos ipsos committitur; dilectio alia est Dei, alia proximi. Huc etiam referri possunt, ut modò diximus, divisiones è circumstantiâ loci & temporis. Nam locus & tempus considerantur, vel ut accidentia, quatenus accidunt substantiis; vel ut subjecta, quatenus tam tempus, quàm locus dicitur recipere. Si tamen distributionem ex loco velis dicere subjectivam solùm, & illam ex tempore adjunctivam, non admodum repugnabo, sed hoc dabo usui disseren-

disserendi. Ad extremum solent quidam speciebus duabus imperfectæ distributionis adjicere tertiam, quâ videlicet totum aliquod distribuitur in partes Logicas, quales sunt genus & differentia, subjectum & accidens: itemque in partes Metaphysicas, quales sunt esse & essentia, natura & supposi-tum, actus & potentia.

Cap. 7. Methodus investigandi distributionem.

EXtremo loco nobis tractanda est methodus investigandi distributionem; quæ constat his canonibus.

1 *Distributurus rem, videat num sit universalis, vel singularis.*

Res universalis & potest, & debet distribui, vel in partes, putà Logicas, quales sunt genus & differentia; vel in Metaphysicas, uti sunt actus & potentia; vel Physicas, quarum aliæ essentiales, aliæ integrales. *Res singularis* est vel simplex, vel composita. *Simplex* est solus Deus. Hic nec ut genus, nec ut totum essentiale, nec ut totum integrale considerari potest. Proinde nec dividi: unde vocatur *totum perfectionale*, & *totaliter totum*. Interim dicere possumus, doctrinam de Deo dividi posse, in partem de essentiâ, & partem de personis, & partem de operibus ipsius.

Res singularis composita, *est substantia vel accidens.*


Substantia singularis composita *est vel incorporea, ut hic angelus, & hæc anima; vel corporea, ut Rhenus, Cæsar.* Hic angelus & hæc anima *dividi possunt in partes Logicas & Metaphysicas.* Individuum corporeum *in partes integrantes dividi debet, dummodo sit totum.* Accidens singulare, *ut passio Christi, itidem in partes resolvitur.*

2 *Distributurus totum, videat num sit propriè, vel impropriè dictum.*

Totum propriè dictum est vel genus, vel totum essentiale, vel integrale. Hoc perfectè distribui potest juxta doctrinam à nobis traditam. *Totum impropriè dictum* est vel causa, vel causatum, vel subjectum, vel adjunctum. Et hoc distribuetur juxta doctrinam capitis penultimi. Hæc etiam breviter libro proprio de distributione tractasse sufficiat. Quamvis autem illius methodus non sit prolixa, ideoq; cuivis obvia: tamen pro more nostro librum hunc ἀποσημειώσει tabellari consignabimus.

METHODUS LIBRI QUINTI.

De DISTRIBUTIONE.



LOGI-



LOGICORUM LIBER SEXTUS

De AXIOMATE.

Cap. I. Partes axiomatis.

ACtum est de termino, nunc de axiomate agendum.

Axioma est instrumentum noëticum, in quo thema simplex cum argumento disponitur.

Axiomatis vocabulum est sat cōveniens. Quamvis enim sit à verbo ἀξιόω, *dignum judico*: tamen per synecdochen speciei apud Græcos sæpe sumitur in genere pro judico, sentio, existimo. Hinc à Stoicis sumitur pro quâlibet sententiâ; licet à Peripateticis usurpetur strictè, pro sententiâ, quæ digna est, cui fides adhibeatur. Vulgò vocant *propositionem*: sed nec propriè hoc fit. Propositio enim dicitur tanquam proposita conclusioni. *Zabar. 1. poster. anal. ad cont. 13.* Aliis dicitur *enunciatum, enunciatio, effatum, pronunciatum.* Porrò in definitione diximus, quòd thema simplex cum argumento disponatur. Hæc est vera ipsius differentia, quâ distinguitur cùm à definitione & distributione, tum à syllogismo. Illud; quia in definitione & distributione, quatenus definitum & distributum seorsim accipis, id quod debes, non est dispositio plena, non axiomatica; utpote in quâ disponitur genus cum differentiâ, & pars cum parte, non tanquam thema cum argumento, sed tanquam argumentum geminū stans pro uno, & arguens definitum & distributum tanquam thema. Hoc; quia in omni syllogismo thema seu quæstio complexa disponitur cum argumento. Ramus definit axioma, quòd sit dispositio argumenti cum arguméto &c. in quâ definitione vox argumenti ponitur pro themate; quia nimirum thema potest induere affectionem argumenti. Unum

Vocabulum axiomatis num sat cōveniens in Logicâ?

adhuc monendum restat. Nos terminum distinguimus ab axiomate. Alii vulgò axioma vocant terminũ complexum. Sed non satis philosophicè. Ratio dicta est *libr.1.cap.3.* Terminus enim propriè significat id quod terminat aliquid, & inde per metaphoram ponitur pro materiâ orationis. Itaque terminus in Logicis per alium tropum ponitur pro instrumento noëtico, quod regit materiam ad disserendum propositam. Jam verò axioma non dirigit istam materiam, sed formam, videl. dispositionẽ terminorum, ut & syllogismus & methodus. Moneamus & hoc. Thema simplex, quod est in axiomate, non excludit terminorũ multitudinem, sed opponitur themati composito, quale est in syllogismo: sicut nec argumentum hîc est unicus terminus, sed & multiplex esse potest, pro uno tamen generali putatur: ut, quicunque electus est ad vitam æternam, servabitur: desiderare auxilium gratiæ, est initium gratiæ.

Axiomatis considerandæ sunt partes, species, & communes affectiones.

Communibus affectionibus ultimum assignamus locũ; quia multa in illarum doctrinâ occurrunt, quæ sine doctrinâ partium & specierum intelligi non possunt. Non igitur generaliter accipies illud: *Communes affectiones in methodicâ tractatione præcedant species ipsas.*

Partes axiomatis sunt, ex quibus illud constituitur.

Suntque materia, & forma.

Materia axiomatis.

Materia axiomatis est realis, vel verbalis.

Illa dicitur signata, hæc signans. Omne siquidem axioma constat signatis, & signis; etiam mentale.

Materia realis, sunt termini reales vocibus significati.

Suntque subjectum & prædicatum.

Subjectum est pars antecedens, continens thema: *aliâs dicitur* suppositum, pars antecedens, & subjectum attributionis.

Prædicatum est pars consequens, continens argumen-

gumentum : *aliâs* attributum, adjectum, oppoſitum, *&* pars conſequens *dicitur.*

Canones de ſubjecto & prædicato hi tenendi :

1 Omne axioma in duas tantùm partes materiales reales reſolvitur.

Partes illæ ſunt antecedens, & conſequens. Non ſunt plures. Tot enim ſunt axiomatis partes, in quot axioma reſolvitur, juxta illud celebratum : *Eadem ſunt principia compoſitionis & diviſionis.*

2 Vocabula hæc, ſubjectum *&* prædicatum, *etiam ad compoſitum axioma transferri poſſunt.*

Peripatetici docent ſubjectũ & antecedens, prædicatũ & conſequens eſſe ἰσοδυναμοῦντα. Contra hanc ſententiã disputant nonnulli; & contendunt, omne quidem ſubjectum eſſe antecedens, & omne prædicatũ eſſe conſequens, ſed non viciſſim; eò quòd ſubjectum & prædicatũ duntaxat axiomati ſimplici, cõpoſito non item, præſertim cõnexo, niſi valde impropriè, cõveniant. Sed hæc cẽſura eſt nauci. Nam ſubjectũ in genere ſic finitur, quòd ſit prius axiomatis membrum, de quo aliquid prædicatur : prædicatum, alterum axiomatis membrum, quod de ſubjecto prædicatur. *Fonſec. libr. 1. inſt. Dial. cap. 14.* Cum his definitionibus coincidunt illæ, quæ à nobis ſunt traditæ.

3 Subjectum realiter differt à prædicato.

Ratio: quia thema & argumentum realiter inter ſe differunt. Subjectum autem continet thema, ſicut prædicatum continet argumentum. Objicis prædicationes identicas, in quibus idem de ſeipſo prædicatur. Reſp. Prædicatio identica eſt vel nugax, vel intenſiva. *Nugax* eſt, in quâ idem ſimpliciter de ſeipſo prædicatur. Et hæc eſt inanis tautologia: ut cùm dico, enſis eſt enſis, ſcapha eſt ſcapha. Hîc eſt idẽ prorſus & voce, & ſignificatione. Proinde inepta tautologia & battologia. *Intenſiva* eſt, in quâ idẽ ſecũdùm quid de ſeipſo prædicatur; quod vel eſt idem voce, & ſignificatione diverſum, ut Deus eſt Deus; vel eſt voce diverſum, & idèm ſignificatione, ut Evangelium eſt lætum nuntium. Hæc prædicatio non eſt nugax, ſed prædicatum intendit ſignificationẽ

Prædicatio identica duplex.

ſubjecti, ut infrà explicabitur; ita ut etiam hîc ſit realis diſtinctio inter ſubjectum & prædicatum. v.g. Deus eſt Deus, hoc eſt, Deus ſemper ſibi eſt ſimilis, benefaciendo piis, & puniendo impios. Ecce in ſubjecto vox Deus accipitur οὐσιωδῶς, in prædicato ἐνεργητικῶς! Objicis definitionem, quæ non realiter differt à definito? Objicis item axiomata, in quibus attributa divina dicuntur de Deo? Reſp. Hæc oportet excipere à regulâ, quæ à potiori denominationem facit, non à duobus vel tribus ſingulariter ſe habentibus.

4 *Subjectum accipit manifeſtationem à prædicato, prædicatum ſubjecto lucem infert.*

Ratio: quia prædicatum continet argumentũ, ſubjectum habet thema. At omne argumentum, quâ tale, notificat.

5 *Talia ſunt prædicata, qualia eſſe permittuntur à ſuis ſubjectis.*

Hunc canonem cõmendat Melanchthon. Facit enim ad rectam multarum rerum intelligentiam. e. g. dico, Deus eſt ſpiritus; item angelus eſt ſpiritus. Canon propoſitus oſtendit, quomodo prædicatum utrobiq; ſit accipiendum, ita nimirum, ut ſpecificationem accipiat à ſubjecto.

6 *Subjectum & prædicatum in axiomate non ſemper ſe habent uno modo.*

Nam utrumq; eſt. 1. Vel ſimplex, vel compoſitum. Simplex, quod uno termino ſeu unâ voce cõtinetur, ut homo eſt animal, homo eſt riſibilis. Compoſitũ, quod pluribus vocibus continetur, ut homo quatenus animal, ſentit; virtus placet Deo. Ibi ſubjectum, hîc prædicatum eſt compoſitum. 2. Poſitivum, ut Deus, lumen, viſus: vel privativum, ut tenebræ, cæcitas. 3. Univerſale, ut homo, equus; vel ſingulare, ut Paulus, Bucephalus. 4. Finitum, ut homo, planta; vel infinitum, ut non-homo, non-planta.

Verbalis materia axiomatis ſunt voces, quibus termini reales ſignificantur.

Eſtq; categorematica, vel ſyncategorematica.

Categorematica ſunt voces, quæ rem certam abſolutè ſignificant: *ut nomen & verbum.*

Canones

Canones hujus loci ſunt:

1 *Nomen & verbum ſunt voces principales, quas oportet in axiomate ſpectare.*

Hic canon è Grammaticâ lucem accipit, ubi vox dicitur alia eſſe primaria, ut nomen & verbum: alia ſecundaria, ut adverbium, præpoſitio &c. Interim loco nominis ſunt & aliæ voces, quæ ſuſtinent vicem ſubjecti: ut, Ego ſum Jehova: Amare eſt turpe ſeni: Credens ſervatur: Nunc eſt dies: Per ſignificat interdum cauſam efficientem principalem: Papæ eſt vox admirantis.

2 *Axioma rectum & indicativum eſt norma aliorum axiomatum.*

Axioma rectum eſt, in quo nomen ponitur in caſu recto; indicativum, in quo verbum ponitur in modo indicativo. Jam ſicut caſus rectus eſt menſura obliquorum, & modus indicativus eſt norma imperativi, cõjunctivi, & reliquorum modorum: ſic & axioma rectum eſt norma obliqui, & indicativum imperativi vel ſubjũctivi axiomatis. Cùm ergò hęc talia axiomata occurrunt: Adoleſcentis eſt majores natu revereri; Ordine diſce, & evades doctus: Cùm Gothi Romam occupaſſent, bibliothecæ inſtructiſſimæ incendio perierunt: probanda & examinanda ſunt per axiomata recta & indicativa, & quantum fieri poteſt, ad illa reduci debent, quoties accuratè veritas & falſitas eſt indaganda.

2 *Modi indicativi tempus præſens eſt norma reliquorum.*

Hinc illud: *Propoſitio de tempore præterito, vel futuro, verificatur propter propoſitionem de tempore præſenti.* Hic canon intelligi poteſt ex antecedente.

Syncategorematica materia ſunt voces, quæ modum rei ſignificant.

Tales ſunt, *omnis, nullus, quidam, præter, quâ, quatenus,* itemq; omnes voces ſecundariæ ſeu invariabiles & ſine numero, ut Grammatici vocant.

Forma axiomatis eſt princeps, vel minùs princeps. Forma axiomatis.

Illa dicitur ſignata, hæc ſignans.

Forma princeps est dispositio thematis cum argumento: ***seu subjecti cum prædicato.***

Hæc dispositio debet esse legitima, hoc est, cōgruere cum ordine rerum extra mentem. Itaque falsum axioma nonnisi æquivocè dicitur axioma, sicut homo mortuus dicitur homo. Hinc patet, quòd dispositio non sit genus axiomatis.

Dispositio est vel compositio, quâ thema cum argumento conjungitur; vel divisio, quâ thema ab argumento disjungitur:

Ut cùm dico, homo est animal, compono; at divido, cùm dico, homo non est stipes. Cæterū hæc dispositio axiomatica est vera vel falsa, necessaria vel contingens &c. Sed de his infrà dicemus in distributione axiomatis.

Forma axiomatis minùs princeps est vinculum, nota externa dispositionis.

Multi disputant, vinculum, seu copulam, non esse partem axiomatis, sed ineptè. Nam copula ad propositionem ita necessaria est, ut nulla sine eâ consistere possit. Ratio; quia prædicatum, nisi copula sit adjuncta, vel ei inclusa, nihil manifestat. Est autem necessaria, tanquam forma secundaria, seu subserviens primariæ.

Vinculum est vel verbi, vel conjunctionis.

Vinculum verbi est, cùm subjectum cum prædicato vi verbi substantivi *Sum* disponitur. ***Vulgò*** **copula verbalis.**

Verbum substantivum *Sum* est omnium verborū simplicissimum, adeoq; primum & irresolubile. Omnia enim verba in illud resolvūtur. Et hinc ipsi est hæc prærogativa, quòd in axiomate sustineat vicem subscudis alicujus, ut ita dicam. Si dicas, verbum *existo*, item *fio*, habere etiam vim copulandi; ut, Socrates existit sapiens, Socrates fit sapiens; ridebo. Nam primò est insolēs Latinis auribus si dicas, Socrates existit sapiens. Deinde *τὸ fio* fungitur vice prædicati, quia sumitur pro efficior: *τὸ existo* itidem fungitur vice prædicati, & quod illi adjungitur, est determinatio prædicati. Denique in utroque verbum substantivum est implicitè.

Vinculum verbi eſt explicitum, vel implicitum.

Explicitum eſt, cùm verbum ſubſtantivum *Sum* medio loco ponitur inter ſubjectum & prædicatum:

Ut, Deus eſt omnipotens. Dixi, *medio loco ponitur*. Si enim ponatur ſolum, non eſt copula: ut ſi dicam, Deus eſt. Huc pertinet diſtinctio propoſitionis in binariam & trinariam, item diſtinctio inter τὸ eſt ſecundi & tertii adjecti. Eſt tertii adjecti vocatur ipſa copula: ut, homo eſt animal: & hæc propoſitio eſt trinaria, quia conſtat tribus, videlicet ſubjecto, copulâ, prædicato. Eſt ſecundi adjecti dicitur verbum ſubſtantivum, non συνθετικῶς vel συνδετικῶς, *copulativè*, ſed ὑπαρκτικῶς, quod barbari Latini dicerent, *prædicativè*, ponitur: ut, homo eſt. Et hæc eſt propoſitio binaria, quia conſtat duobus vocabulis. Huc pertinet canon: *Ab eſt tertii adjecti ad eſt ſecundi adjecti valet conſequentia*: ut, homo eſt animal. Ergò eſt.

Vinculum verbi implicitum eſt, cùm idem includitur prædicato:

Ut, Ignis urit, hoc eſt, eſt urens. Quidam docent, vinculum includi ſubjecto. Sed perperam. Ratio: quia copula ſubſervit manifeſtationi ſubjecti. At illa manifeſtatio eſt à prædicato.

Vinculum conjunctionis eſt, cùm ſubjectum cum prædicato diſponitur vi conjunctionis:

Ut, Si Deus eſt juſtus, eſt alia poſt hanc vita.

Cap. 2. Axioma affirmatum & negatum.

SEquuntur ſpecies axiomatis, quæ ſumuntur partim ex formâ, partim ex materiâ illius. *Illas formales, has materiales dicamus.*

Formales ſpecies axiomatis, ſunt tum principales, tum minùs principales.

Species principales ſunt, quòd omne axioma ſit affirmatum vel negatum; verum vel falſum; ſimplex vel compoſitum.

Axioma affirmatum eſt, in quo prædicatum cum ſubjecto conjungitur:

Ut, homo eſt animal. Alii ſic definiunt: Axioma affirmatum eſt, quo aliquid eſſe affirmatur: ut in allato exemplo nō ſolùm τὸ *animal*, ſed ipſum *eſſe animal* affirmatur de homine. Illi volunt τὸ eſt, non eſſe mediū inter ſubjectum & prędicatum, neque eſſe προσκείμενον, neq; προσκατηγορούμενον, ſed eſſe συγκατηγορούμενον, q. d. comprædicatum.

Canones axiomatis affirmativi ſunt tres:

1 *Axioma affirmatum eſt prius negato.*

Ratio: quia affirmatio eſt inſtar habitus, negatio inſtar privationis. *Scalig. exerc. 6. ſect. 2.* Hinc affirmatio dicitur menſura negationis.

2 *Affirmatio eſt difficilior negatione.*

Ratio: quia difficilius eſt rem conſtruere, quàm deſtruere; componere, quàm dividere. Nam conſtructio rei perfecta requirit omnes & ſingulas partes; ad deſtructionem autem vel unius partis principalis ſufficit amotio.

3 *Affirmationis fundamentum eſt rerum conſenſio.*

Itaq; conſentanea diſponi debent affirmando. Videamus exempla per ſingulos locos. Fit axioma affirmatum 1. Ex fine & finito: Homo conditus eſt ad cognoſcendum & colendum Deum. 2. Ex cauſâ efficiente & effecto: Deus creavit mundum. 3. Ex materiâ & materiato: E terra factus eſt homo. 4. Ex formâ & formato: Homo præditus eſt animâ rationali 5. Ex ſubjecto recipiente & adjuncto recepto: Homo eſt riſibilis, homo eſt doctus. Item ex objecto & adjuncto occupato: ut, Medicus verſatur circa morbos. 6. Ex antecedente & conſequente: ut, Ex puero fit ſenex. 7. Ex connexis: Summè ſapiens eſt ſummè bonus. 8. Ex definitione & definito: ut, Homo eſt animal rationale. 9. Ex diſtributione & diſtributo: ut, Animal eſt aut homo, aut beſtia.

Axioma negatum eſt, in quo prædicatum à ſubjecto disjungitur.

Canones

Canones ejus ſunt:

1 Veritas affirmati axiomatis eſt fundamentum veritatis negati.

Alii ſic enunciant: *Veritas axiomatis negati concludi non poteſt, niſi ex veritate alicujus affirmati.* Item: *Vera negatio pendet à verâ affirmatione.* Non enim rectè dicerentur bona opera non juſtificare, niſi verum eſſet, ſolam fidem juſtificare. Videris Fonſecam de illo canone *4. Metaph. ad cont. 15.*

2 Negatio vehementiùs negat, quàm affirmatio affirmat.

Alii ſic enunciant: *Firmior eſt veritas negationum, quàm affirmationum.* Hoc non eſt accipiendum de firmitate entitatis, ſed aſſeverationis ſeu prædicationis.

3 Axioma negatũ eſt, cùm particula negandi vel toti axiomati præmittitur, vel copulæ immediatè additur.

Ut, Nulli electi damnantur; conjugium non eſt ſacramẽtum. Non igitur eſt axioma negans: Populus qui non eſt intelligens, cõturbabitur, *Hoſ. 4. v. 14.* quia negatio inſerta eſt deſcriptioni partis antecedentis. Nec hoc: Cæcum eſt quod non habet viſum; quia definitio affirmatur de definito. Nec hoc: Subſtantia non producitur niſi à ſubſtantiâ; quia particula *non* per tmeſin hîc ponitur, ita ut hic ſit ſenſus, ſubſtantia nonniſi (hoc eſt, tantùm) à ſubſtantiâ producitur. Sic hoc axioma; primus homo potuit non peccare, eſt affirmans & verum; ſed hoc, primus homo non potuit peccare, eſt negans & falſum. Uno verbo: Axioma negatum cenſetur, cujus vinculum negatur. Nam quando dico, Nullus homo eſt lapis, τὸ nullus eſt vocula ſyncategorematica, quę pręponitur quidem toti propoſitioni, ſed tamen convenit vinculo, ut res ipſa loquitur.

4 Negationis fundamentum eſt rerum diſſenſio.

Itaq; argumenta diſſentanea negando ſunt diſponenda. Fit igitur axioma negatũ 1. Ex diverſis: Ut, Judas fuit Apoſtolus, & non fuit ſalvatus. 2. Ex contradicentibus: ut, videns non eſt non-videns. 3. Ex relatè oppoſitis: ut, pater non eſt filius. 4. Ex privantib. ut, vita non eſt mors. 5. Ex cõtrariis: ut, virtus non eſt vitiũ. Hîc aliquis non ab re roget, quid ergò ſit

ſtatuendum de argumentis comparatis & ortis? Reſpon. In lib.2. diſtinximus prædicationem in ſignatam & exercitam. Si ſpectes prædicationem ſignatam, omnia argumenta ſunt disſentanea, ideoque negativè diſponenda, hoc modo: cauſa non eſt effectum, genus non eſt ſpecies &c. niſi velis diſponere in caſu obliquo: ut cauſa eſt effecti cauſa. Si ſpectes prædicationem exercitam, argumenta conſentanea affirmando, disſentanea negando ſunt diſponenda. Reliqua, prout participant de conſenſione vel diſſenſione, ita & diſponenda ſunt. e.g. 1. Species & genus affirmatè diſponuntur: ut, homo eſt animal. 2. Totum eſſentiale & pars eſſentialis affirmando diſponuntur: ut, homo habet corpus organicum: at non, homo eſt corpus organicum. 3. Sic & totum integrale & pars integralis: ut, caput eſt membrum corporis humani; at non ſic, caput eſt corpus humanum. 4. Paria & ſimilia diſponuntur affirmatè: ut, beſtia æquè eſt animal, ac homo: homo eſt bulla. 5. Notatio cum notato diſponitur affirmatè: ut, Philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ: vel negatè: ut, lucus non lucet. 6. Conjugata diſponuntur affirmatè: ut, ſapiens ſapienter agit. 7. Imparia diſponuntur affirmatè: ut, virtus moralis eſt præſtantior intellectuali: vel negatè, homo non eſt æqualis Deo. 8. Diſſimilia diſponuntur negatè: ut, non ut paſtor bonus curat oves, ſic & mercenarius: non ut dominus ad ſervum, ſic maritus ad uxorem ſe habet. 9. Denique quando definitio negativè prædicatur de re aliquâ, illa res non habet rationem definiti: ut, aſinus non eſt animal rationale. Et ſic eſt diſſenſio. Confer cum *cap.13. hujus libri.*

Cap.3. Axioma verum & falſum.

SEcundò axioma eſt verum vel falſum.

Quidam hanc diſtributionem hoc nomine reprehenſum eunt, quòd veritas cujusque axiomatis ſit affectio, ut quæ legitimam diſpoſitionem ſequitur. Sed ad hoc ſciendum eſt, veritatem eſſe duplicem, incomplexã & complexam. Incomplexa eſt attributũ cujusq; entis. Ut enim unũquodque eſt ens, ita & verum. Hæc non habet contrariè oppoſitum.

Veritas eſt duplex, non eſſentiâ, ſed modo conſiderationis.

positum. Cōplexa veritas est affectio dispositionis axiomaticæ, cum rerum inter se habitudine congruens; ita ut forma interna veritatis complexæ sit conformitas seu congruentia dispositæ propositionis cum rebus ipsis. Hinc Philosophus: Vera oratio minimè est causa, cur res sit; sed res potiùs causa est, cur oratio sit vera. Huc etiam facit illud Cajetani: Veritas inest in rebus, ut in causâ; in oratione externâ, ut in signo; in intellectu autem, ut in subjecto. Cùm igitur mens nostra intuetur rerum vel jungendarum, vel sejungendarum affectionem, constituit veram propositionem. At cùm eadem pervertit rerum affectionem, & componenda disjungit, vel disjungēda conjungit, oritur axioma falsum, juxta canonem: *Consentanea negatè, & dissentanea affirmatè disposita, constituunt axioma falsum.* Ex his patet, axioma rectè dividi in verum & falsum. Interim non retractamus, quod paulò antè diximus, axioma falsum æquivocè esse axioma. Confer cum *lib.5.cap.3.can.2.*

Axioma verum est, quod disponit res secundùm naturalem ipsarum habitudinem.

Uniuscujusque axiomatis constitutio pendet ex aptitudinè simpliciū conceptuū, hoc modo. Quæ naturâ sunt conjuncta in rebus, ea & nos per artem conjungere; & quæ naturaliter disjuncta sunt, ea & nos dividere per artem tenemur. *Scal.lib.7. de caus.ling.Lat. c.142.* Si igitur hanc rerum habitudinem observemus, verum axioma constituetur, ut & ex antè disputatis patêre potest.

Axioma verum est vel necessarium, vel contingens.

Necessarium est, quod ita verum est, ut aliter se habere non possit: *ideoq; parit scientiam.* Axioma necessarium.

Distinguunt hîc quidam axioma necessarium in simpliciter & secundùm quid tale. Illud dicunt, quod immutabiliter est verum: ut, homo est animal, homo non est bestia. Hoc dicunt, quod certo duntaxat respectu est verum: ut, Paris rapuit Helenam, sapiens non peccat; quatenus nimirū spectatur tempus præteritū, & quatenus sapiens est sapiens. Sed sciendum est, hæc axiomata potiùs esse contingentia. Nam axioma necessariū dicitur æternū à Philosopho; quo ipso si-

gnificat inseparabilem nexum prædicati & subjecti, seu immutabilem eorum ad se invicem dispositionem. At in datis axiomatis non est hujusmodi æternitas, ut paulò pôst patebit ex definitione axiomatis contingentis.

Canones de axiomate necessario sunt:

1 Axioma necessarium pendet vel à consensione argumentorum, vel à dissensione perpetuâ.

Atque hoc est, quod modò diximus de axiomate æterno; quod ita scilicet verum est, ut nunquam potuerit, vel possit aliter se habere.

2 Necessarium axioma non tantùm affirmatum est, sed etiam negatum.

Εὔδηλον ex antecedente.

3 Axioma necessarium differt ab essentiali.

Ratio 1. Q. necessarium etiam negatum est, essentiale non item. Nam negatio non est ullius rei essentia. 2. Q. omne essentiale necessarium, sed non omne necessarium essentiale. *Scalig. exerc. 6. sect. 2.* Nam illa duntaxat axiomata sunt essentialia, quæ sunt necessaria secundo necessitatis gradu.

Axioma necessariò verum quatenus affirmatum est, tres habet necessitatis gradus, **κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον.**

Vulgò vocantur leges axiomaticæ, item leges Rameæ. Posterior appellatio est inepta. Harum enim legum semina & initia sunt à Deo; quæ in mentibus hominum & naturâ ipsâ tanquam scintillæ emicuerunt; unde necessitate urgente, & utilitate suadente, sunt arreptæ & propagatæ. Appellationes earum apud Aristotelem extant, sed tantùm ad demonstrationem adhibitæ: *1. post. cap. 4.* Ramus eorum usum longè generaliorem & eminentiorem ostendit; quâ in re partim rectè, partim præposterè fecit. Rectè quidem: quia generaliorem usum illarum esse docuit. Præposterè verò, dum nimis generalem illum usum fecit, & rigorem quendam Philosopho indignū invexit. Dum enim voluit omnia artium præcepta ad illas examinare, miserrimè artes mutilavit, tollendo scilicet ex iis contingentiam. Nos

igitur sic statuamus. Tres illæ leges sunt plusquam aureæ, si examinanda sint axiomata, & necessaria à contingentibus discernenda; proinde & in artibus constituendis adhibendæ, sed ita, ut axiomata contingentia etiam juxta necessaria habeant locum. Nam disciplinæ sic debent res proponere, uti sunt. Sunt autem res vel necessariæ, vel contingentes. Plura in hanc sententiam vide infra *libr. 7. cap. 2.* Cæterùm quidam vocant *leges determinãdi propositionem.* Sanè eleganter. Hæ enim leges determinant propositiones, vel secundùm partes, ut κατὰ παντὸς; vel secundùm totum, ut reliquæ duæ; ut quoad ejus fieri potest, perfecta habeatur cognitio.

Lex κατὰ παντὸς requirit, ut prædicatum sit verũ de omni subjecto, omni loco, & omni tempore.

Græci dicunt κατὰ παντὸς ὑποκειμένου, τόπου καὶ χρόνου; ut, homo est animal. Ramo dicitur *lex veritatis.* Huic opponitur τὸ κατὰ μηδενὸς, & κατὰ πολλοῦ, quod verum est de nullo, ut homo est lapis; vel aliquo, ut homo est doctus.

Lex καθ' αὑτὸ requirit, ut prædicatum affirmetur de subjecto per se:

Hoc est, ut sit nexus essentialis, seu ut prædicatum subjecto sit essentiale, vel à priori, vel à posteriori. Est enim nexus essentialis, vel quando alterum est de essentiâ alterius, vel quando alterum ab alterius essentiâ perenniter quasi fluit. Tunc ergò axioma judicabis esse καθ' αὑτὸ, quando genus de specie, forma de formato, proprium de subjecto, adeoq; definitio de definito dicitur: ut, homo est animal, homo est præditus animâ rationali, est animal risibile, est animal rationale. Vulgò quatuor dicendi modos per se constituunt, hoc modo: 1. cùm prædicatum constituit essentiam subjecti, vel in toto, ut homo est animal; vel ex parte, ut animal est homo, vel bestia. 2. cùm prædicatum sequitur essentiam subjecti; ut, corpus est quantum. 3. cùm existentia de subjecto dicitur: ut, Deus est. 4. cùm causa per se, propria, tum efficiens, tum finalis de effecto dicitur, vel contrà; ut, Lunæ eclipsis fit per diametralẽ oppositionẽ Solis & terræ: Sacramenta nobis obsignant fœdus divinũ. Huic legi opponitur τὸ κατὰ συμβεβηκὸς, quod verum est per accidẽs: ut, Evangelium movet seditiones. Hæc *lex justitiæ* Ramo dicitur. Non

rectè. Nam lex juſtitiæ eſt lex methodica, non axiomatica. Methodus enim de homogeneis præcipit.

Lex καθόλȣ πρῶτον eſt, quæ vult ut prædicatum cum ſubjecto reciprocetur, *ſeu æquale ſit cum ambitu, ut loquuntur.*

Hoc fit ſi forma de formato, & proprium de ſubjecto, & definitio de definito prædicetur: ut, homo eſt animal rationale, & animal rationale eſt homo. Hîc enim prædicatum in locum ſubjecti, & ſubjectum in locum prędicati tranſit. Ramo appellatur *Lex ſapientiæ*; non rectè. Nam lex ſapientiæ, quæ præcipit, ut generale generaliter, ſpeciale ſpecialiter doceatur, non axiomatica eſt, ſed methodica.

Axioma verum contingens eſt, quod ita verum eſt, ut aliter ſe habere poſſit: *ideoq; parit opinionem.*

Hoc pendet à contingente terminorum vel conſenſione, vel diſſenſione.

Axioma cō-tingens.

Axioma contingens eſt vel per ſe, vel per accidens tale.

Axioma per ſe contingens eſt, in quo prædicatum verum eſt de ſubjecto per ſe, ſed mutabiliter:

Ut, Vinum calefacit: Evangelium eſt odor vitæ ad vitam. Hæc per ſe vera ſunt, ita tamen ut oppoſitum evenire poſſit. At neceſſarium καθ' αὑτὸ ſic eſt verum per ſe, ut impoſſibile ſit ipſius oppoſitum evenire.

Axioma per accidens contingens eſt, in quo prædicatum verum eſt de ſubjecto, ſed præter naturam vel intentionem ipſius.

Ut, Vinum frigefacit; Evangelium eſt odor mortis ad mortem; Chriſtus quibuſdam eſt cauſa damnationis. Hîc nota illud Scholaſticorum:

Enunciatum poteſt eſſe neceſſariò verum in ſenſu compoſito ſeu conjuncto, quod tamen non eſt neceſſariò verum in ſenſu diviſo.

Exempli gratiâ: enunciatum hoc, Calidum non eſt frigidum, verum eſt neceſſariò in ſenſu compoſito, quatenus nimirum calidum eſt calidum: at in ſenſu diviſo non eſt neceſſariò

cessariò verum; quia fieri potest, ut id, quod jam est calidum, alio tempore sit frigidum. De æqualiter, plerumque & rarò contingentibus tractat primus philosophus.

Axioma falsum est, in quo prædicatum cum subjecto disponitur contra naturalem rerum habitudinem.

Confer hanc definitionem cum modò dictis de axiomate vero.

Estq; vel necessariò, vel contingenter falsum.

Necessariò falsum est, quod ita falsum est, ut verum esse non possit.

Aliâs dicitur propositio impossibilis: ut, homo est lapis; pius damnatur. Hæc sunt necessariò falsa, quatenus spectantur in sensu composito. Est enim ἁπλῶς ἀδυνάτον, ut homo sit homo & lapis sub formâ hominis, item ut pius quâ pius damnetur.

Contingenter falsum est, quod ita falsum est, ut certo respectu verum esse possit:

Ut, Christus est causa damnationis. Hoc enim est per se falsum, sed ita ut per accidens possit esse verum.

Cap. 4. Axioma simplex & compositum.

Tertiò axioma est vel simplex, vel compositum.

Illud vulgò propositio categorica, hoc hypothetica dicitur.

Axioma simplex est, quod continetur vinculo verbi: *sive, in quo unum de uno prædicatur.* **Axioma simplex.**

Canones ejus duo sunt:

1 Simplex axioma est vel simplicissimum, vel nonsimplicissimum.

Simplicissimum est, quod in alia simpliciora resolvi nequit: ut, homo est. Hoc propriissimè est unum per se. Non-

simplicissimum est,quod in simpliciora resolutionẽ patitur: ut,Homo est animal. Simplex est hoc axioma,sed tamen resolvitur in hæc duo:homo est,animal est. Et quidem ex virtute axiomatis non-simplicissimi infertur simplicissimum,si subjectum sit ens:ut,homo est animal.E.homo est.At si subjectũ sit non-ens,non licet:ut non sequitur:chimæra est actu non-ens.E.chimæra est,vel,est actu.Hinc *Zabar.l.2.de prim. mat.c.3.cis finem ait:* cùm enim de non-ente possit aliquid verè enunciari,non licet ex veritate enunciationis inferre ejus subjectum esse ens,quia potest esse non-ens.

2 Axiomate simplici quodlibet argumentum enunciari potest.

Hoc notetur contra Ramum;qui scribit,plenas comparationes & distributiones non posse enunciari axiomate simplici. Nam ex omni comparatorum,etiam plenorum genere confici potest axioma simplex,quemadmodum testantur hi syllogismi:Sicut se habet aurũ ad ignem,ita fides amicorum ad res adversas.Sed igne exploratur aurum.E.rebus adversis exploratur fides amicorum. Item: Sicut se habet lex ad magistratum,ita magistratus ad subditos.Sed pręesse debet magistratui lex. E. præesse debet subditis magistratus. Hi certè syllogismi sunt simplices;quanquã mutari possint facillimè in compositos. Deinde distributio est unum argumentum quod verbi vinculo conjungitur distributo, ut testantur hi syllogismi: Omne corpus animatum est planta,aut animal. Nullum metallum est planta aut animal. E.nullum metallũ est corpus animatum. Item:Omne animal est homo aut bestia. Nulla stella est homo aut bestia.E.nulla stella est animal. Confer cum *l.7.c.4.* Sunt etiam,qui existimant,diversa non posse disponi axiomate simplici. Sed & hoc falsum est si considerentur illa simpliciter in se,sine respectu ad subjectũ aliquod tertium,cui alterum tribuatur,alterum adimatur. v.g. Quidam sapiens non est pius:quidam formosus non est facundus. Summa:axioma simplex est,in quo unum argumẽtum de themate suo prædicatur vi vinculi verbi substantivi. At hoc fit in comparationibus plenis,distributionibus & diversis enunciandis.E.Objicis:at distributio est argumentum complexum. Resp. Sed complexio illa non est axiomatica, ut supra aliquoties dictum.

Axioma compositum est, quod ex enunciatis simplicibus vinculo conjunctionis inter se colligatis constat.

Ejus canones sunt:

1 Omne compositum in duo vel plura simplicia resolvi potest.

Ratio est manifesta: quia omne compositum est resolubile in sua componentia. Si ergò dicas, Poëtæ & prodesse volunt, & delectare, potes hoc axioma compositum in duo simplicia resolvere.

Tradunt vulgò & hunc canonem hoc in loco:

In omni composito non tam necesse est negari conjunctionem, quàm necesse est negari prædicatum.

Ratio: Quia axioma negatum est, quo aliquid esse negatur, seu quo consequens ab antecedente disjungitur. e. g. hæc axiomata composita sunt negata; Aut dies est, aut non est dies; homo fide, & non operibus justificatur; si infans destitutus est usu rationis, non est homo. In his enim exemplis, inquiunt, consequens dividitur ab antecedente per particulam *non.* Sed hæc sententia non potest consistere. Vide *lib. seq. cap. 7. de syllogismo connexo.* Consequens in exemplis allatis non dividitur ab antecedente, sed cum eo conjungitur, verbi gratiâ, sensus primi axiomatis est: Omne tempus ita se habet; ut ipso durante sit aut dies, aut nox.

2 Axioma compositum judicatur verum vel falsum, necessarium vel contingens, æquè atque simplex, juxta normas capitibus superioribus traditas; non solùm ex copulatione, connexione, discretione & disjunctione verâ vel falsâ, necessariâ vel contingente.

Duplex igitur est modus examinandi compositum axioma quoad veritatem & falsitatem, necessitatem & contingentiam. Prior est principalis, posterior minùs principalis. Hinc regula: Axiomatis compositi necessitas pendet ex necessariâ partium dispositione. Et hic modus est proprius axiomatis compositi. Hic canon dignus est, qui excutiatur. Cùm dicimus, axiomatis compositi veritatem & necessita-

tem æquè atque simplicis, examinari juxta normas superioribus capitibus traditas, hic est sensus: Modus examinandi axioma est vel generalis, vel specialis. Generalis est, qui locum habet in axiomate simplici, & composito: & traditus est capite superiori. Modus specialis, est proprius simplicis, & compositi. Simplicis: quòd in eo veritas & necessitas pendeat ex habitudine terminorum inter se: ut, Deus est bonus, Socrates est doctus. Et hunc modum non intelleximus in canone, quasi in compositi axiomatis examine locum habere possit: sed priorem illum generalem. v. g. hæc propositio est necessaria: Si asinus habet alas, potest volare: quia dispositio partium est necessaria, cùm tamen utriusq; partis termini inter se dissentanei sint, ac proinde falsa enuntiata constituant. Compositi axiomatis veritas & necessitas pendet specialiter ex partium dispositione. Eamus per singulas illius species. Axioma copulatum judicatur esse verum, cùm singulæ partes, quæ in eo copulantur, verè prædicantur de antecedente; vel cùm de ipsis singulis verè prædicatur consequens. Falsum autem esse judicatur, cùm vel una pars falsò prædicatur, vel cùm de unâ parte falsò prædicatur. Sic connexivum judicatur esse verum, non cùm vel antecedens, vel consequens illius verum est: sed cùm consequens cum antecedente verè connectitur, tanquam effectum cum causâ; intelligendo has voces Logicè: quâ ratione præmissæ sunt causa conclusionis. Discretivum judicatur esse verum, cùm & antecedens, & consequens ejus verum est. Sic disjunctivum, cùm disjunctio est necessaria, & perfecta, ita ut nullum membrum possit addi.

4 Compositum axioma vim à simplici aliquo sortitur.

Ratio: quia simplex est causa materialis compositi. verbi gratiâ, hoc axioma; si asinus haberet pennas, volaret: esset infirmum, nisi hoc simplici firmaretur; quidquid habet pennas, volat.

Axioma simplex, est vel congregativum, vel segregativum.

Congregativum est, cujus partes conjunctione congregativâ disponuntur.

Estque

Estque copulatum, vel connexum.

Copulatum est, cujus conjunctio est copulativa: *Ut, Socrates fuit philosophus, & vir bonus.* **Axioma copulatum.**

Ejus canones sunt:

1 Axiomatis copulati modi tres sunt: 1. ubi antecedens continet copulativam conjunctionem. 2. ubi consequens. 3. ubi & antecedens & consequens.

Exemplum primi modi: Cæsar & Cato equitant. Secundi: Aristoteles ambulat & disputat. Tertii: Aristoteles & Plato ambulant & disputant. Ad modum secundum quidam referunt axioma distributivum, quòd in eo unumquodque prædicatorum verè subjecto adjungatur. Sed hoc falsò dicitur. Nam in axiomate distributivo de distributo enunciatur distributio universaliter: at partes distributionis non item: ut, Omnis enunciatio est vera vel falsa, est enunciatum verum. Falsum autem est, si dicas: Omnis enunciatio est vera: vel, Omnis enunciatio est falsa. Alii tamen hoc referunt ad axioma disjunctum; quæ sententia nullo modo potest consistere, ut mox dicetur.

2 Axioma copulatum verum est, quando omnes ejus partes veræ sunt; falsum, non solùm si ambæ partes falsæ sint, sed vel ob unam saltem partem falsam:

Ut, verum est: Deus & misericors est, & simul justus. At falsum: Lapis & corpus animatum est, & propriè crescit. Item: Quidam homo est verè pius, & Deo non placet.

3 Oppositio copulativa æstimatur ex negatione additâ conjunctioni:

Ut, Et fide justificamur, & operibus, est falsum copulatum, cui sic contradices: Non & fide justificamur, & operibus.

4 Copulati axiomatis vim habent comparativa & relativa.

Ut, Qualis rex, talis grex; Non minor est virtus quàm quærere parta tueri; Ubi Deus, ibi alumna ejus patientia.

Axioma connexum est, cujus conjunctio est connexiva.

Ejus canones sunt:

1 *In connexivo omni consequens in antecedentis virtute constituitur.*

Itaque consequens antecedentis veritatem sequitur. Et si antecedens non sit, nec consequens erit. Huc pertinet illud tritum: *Conditionalis nihil ponit in esse*, hoc est, nihil affirmat, nisi vi antecedentis.

2 *In conditionali seu connexo axiomate, utraq; pars potest esse falsa:*

Ut, si asinus volat, habet pennas. Nihilominus tamen connexio est vera. Itaque hujus axiomatis veritas & falsitas non pendet ex partium veritate & falsitate, sed ex partium inter se connexione. Si verum est hoc enunciatum, Si Deus est author peccati, non est summè bonus. At hoc falsum: Si Deus est omnipotens, potest mentiri. Nulla enim est connexio.

3 *Axioma connexum parit vel scientiam, vel opinionem.*

Scientiam, quando est necessaria connexio: ut, si homo est, naturâ Logicus est; si homo est asinus, est quadrupes. Opinionem, cùm connexio est contingens: ut, si me amas, dabis mihi hunc librum.

4 *Hoc axiomate omnia argumenta disponi possunt, exceptis diversis.*

Ratio: Quia diversa leviter consentiunt, & leviter dissentiunt. Connexio autem requirit vel summam consensionem, vel summam dissensionem. Vide *cap. de diversis in libr. 2.*

Axioma segregativum est, cujus conjunctio est segregativa.

Estque vel discretum, vel disjunctum.

Discretum est, cujus conjunctio est discretiva.

Ejus canones sunt:

1 *Axioma*

1 *Axioma discretum, duo argumentorum genera enunciat, consentanea & diversa.*

Consentanea: ut, Quanquam formosa est, tamen est pudica. Quomodo hæc dicantur consentanea, vide supra *lib. 2. cap. de diversis.* *Diversa:* ut, Quanquam Ulysses non est formosus, tamen est facundus. Falsum ergò est, quòd opposita axiomate discretivo enuncientur. Magnum enim vitium est, si opposita enuncientur per conjunctionem discretivam. Nec minùs est magnum, si ea, quæ perpetuæ sunt consensionis, hîc discernantur. Omnis enim propriè dicta discretio est eorum argumentorum, quæ ita consentiunt, ut etiam dissentire, vel ita dissentiunt, ut etiam consentire possint. Hîc velim te observare, conjunctionem SED in axiomate discretivo non esse adversativam, sed discretivam, quia non opponitur adverbio negandi NON, sed conjunctioni discretivæ QUIDEM: ut, Æsopus fuit ille quidem ingeniosus, sed fuit deformis, vel, Æsopus non fuit ille quidem formosus, sed tamen fuit ingeniosus: Deus quidem misericors est, sed tamen etiam justus est.

2 *Vera discretio est, si omnes illius partes veræ sint & discretæ; falsa, si omnes, aut saltem aliqua sit falsa.*

Ut, verum est: Quanquam Deus est misericors, tamen etiam est justus. Falsum: bestia quidem non est homo, sed tamen rationalis: Licet Judas fuerit incredulus, tamen non damnatur.

3 *Per discretum non ridiculum eleganter contradicitur falso connexo.*

Ut, Si Deus permittit peccatum, est author peccati. Sic contradices: Etsi Deus permittit peccatum, tamen non est author peccati.

Axioma disjunctum est, cujus conjunctio est disjunctiva. Axioma disjunctũ.

Ejus canones sunt:

1 *Disjunctum omne est verum, cùm ejus una pars vera.*

Suprà diximus, omnis axiomatis compositi firmitudinem & efficaciam pendere ab uno aliquo simplici. Itaque

falsum est disjunctum axioma, non solùm cùm omnes partes disjunctionis sunt falsæ, sed etiam cùm omnes sunt veræ. Ideò tria requiruntur, ut verum extruas disjunctum. 1. ut partes omnes inter se dissentiant. 2. ut una pars cum subjecto consentiat, & de eo affirmetur. 3. ut reliqua, vel reliquæ à subjecto dissentiant. Itaque ineptum & ridiculi plenum fuerit, extruere disjunctionem ex necessariò connexis: ut, Socrates aut est homo, aut rationis particeps. Vera igitur sunt hæc disjuncta: Homo aut est rationalis, aut irrationalis: Socrates aut est bonus, aut non bonus. Falsa; Equus aut animal est, aut bestia; Socrates aut homo est, aut corpus naturale; Sol aut sanus est, aut ægrotus; Lapis aut cæcus est, aut videns.

2 *Disjunctivum accipit robur & vim à distributivo:*

Ut, Binarius numerus aut est par, aut impar, disjunctivum est; quia omnis numerus aut est par, aut impar; quod distributivum est. Hinc patet, distributivum esse axioma simplex; quia supra diximus, compositum axioma accipere vim suam à simplici aliquo. Itaque qui distributivum axioma ad disjunctivum referunt, præclarè ineptiunt. Rationes discriminis hæ sunt: 1. Disjunctionis una pars duntaxat vera est, distributionis autem omnes; ideoque in axiomaticâ dispositione stant pro uno argumento. 2. In distributivo subjectum non est nisi unum: ut, animal est rationale, vel irrationale. At in disjunctivo subjectum non necessariò est unum, sed sæpe etiam multiplex. In hoc enim conveniunt copulatum & disjunctum, quòd & subjecta & prædicata admittunt indeterminata & multiplicia. Quòd verò hinc quidam colligunt, distributivum axioma esse referendum ad copulatum, eò quòd habeat prædicatum multiplex, jam suprà diluimus. Paucis nos expediamus: Axioma simplex continetur vinculo verbi, & unum argumentum de uno enunciat; compositum contrà. At distributivum continetur vinculo verbi, ut cùm dico, Animal est vel rationale, vel irrationale, conjunctio *vel* non copulat hoc loco, sed τὸ est. Deinde unum de uno dicitur; quia τὸ rationale & irrationale constituunt unum prædica-

prædicatum. Nam in doctrinâ axiomaticâ non seorsim spectantur hæ partes, sed conjunctim, seu in complexione meristicâ. Objicis: Axioma distributivum in duo resolvitur. Ergo est compositum. Respon. Tum expirat relatio illa, videlicet quòd sit distributivum, & consideratur ut copulativum. Itaque nos impugnamus hanc sententiam, quòd distributivum, quâ tale, possit esse copulativum. Alioqui non negamus, quoddam axioma simplex posse considerari ut compositum. exempli gratiâ, retineamus illud, Animal est homo, vel bestia. Si hîc distributio tanquam unicum argumentum enuncietur de distributo, est axioma simplex: at si distributionis partes exponantur, ut factum est à Dn. Piscatore, in tabellâ adjectâ, erit axioma copulatum.

Hæc de axiomate simplici, & composito secundùm species ipsorum; quas inter se si compares, perfectissima erit simplex in formâ & materiâ; perfectione sequetur copulativa; mox connexiva; dehinc discretiva; ad extremum disjunctiva; quem ordinem & nos secuti sumus.

Placet hîc inserere tabellam de axiomatis distributione, quam Clarissimus vir, Dominus Johannes Piscator, senex venerandus, nobiscum communicavit; qui distributionem relativi axiomatis majori ex parte mutuatus est ex Logicâ Rami illustratâ à Goswino Wasserleidero.



- *Categoricum*, quod vinculo verbi substantivi cōtinetur
  - *Simplex*, quod unicam sententiam continet: ut, Deus est justus.
  - *Compositum*, quod plures sententias continet
    - *Copulativum*
      - *Expressè*: ut, Saccarum est dulce & album.
      - *Implicitè*
        - *Relativum*
          - *Comparationis*: ut, Sicut aurum probatur igne, sic fides rebus adversis. Id est, Aurum probatur igne, & similiter fides rebus adversis.
          - *Temporis*: ut, Postquam advenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur. *1. Cor. 13. v. 10.*
          - *Loci*: ut, Ubi non est consilium, ibi perit populus. *Prov. 11. v. 14.* Ubi est cadaver, ibi congregantur aquilæ. *Matthæi 24. v. 28.*
          - *Causæ*: ut, Quoniam fecisti istud, maledictus eris &c. *Genes. 3. v. 14.* Quia auscultasti voci uxoris tuæ &c. maledicta erit terra &c. *Gen. 3. v. 17.*
        - *Discretivum*: ut, Ulysses fuit quidem facundus, sed non fuit formosus. Id est, Ulysses fuit & formosus, & non facundus.
        - *Distributivum*: ut, Animal est aut rationale, aut irrationale. Id est, Animalium quoddam est rationale, & quoddam irrationale.
        - *Prolepticum*: ut, Quanquam Deus est misericors, tamen punit peccatores. Id est, Deus est misericors, & nihilominus punit peccatores.
    - *Disjunctivum*: ut, Homo est aut rationalis, aut irrationalis.
- *Hypotheticum*: seu connexivum, quod vinculo conjunctionis connexivæ continetur: ut, Si Deus est justus, punit peccata.

Cap. 5. Species formales axiomatis minùs principales.

SEquuntur axiomatis ſpecies formales minùs principales, videlicet quòd axioma ſit purum, vel modificatum; ſynonymicum, vel paronymicum; identicum, vel non-identicum; naturale, vel non-naturale.

Axioma purum eſt, in quo copula componit prædicatum cum ſubjecto absq; ullo horum modorum ſubſtantialiũ, nempe neceſſe, contingens, poſſibile, impoſſibile. *Dicitur etiam* axioma abſolutum, *item* propoſitio de ineſſe.

Modi ſunt varii, ut docet Petrus Hiſpanus. Eſt alius nominalis, qui fit per adjectivum, ut homo niger, albus; alius adverbialis, qui fit per adverbium, quod eſt adjectivum verbi, ut eſt apud Priſcianum. Adverbialis alius determinat verbum gratiâ compoſitionis, ut iſti ſex: neceſſariò, contingenter, poſſibiliter, impoſſibiliter, verò, & falsò: alius determinat verbum gratiâ verbi; ut, fortiter agit, currit velociter; alius determinat gratiâ temporis; ut hodiè, cras; alius ratione modi, ut adverbia optandi, hortandi. Sed à Logicis duntaxat conſiderantur illi, qui determinant compoſitionem, ſcilicet axiomatis. Hiſpanus numerat ſex hujusmodi modos, ſed recentiores Logici quatuor, quos in definitione recenſuimus, enumerant. Exemplum axiomatis puri eſt: quidam homo eſt probus, vel, quidam homo moritur.

Axioma modificatum eſt, quod unum habet è quatuor ſolennioribus modis: *aliâs dicitur* propoſitio modalis, *&* axioma determinatum.

Eſtq; vel compoſitum, vel diviſum.

Axioma modificatum compoſitum eſt, quando modus habet locum prædicati:

Sive in communi ſermone locetur in principio, ſive in fine: ut, hominem eſſe animal, neceſſe eſt; figulum fieri regem, eſt contingens; cœlo ſereno tonare, eſt poſſibile; electos ad vitam æternam perire, eſt impoſſibile: neceſſe eſt Deum odiſſe peccatum.

Axioma modificatum diviſum eſt, in quo modus interponitur inter ſubjectum & prædicatum:

Ut, Electos ad vitam æternam eſt neceſſe ſervari; hoc eſt, Electi ad vitam æternam ita ſe habent, ut neceſſe ſit eos ſervari; ludimagiſtrum contingens eſt fieri principem; hoc eſt, ludimagiſter ita ſe habet, ut contingat eum fieri principem; perſecutorem Chriſtianorum poſſibile eſt converti ad fidem Chriſtianam; animam hominis impoſſibile eſt interire. Poſterior modificatio eſt propriè dicta & magis modificatio, quàm prima. Nam ibi modus propriè determinat compoſitionem prædicati cum ſubjecto, ut intelligatur, quàm arctè cohæreant: ut, Homo neceſſariò eſt animal, hîc ſignificatur, quòd compoſitio animalis cum homine ſit neceſſaria, ut ait modò laudatus Hiſpanus.

Axioma ſynonymicum eſt, in quo prædicatum dicitur de ſubjecto συνωνύμως, univocè:

Ut, Homo eſt animal; Socrates eſt homo; juſtitia eſt virtus.

Axioma paronymicum eſt, in quo prædicatum de ſubjecto dicitur παρωνύμως, denominativè:

Ut, Homo eſt rationalis, Socrates eſt prudens, nix eſt alba, Petrus eſt armatus.

Axioma identicum eſt, in quo idem de ſeipſo prædicatur.

Eſtq; vel nugax, vel intenſivum.

Nugax eſt, in quo ſimpliciter idem de eodem prædicatur;

Cujusmodi eſt, quod voce & ſignificatione eſt idem: ut, enſis eſt enſis, proditor eſt proditor, ſcapha eſt ſcapha.

Intenſivum eſt, in quo ſecundùm quid idem de eodem prædicatur;

Cujus-

Cujusmodi eſt,quod vel voce eſt diverſum,ſignificatione idem:ut cùm definitio dicitur de definito,homo eſt animal rationale; vel voce idem, & ſignificatione diverſum: ut,homo eſt homo,hoc eſt, errori obnoxius,mutabilis,fragilis;mundus eſt mundus,hoc eſt,fallax,mendax,tumultuoſus; ſimia eſt ſimia, etiamſi geſtet aurea inſignia; aſinus eſt & manet aſinus, etiamſi aureas geſtet clitellas; conſul ille eſt conſul &c.

Non-identicum eſt, cùm ſubjectum & prædicatum diverſis vocibus diverſas res ſignificantibus efferuntur:

Ut,Homo eſt mortalis;homo eſt homo per animam rationalem.

Axioma naturale eſt,in quo prædicatum cum ſubjecto disponitur ſecundùm naturalem rerum ordinem.

Aliis dicitur *propoſitio ordinata & directa:* ut, homo eſt animal,Socrates eſt doctus.

Axioma non-naturale eſt, in quo prædicatum cum ſubjecto disponitur contra naturalem rerum ordinem. *Dicitur aliâs* propoſitio inordinata, indirecta, præter *&* contra naturam : *ut, quoddam animal eſt homo;omne riſibile eſt homo.*

Sic autem rectificabis axioma non-naturale. Illud eſt verum & naturale ſubjectum, quod extra propoſitionem in ipsâ rerum naturâ ſubjicitur; & id eſt verum ac naturale prædicatum, quod in ipsâ rerum naturâ alteri ineſt. Si ergo dicam,Quidam homo eſt Petrus; nihil feciſſe benignè eſt; & ex *Johan. 1.* Deus erat Sermo; juxta traditam obſervationem ſic rectificabis iſta axiomata non-naturalia; Petrus eſt homo; benignè facere eſt nihil; Sermo erat Deus.

Cap.6. Axioma commune & proprium.

VIdimus ſpecies axiomatis formales: nunc videbimus materiales, quæ ſumuntur ex illius materiâ.

Hæc ſumuntur ex materiâ axiomatis partim reali, partim verbali.

Ex materiâ reali axioma eſt commune, vel proprium, finitum vel infinitum, abſolutum vel determinatum, purum vel mixtum, perſpicuum vel obſcurum.

Axioma commune eſt, cujus ſubjectum eſt univerſale.

Eſtq; definitum, vel indefinitum.

Definitum eſt, quod ſignum univerſalitatis habet ſubjecto expreſsè additum.

Ejus canones ſunt:

1 Etſi ſignum quantitatis non apponitur niſi ſubjecto, tamen vim ſuam ſpargit per totum axioma.

Significat enim ſubjectum, ut ſubjacens illi prædicato. Ideò particula negans præpoſita ſigno facit axioma negatum. Quòd ſi voces illæ Syncategorematicæ, quæ vocantur à Logicis ſigna, adjiciantur prædicato, ut in illis exemplis: Deus vult omnes homines ſalvos fieri; Deus vult quoſdam damnare; non vicem ſignorum obeunt, ſed tantùm faciunt ad determinationem prædicati, ut in illo primo exemplo: Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ſcilicet omnes eos, quos ſalvat, ut Auguſtinus interpretatur: vel, ut alii, Deus vult omnis generis ſalvos fieri.

2 Signum eſt vel affirmans, vel negans.

Exempla jam jam adferemus.

Axioma definitum eſt vel univerſale, vel particulare.

Hæc

Hæc distributio competit axiomati definito principaliter; at indefinito, quatenus reducitur ad definitum.

Universale est, in quo prædicatum universaliter dicitur de subjecto universali: *ut, omnis homo est animal.* Axioma universale.

Aliis dicitur *generale*. Petrus Ramus hanc divisionem ad axioma simplex restrinxit. Sed quo id jure, nullus dum video.

Ejus canones sunt:

1 Signa universalia sunt affirmantia, vel negantia.

Affirmantia sunt; omnis, nemo non, nullus non, quicunque, universi: quotquot, unusquisque, semper, ubique, cunctus. Negantia sunt; nullus, nemo, non ullus, ne unus quidem, nihil, nequicquam, nunquam, nusquam, nullatenus &c. Adverbia, nunquam, nusquam, semper, ubique, etiam faciunt axioma universale: ut, Nusquam tuta fides.

2 Signum OMNIS *subjecto præfixum facit axioma universale, sed non uno modo.*

Nam illa vox sumitur vel distributivè, vel collectivè. Vox Omnis variè sumitur. *Distributivè*, cùm significat subjectum in sua inferiora distribui posse. Et sic est nota distributiva vel in singula generum, vel in genera singulorum. *Distributiva in singula generum est*, quæ significat prædicatum distribui in singula individua subjecto contenta. *Estq; vel absoluta*, cùm res distribuitur simpliciter sine ullâ restrictione: ut, omnis homo est animal: *vel limitata*, cùm restrictio subintelligitur: ut, omne animal erat in arcâ Noë, scilicet omnis generis animalia quæ extra aquas degere poterant. Sic *Johan. 1.* Omnia per eum facta sunt, scilicet ea, quæ facta sunt, non autem increata. Sic *1. Corinth. 15.* omnia subjecta sunt pedibus ejus; ubi Apostolus addit restrictionem, præter eum, inquiens, qui subjecit. Sic *Roman. 5.* Per unam justitiam gratia redundavit in omnes homines, scilicet qui justificantur. *Johan. 3.* Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Hîc ipsa Scriptura determinat universalitatem. Hæc eadem nota est *distributiva in genera singu-*

lorum, cùm prædicatum non in ſingula individua, ſed in individuorum certos ordines & ſtatus distribuitur: ut, Chriſtus curavit omnem morbum, hoc eſt, omnis generis morbos. Sic quidam explicant illud, quod antè paulò aliter explicavimus: Deus vult omnes homines ſalvos fieri, hoc eſt, omnis generis, ſive non ſingula generum, ſed genera ſingulorum. Denique vocula *omnis* ſumitur *collectivè*, cùm ſubjectum in inferiora distribui non poteſt: ut, omnes planetæ ſunt ſeptem; omnes Apoſtoli fuerunt duodecim.

Axioma particulare.

Axioma particulare eſt, in quo ſubjectum univerſale particulariter ſumitur:

Ut, quidam pauperes ſunt beati. Si mavis, ſic defini: axioma particulare eſt, in quo generale ſumitur particulariter.

Ejus canones ſunt:

1 Subjectum axiomatis particularis eſt univerſale, ſed ſignū particularitatis illud particulariter ſumi ſignificat.

Nihil enim impedit, quò minùs de re univerſali poſſit aliquid prædicari non univerſaliter: ut, quoddam animal eſt creatum ad imaginem Dei.

2 Signa particularitatis ſunt affirmata, vel negata.

Affirmata: ut, aliquis, quidam, nonnulli, plerique, interdum, plerumque, ſæpe, ferè. Negata: ut, non omnis, non quilibet, non ſemper &c.

3 Axioma particulare non poteſt fieri univerſale, licet poſſit exponi per univerſale.

Multi ſtatuunt axioma particulare fieri expoſitione univerſale: ut, ſi dicas, quoddam animal intelligit, & ſubjectum ejus exponas per hominem. Sed ſententia hæc abſurda eſt. Nam particulare, quâ particulare, nunquam eſt univerſale, licet poſſit exponi per univerſale. Sic & univerſale axioma poteſt exponi per particulare: ut, omne animal præter hominem eſt irrationale: nec tamen fit particulare.

Axioma indefinitum eſt, cujus ſubjectum ſigno caret.

Signo, inquam, univerſalitatis, vel particularitatis: ut, homo eſt mortalis, heroum filii noxæ.

Canones

Canones ejus duo sunt:

1 *Quod indefinitè dicitur, non necesse est singulis convenire nisi in materia necessariâ:*

Ut, Cretenses sunt mendaces; architecti rejecerunt lapidem angularem Christum. At necessaria sunt hæc: Animal sentit: Homo est animal &c.

2 *Si signum non sit appositum subjecto, sed determinet aliquam vocem prædicati, non est axioma indefinitum.*

Ut, Deus vult omnes homines salvos fieri.

Axioma proprium est, cujus subjectum est singulare: *unde &* propositio singularis dicitur. **Axioma proprium.**

Ejus canon est:

Pronomina, ego, tu, hic, is, quis, qui, ille, ipse, meus, tuus &c. quodvis nomen proprium, & periphrasis rei singularis sunt signa singularis axiomatis.

Exempli gratiâ: Hic homo disputat; Pompejus vicit Cæsarem; &, Cæsar vicit Pompejum; Eversor ille Carthaginis deflevit excidium ejusdem. Nomen itaque *Deus*, cùm propriè sine tropo sumitur, etiam constituit axioma singulare. Nam Deus est individuū, non species, non genus. At quando de sole, lunâ, terrâ, & id genus aliis corporibus naturalibus quædam dicuntur, non sunt axiomata singularia. Ratio: quia hæc talia corpora non sunt individua, sed species infimæ, quæ actu habent unicum duntaxat individuum, ut *lib. 2. de genere & specie* docuimus. Contrarium statuas per me licet.

Cap. 7. Axioma finitum & infinitum.

SEquitur axioma finitum & infinitum.

Axioma finitum est, quod constat terminis finitis:

Ut, omnes electi salvātur, homo est justus, fides justificat.

Axioma finitum & infinitum.

Infinitũ est, quod constat ex terminis infinitis:

Ut, Non populus Dei factus est populus Dei; populus Dei factus est non populus Dei; non moveri est quiescere; quiescere est non-moveri; corpus non-quantum, est non-corpus. Hæc axiomata sunt affirmata: negata ista; homo non est non-homo; Deus non est non-justus; homo non potest non-mori. Neq; verò hæc doctrina de axiomate infinito est inutilis. Facit enim ad discernendum axiomata infinita à negativis: ut, hæ propositiones, Deus potuit non creare mundum: Deus potest ad tempus non punire malos, sunt affirmantes & veræ, sed istæ negantes & falsæ; Deus non potuit creare mundum, Deus non potest punire malos. Utilitatem hujus doctrinæ vide *libro 7. cap. 4. circa finem.*

Cap. 8. Axioma absolutum & determinatum.

Axioma absolutum & determinatum.

SEquitur axioma absolutum & determinatum.

Axioma absolutum est, quod est expers omnis determinationis à signo non ortæ:

Ut, Omnis homo est animal, justitia est virtus.

Determinatum est, quod habet determinationem à signo non ortam.

Determinatio axiomatis est duplex; alia orta à signo, alia non orta à signo. A signo orta: ut, Deus piis remittit omnia peccata. Hîc enim signum, vox *omnia*, determinat prædicatum. At reliquæ determinationes non oriuntur à signo, de quibus nunc dicemus.

Axioma determinatum est exclusivum, exceptivum & restrictivum.

Has propositiones Scholastici vocant *exponibiles:* quia videlicet obscuræ sunt, ideoq; egent expositione.

Axioma exclusivum.

Axioma exclusivum est, quod constat aliquo syncategoremate exclusivo:

Cujusmodi sunt, solus, unus, solùm, tantùm, duntaxat, unicè, præcisè.

Estque

Estque exclusivum vel subjecti, vel prædicati.

Exclusivum subjecti est, cujus subjecto particula exclusiva est addita ad excludenda quævis alia:

Ut, Sola pietas hominem commendat Deo: Tantùm Deus est increatus: Solus sapiens est dives.

Hujus canon est:

Particula exclusiva subjecti non excludit concomitantia, sed adversa:

Ut cùm dico, Solus Pater est Deus, non excludo Filium & Spiritum S. sed tantùm idola & falsos deos vero Deo oppositos. Sic cùm dico, Tantùm homo utitur ratione, non excludo infantẽ, sed tantùm ea, quæ non sunt homo. Sic cùm dico, Sola fides justificat, non excludo Deum.

Exclusivum prædicati est, cujus prædicato est addita particula exclusiva:

Ut, Reprobi agunt tantùm malè; dæmones credunt tantùm historicè; Carthusiani tantùm edunt pisces.

Axioma exceptivum est, quod constat aliquo syncategoremate exceptivo: Axioma exceptivum.

Cujusmodi sunt, præter, præterquam, nisi, nemo nisi &c.

Estque exceptivum subjecti, vel prædicati.

Exceptivum subjecti est, cujus subjecto addita est exceptio:

Ut, Omnia sunt Christo subjecta, excepto eo, qui subjecit ei omnia; omne animal præter hominem est rationis expers; nullus populus, excepto Christiano, ritè Deum colit: nemo est Christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit.

Exceptivum prædicati est, cujus prædicato addita est exceptio:

Ut, Deus creavit omnia præter se: Cœlum tegit omnia præter se.

Axioma restrictivum est, quod habet additam particulam restrictivam seu limitantem: Axioma restrictivum.

Cujusmodi ſunt, quatenus, quâ, in quantũ, hoc reſpectu, ſecundùm illud &c. Aliâs dicitur propoſitio reduplicativa.

Ejus canones ſunt:

1 Limitatio ſit comparata ad docendum.

Limitatio nihil eſt aliud, quàm diſtinctio & determinatio ejus, ſecundùm quod prædicatũ convenit ſubjecto, vel non convenit. Itaq; ſic erit comparata, ut rem non involvat, non obſcuret. Hâc in parte hodie peccatur à multis, qui comminiſcuntur diſtinctiunculas pro lubitu.

2 Limitatio generalis concipi debet maximam partem terminis Metaphyſicis.

Hujusmodi limitationes ſunt; per ſe vel per accidens; abſolutè vel reſpectivè; eminenter vel formaliter; actu primo vel ſecundo &c.

3 Limitatio ſpecialis concipi debet terminis ad quamq; rem propriè pertinentibus.

Et hæc eſt, vel ſimplex, vel compoſita. *Simplex* eſt, cùm res limitatur per ſeipſam: dicitur Scholaſticis *ſpecificativa*: ut, animal, quatenus animal, ſentit; ens, in quantum ens, eſt ſubjectum Metaphyſices. Aliis dicitur *uniformis*. *Limitatio compoſita* eſt, quæ rem limitat per aliquid diverſum à ſubjecto. Dicitur etiam *biformis*. Eſtq; vel *generica*, *vel partialis*, quæ & Synecdochica dicitur; *vel accidentalis*; cùm nimirum res limitatur vel per ſuum genus; ut, homo, quâ corpus, videtur; vel per partem aliquam; ut, homo, quoad animam, eſt immortalis; vel per accidens aliquod; ut, ignis, quâ calidus, non quâ ſiccus, urit; vinum, quatenus moderatè ſumitur, conducit ad valetudinem; Chriſtus, quâ homo, eſt minor Patre; homo aliquis eſt magnus & parvus, pater & filius, diverſo reſpectu. Quoties igitur occurrit limitatio, & cupis videre an proba ſit nec ne; examina illam juxta hanc doctrinam. Si eſt bona; eſt vel generalis, vel ſpecialis. Si ſpecialis; eſt vel ſimplex, vel compoſita. Si compoſita; eſt vel generica, vel partialis, vel accidentalis. Aliæ limitationes non dantur præter has; vel ſi dantur, aut ad illas revocari poſſunt, aut inanes ſunt.

Cap.

Cap. 9. Axioma purum & mixtum.

Penultimo loco axioma ex materia reali dividitur in purum & mixtum. Axioma purum & mixtum.

Axioma purum est, quod constat ex terminis unius disciplinæ.

Aliis dicitur *homogeneum*: ut, homo est animal; nullum metallum, est corpus animatum; Christus est Messias.

Axioma mixtum est, quod constat ex terminis diversarum disciplinarum:

Ut, omnis homo est ens; quidam homo est civis; Deus est numero unus.

Canon hujus loci est unicus:

In dijudicando, vel etiam rectè informando, axiomate, suscipiatur prima cogitatio, ad quam disciplinam pertineant ipsius termini.

Hic canon facit contra illos, qui existimant, distributionem axiomatis in purum & mixtum nullius esse usus. Imò verò non solùm est alicujus usus, sed usus primarii. Si enim de quolibet themate judicandum est è propria sede; certè de partibus axiomatis idem statuendum fuerit. Vide *cap. 12. libr. 1.* hujus institutionis Logicæ. Solent quidam axioma purum dividere in protonoëmaticũ & deuteronoëmaticum. Illud alii vocant reale, hoc notionale. Illud dicunt, in quo sunt meri termini notionis primæ: ut, Plato est doctus, Deus est justus: hoc in quo sunt meri termini notionis secundæ: ut, genus est totum, species est pars generis. Sed Keckermannus notionale & deuteronoëmaticum vocat, in quo notio secunda de primâ prædicatur: ut, homo est species, animal est genus.

Cap. 10. Axioma perſpicuum & obſcurum.

Axioma perſpicuum & obſcurū.

ULtimo loco axioma è materiâ ſuâ reali eſt perſpicuum, vel obſcurum.

Hæc axiomatis diviſio eſt materialis, & quidem ſumta ex materiâ reali axiomatis. Nam de perſpicuitate & obſcuritate, quæ eſt in ſimplicibus vocibus, diximus *lib. 1.* At hîc agitur de perſpicuitate & obſcuritate, quatenus eſt in totâ ratione.

Axioma perſpicuum eſt, quod ſenſum habet planum: *ideoq; nullius interpretationis eſt indigum.*

Talia ſunt prima principia, iisque proximę concluſiones; item dicta quotidiano uſu frequentata: ut, Bis duo ſunt quatuor, totum eſt majus ſuâ parte, rotunda ſunt capaciora quadratis.

Axioma obſcurum eſt, quod ſenſum habet involutum: *ideoq; interpretationis indigum eſt.*

Ejus canones ſunt:

1 *Diſtinguere oportet inter* τὰ ἐπιστητά, *&* τὰ πιστά, *hoc eſt, ſcibilia & credibilia.*

Niſi hoc fiat, multa axiomata tractantia de rebus naturalibus, obſcura nimiùm videbuntur. Πιστὰ examinentur ad normas Logicas, ſervatâ differentiâ inter res divinas & humanas.

2 *Propoſitio obſcura reducatur ad certam diſciplinam.*

Nam de unaquâque re judicare oportet è principiis diſciplinæ illius, in quâ res iſta continetur.

3 *Expoſitio optima ſuppeditatur à ſcopo.*

Intellige ſcopum primarium.

4 *Natura rei, de quâ agitur, ſuppeditat optimam expoſitionem.*

Nam modus prædicandi ſequitur modum eſſendi.

5 Si

5 Si axioma sit in contextu, series contextus perpendatur, & collatio instituatur cum locis partim similibus, iisq; clarioribus, partim dissimilibus.

Cap. 11. Divisio axiomatis è materiâ verbali.

COnsideravimus species axiomatis, quæ sumuntur ex materiâ ipsius reali: nunc breviter consideremus illas, quæ sumuntur ex materiâ verbali.

Ex materia verbali axioma est proprium vel improprium, certum vel ambiguum.

Axioma proprium est, quod ornatus Rhetorici expers est:

Ut, Homo ridet, Deus est omnipotens.

Axioma improprium est, quod Rhetoricè est ornatum.

Estque vel tropicum, vel figuratum.

Tropicum est, quod constat ex vocabulis, vel merè, vel ex parte tropicis:

Ut, Herodes est vulpes, Christus est vitis. Meri tropi sunt in hoc axiomate: Athenæ Patavinæ florent.

Figuratum est, quod figurâ aliquâ exornatum est:

Ut, Dum homo agnoscit, Deus ignoscit.

De utroque sunt canones:

1 Omne axioma proprium potest converti in improprium, & contrà.

Hîc non ex professo docendum est de tropo & figurâ: sed obiter attingenda est hæc axiomatis divisio.

2 Nullum axioma improprium rectè potest secun-

dùm veritatem & falſitatem dijudicari, niſi mutetur in proprium.

Ratio: quia ſermo proprius eſt prior improprio. Quod autem prius eſt aliquo, id menſura eſt.

Cap. 12. Expoſitio axiomatica.

VIdimus ſpecies axiomatis: nunc videamus communes affectiones, quæ naturam axiomatis conſequuntur.

Illarum aliæ conveniunt axiomati per ſe & ſeorſum conſiderato, aliæ illi cum aliis axiomatis collato conveniunt.

Affectiones axiomati ſeorſum cõſiderato convenientes ſunt expoſitio, & crypſis axiomatica.

Expoſitio axiomatica eſt, quo axioma ſecundùm terminos ſuos declaratur.

Examen vulgare axiomatis. Vulgò in examine cujusque propoſitionis tria quærunt, videlicet *quæ, qualis, quanta*. Particula *quæ* de his tribus inprimis quærit, ſimpléxne ſit an compoſita, naturalis an contra naturam, propria an figurata. *Qualis* de qualitate. Eſt autem qualitas propoſitionum, quòd vel affirment vel negent. *Quanta* de quantitate. Quantitas conſiſtit in ſignis, ex quibus propoſitio dividitur in communem, particularem & ſingularem. e. g. *Verbum erat Deus.* Quæ, qualis, quanta, hæc propoſitio? Eſt enunciatio ſimplex, naturalis, propria, affirmans, ſingularis. *Deus eſt homo,* quæ, qualis, quanta? Simplex, naturalis, propria, affirmans, ſingularis. *Crell. in isag. Logic.* Sed hoc loco per expoſitionem axiomaticam non intelligimus illam quærendi formulam, ſed cujusque axiomatis declarationem quoad terminos, ut è ſequentibus patebit. Per terminos intellige partes axiomatis, ſubjectum & prædicatum.

Expoſitio axiomatica eſt terminorum vel acceptio, vel appellatio.

Acceptio

Acceptio terminorum est determinatio significationis, quam vox aliqua in axiomate sustinet. Acceptio terminorũ in axiomate.

Scholasticis dicitur *suppositio*, & *supponere* idem ipsis est, quod accipi. v. g. cùm dicitur, *Homo disputat*, ajunt in hoc axiomate hominem supponere pro individuo, hoc est, accipi pro individuo. Si quis dicat, *Homo est mortalis*, dicunt vocem *homo* accipi pro vivo, non picto, vel mortuo.

Acceptio terminorum est, vel materialis, vel formalis.

Acceptio materialis est, quâ terminus in axiomate accipitur pro literis & syllabis, è quibus constat, tanquam ex materiâ: *aliâs dicitur* acceptio *seu* suppositio technica.

Hujus canon est:

Subjectum axiomatis, de quo prædicatur aliqua notio secunda, accipitur materialiter.

Alii sic efferunt: Quando prædicatũ est terminus Grammaticus, Rhetoricus, vel Logicus, subjectum accipitur materialiter: ut, Animal est nomen; homo est nominativi casus; homo constat corpore & animâ, est axioma simplex. In postremo hoc exemplo tota ista oratio, *homo constat corpore & animâ*, accipitur τεχνικῶς pro subjecto.

Acceptio formalis est, quâ terminus in axiomate accipitur pro re significatâ.

Dicitur formalis, quia attenditur forma vocis, nimirum ipsa significatio. Scholasticis dicitur *suppositio significativa*, item *personalis*, & *pro reipsâ*.

Acceptio formalis est propria, tropica, vel abusiva.

Acceptio propria est, quâ vox in nativâ significatione accipitur: *ut, Agnus est animal, turtur est avis.*

Estque naturalis, vel accidentaria.

Acceptio naturalis est, quâ terminus in axio-

mate accipitur ſine temporis certi reſpectu.

Aliâs dicitur *acceptio eſſentialis*, & *doctrinalis*. Eſſentialis quidem; quia termini in hujuſmodi axiomatibus ſignificat vel partes eſſentiæ, vel propria eſſentiam immediatè conſequentia. Doctrinalis verò; quia in docendis diſciplinis maximè locum habet.

Ejus canon eſt:

Subjecta & prædicata accipiuntur naturaliter in axiomatibus, quæ ſunt ſempiternæ veritatis.

Exempli gratiâ: Homò eſt animal; homo eſt capax diſciplinę; Deus eſt juſtus &c. ſunt axiomata quovis tempore vera; Ideò ſubjecta & prędicata dicuntur accipi naturaliter. Dicunt vulgò, in iſtis axiomatis copulam abſolvi à tempore, hoc eſt, nullam temporis differentiam importare, neq; præſens, neque præteritum, neque futurum.

Acceptio accidentaria eſt, quâ terminus in axiomate accipitur cum certi temporis reſpectu.

Hoc fit in axiomatibus, quæ non ſunt perpetuæ veritatis: ut, Corpus Chriſti eſt glorioſum. Hic prædicatum accipitur accidentaliter, quia in ſtatu exinanitionis corpus Chriſti non erat glorioſum.

Eſtque vel ſingularis, vel communis.

Acceptio ſingularis eſt, quâ terminus axiomatis accipitur individualiter.

Scholaſticis dicitur *ſuppoſitio diſcreta*: ut, Chriſtus eſt ſervator mundi; Deus loquitur; homo currit; Philoſophi ſententia eſt, Vitæ additur quod ſomno inerti detrahis. In his axiomatibus ſubjecta accipiuntur ſingulariter ſeu diſcretè, hoc eſt, de certis individuis.

Acceptio communis eſt, qua terminus axiomatis ſumitur pro re communi.

Eſtque determinata, vel confuſa.

Acceptio determinata eſt, qua terminus accipitur pro re diſtincta:

Ut, Vir-

Ut, Virtutis alicujus eſt ſuum cuique tribuere. Hîc ſubjectum accipitur pro certâ virtutis ſpecie, nimirum juſtitiâ.

Acceptio confuſa eſt, quâ terminus accipitur indeterminatè ſeu indiſtinctè:

Ut, Homo eſt animal, omne vitium eſt deteſtandum. Hîc prædicatum animal accipitur confusè. Nam aliud eſt rationale, aliud irrationale. Sic & τὸ omne vitium indiſtinctè accipitur. Huc etiam pertinet *acceptio diſtributiva*, ſive terminus accipiatur pro ſingulis generum: ut, omnis virtus laudem meretur; ſive pro generibus ſingulorum: ut, omne animal fuit in arcâ Noë, hoc eſt, omnis generis animalia. Nam & hæc poſterior propoſitio ſic poteſt explicari. Aliter quî explicetur, vide ſuprà *cap. 6.*

Acceptio tropica eſt, qua vox accipitur in modificata ſignificatione:

Ut, Vina coronant, hoc eſt, vaſa, quibus continentur vina.

Acceptio abuſiva eſt, qua vox accipitur in duriori ſignificatione: *Ut,*

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem:

Sperare, pro timere ponitur.

Appellatio terminorum eſt, qua termini in axiomate aliquid important, quod primâ fronte non apparet. **Appellatio terminorũ in axiomate.**

Eſtque ampliatio, vel reſtrictio.

Ampliatio eſt, qua ſignificatio termini aliquid ultra id pro quo accipitur importat:

Ut, Cor regis eſt in manu Dei. Hîc ſubjectum *cor regis* ad totum genus humanum extenditur. Sic *Johan. 5. verſ. 17.* Pater meus adhuc operatur, & ego operor. Hîc verbum *operor* ampliandum eſt, & ad præteritum & futurum extendendum. Sic, Improbus Deo diſplicet; ſubjectum *improbus* appellat, hoc eſt, ultra hominem, qui improbus dicitur, importat etiam improbitatem. Sic in illis axiomatibus, Pauci norunt Imperatorem, Pauci norunt quid ſit eſſe Chriſtianum, & in illo Theodoſii Magni, Nullum

novi episcopum præter Ambrosium; termini *Imperatorem, Christianum*, & *episcopum* appellant, seu important aliquid amplius quàm vulgò significant: ita ut Imperator non accipiatur solùm pro personâ, sed connotet omnia quæcunque Imperatori conveniunt, quatenus Imperator est; item Christianus & episcopus accipiantur non tantùm pro iis, qui tales sunt nomine & vocatione, sed etiam reapse tales, vitâ nimirum & factis.

Restrictio est termini contractio.

Estque primaria, vel secundaria.

Restrictio primaria est, qua terminus generalis pro paucioribus accipitur:

Ut, *Psalm.119.vers.96.* Omni perfectioni vidi finem. Hîc subjectum est restringendum ad res creatas, quæ judicio humano censentur perfectæ. Sic *Johan.3.vers.17.* Non misit Deus Filium suum in mundum, ut mundum judicet: hîc verbum *judicet* non est amplè accipiendam, quasi nullo tempore Christus judicet aut judicaverit aut judicaturus sit mundum, sed strictè; nimirum restringendum est ad tempus exinanitionis. Illo enim tempore Christus non fuit missus ut judicaret, sed ut servaret. Ita cùm Christus dicit; Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me, Patris; illud *non est mea* restringi debet hoc modo: Doctrina, quam annuncio, non est mea, quatenus sum homo vilis & nudus in oculis vestris. Sic *Johan.5.vers.22.* Pater non judicat quenquam; vox *judicat* strictè debet accipi, hoc sensu: Pater non judicat quenquam separatim à Filio. Sic *1.Cor.15.vers.22.* sicut in Adamo omnes moriuntur, *nimirum quotquot moriuntur*: ita & in Christo omnes vivificantur, *nimirum quotquot vivificantur.* Sic *Rom.5.vers.18.* Per unam justitiam gratia redundavit in omnes homines ad justificationem vitæ. Hîc *omnes homines* intelliguntur non simpliciter, sed quotquot justificantur. Sic cùm homo dicitur toto corde Deum amare, id de toto καθ᾽ ὅλ. sive toto accommodatæ acceptionis intelligi debet. Sic cœlum tegit omnia, scil. quæ ipsi subjecta sunt.

Restrictio secundaria est, quâ terminus ab aliâ re ipsi appositâ denominatur.

Estque

Estque vel formalis, vel materialis.

Restrictio formalis est, quâ terminus denominatur secundùm formale ipsius significatum:

Ut, Impius homo Deo displicet, scilicet quâ impius, non quâ homo.

Restrictio materialis est, quâ terminus denominatur secundùm materiale ipsius significatum:

Ut, Impius homo Deo placet, non quâ impius, sed quâ homo.

Cap. 13. Crypsis axiomatica.

CRypsis axiomatica est affectio axiomatis extraordinaria, seu præternaturalis.

Estque vel formalis, vel materialis.

Crypsis formalis est, quâ axioma est crypticum ratione connexionis; *seu, modo prædicandi.* Crypsis axiomatica.

Ejus canones sunt:

1 A crypsi formali axioma denominatur improprium seu irregulare Logicum.

Quàm necessaria est distinctio vocum in proprias & improprias, syntaxeωs in simplicem & figuratam, seu analogam & anomalam, syllogismi in manifestum & nec-manifestum, methodi in rectam & deflectentem: tam necessaria est, ait *Goclenius in disp. 2. anni 1606.* distinctio veræ prædicationis in regularem seu canonicam, & irregularem. Hanc distinctionem tradunt etiam *Augustinus Hunnæus in generalibus Logicæ præceptis, Beza, Scherbius in dissertatione contra Ramistas, Keckermannus, & magnus ille Melanchthon.* Rationes adferunt duàs potissimùm. 1. Quidquid deflectit à regulâ Logicâ, est aut improprium & irregulare, aut falsum. Multæ propositiones Spiritus sancti, Aristotelis, Galeni, & aliorum, deflectunt à regulâ Logicâ. Ergò illæ propositiones aut falsæ sunt, aut impropriæ. Eas autem dicere falsas, impium est, si spectes propositiones in S. literis; & omnes

Propositiones impropriæ in Logicis quæ sint?

Aristotelis &c. Propositiones deflectentes à regula Logica, dicere falsas, absurdum est. Ergò quædam propositiones sunt impropriæ. Assumtio paulò pòst probabitur inductione exemplorũ. At enim, inquis, orationes quæ deflectunt à regula Logica, sunt orationes Rhetoricę. Resp. Exceptio pertinet eódẽ, quò regula. Regula, Logica est. E. & exceptio. Probatur major. Regula & exceptio sunt homogenea: ut, regula hęc, In o masculina sunt, Grammatica est. E. & exceptio hęc, Legio, regio &c. fœminina sunt, Grammatica est ex lege homogeniæ. Vide *topicorum legalium Everhard. locum. 9.* Hinc Philosophi dicunt: *Cujus disciplinæ est regula, ejusdem est exceptio.* Item interpretes regularum juris ajunt: *Exceptio est de regulâ.* Et alius dicit: *Exceptio cõtinetur sub regulâ, ut pars continetur in toto.* Profectò si regula est Rhetoricæ, non video quomodo exceptio possit esse Physicæ. 2. Si connexio seu synthesis impropria est, erit quoque propositio impropria. Sed illud. Ergò & hoc. Ratio consequentiæ est: quia, ut suprà disputavimus, dispositio est forma axiomatis. At illa dispositio est vel vera, vel falsa. Vera est propria, vel impropria. Propria est, cùm argumentum disponitur cum themate suo secundùm regulas Logicas. Impropria est, cùm argumentum disponitur cum themate suo irregulariter: ut, flammæ in ore Apostolorum erant Spiritus sanctus. Figurata est hæc prædicatio, ait Goclenius, id est impropria, non quia singulæ voces sunt impropriæ (neque enim tropus est in voce *flammæ*, neque in voce *ore*, neque *Apostolorum*, neque *erant*, neque *Spiritus sanctus*) sed quia enunciatio est irregularis synthesi, pro hâc regulari: Cum illâ re visibili verè aderat Spiritus sanctus. Alii tamen statuunt tropum in prædicato, hoc modo, flammæ erant Spiritus sanctus, hoc est, signum Spiritus sancti. Et nos posteriorem explicationem amplectimur, quòd sit tropus in hâc sententiâ. Sed contendimus nihilominus esse impropriam Logicè. Etsi verò hæc propositio figurata congruit cum regulari & propriâ in hermeneiâ, hoc est, interpretatione; tamen non in synthesi, hoc est, compositione, quæ impropria est. Cæterùm diximus in canone, improprium seu irregulare *Logicum*. Nam est irregularitas alia Grammatica, alia Rhetorica, alia Logica. Hoc sensu alii prædicationem impropriam dividunt

dividunt in Logicam & Rhetoricam. Impropriam prædicationem Logicam definiunt, in quâ ratio enunciandi recedit à regulâ; Rhetoricam, in quâ prædicatum est tropo affectum. Ibi est improprietas prædicationis, hîc significationis.

2 *Non mutuò se excludunt axioma tropo vocis affectum seu modificatum Rhetoricè, & improprium Logicum.*

Hoc est, potest esse oratio & modificata Rhetoricè, & impropria Logicè. e.g. hæc propositio, Herodes est similis vulpi, vel est astutus instar vulpis, est regularis Logica. Ergò hęc, Herodes est vulpes, erit irregularis Logica, id est, in eâ vulpes prædicabitur de Herode non regulariter. Et eadem propositio est Rhetoricè modificata. Quando dico, Christus est salus nostra, pro, est author salutis; vinum est audax, pro, facit audaces; metus est mœstus, pro facit mœstos; est metonymia. Sed hæc metonymia non excludit prædicationem impropriam Logicam. Nam est præceptum Logicum; effectum non prædicatur de causâ efficiente, scil. directè seu regulariter. Ergò obliquè & irregulariter potest prædicari. Itaque hoc est judicium Logicum: Quod causæ non inest, sed ab eâ separatum est, id recto casu nunquam de ea potest propriè prædicari. Audacia ut effectum non inest vino, ut efficienti, sed est extra vini essentiam. Ergò audacia de vino propriè prædicari non potest. Sic si dicam, Sermo Dei est vita, pro, vivificans; Fides est justitia, pro, est instrumentum seu medium justitiæ Christi apprehendendæ; Circumcisio est fœdus, pro, est signum fœderis, vel instrumentum per quod fœdus Dei semini Abrahæ obsignatum est; quando, inquam, sic dico, tropus est metonymiæ. Sed hic tropus non excludit prædicationem Logicam impropriam. Nam Logicus docet, impropriâ compositione dici effectum de causâ. Præterea Logicus docet, accidens dici de subjecto propriè παρωνύμως, hoc est, voce concreti, verbi gratiâ: puella hæc est casta; non autem voce abstracti, hæc puella est castitas. Hoc, inquam, me docet una Logica, non Rhetorica. Sed Rhetorica me docet, tropum esse in voce *castitas*.

3 Crypsis in attributione in enunciatum verum non inducit falsitatem.

Sicut crypsis in syllogismo non infert inconsequentiam: sic anomalia attributionis non inducit falsitatem in axioma verum. Itaque utrumque verum est: tyrannus est effrenatâ nocendi libidine lupo similis; & tyrannus est lupus. In illo accidens tribuitur suo subjecto: in isto idem accidens eidem subjecto tribuitur, sed irregulariter.

4 Eadem manet affectio subjecti ad prædicatum, & prædicati ad subjectum in propriis & impropriis attributionibus æquipollentibus: tota earum differentia consistit in orationis diversâ conformitate.

Verbi gratiâ, si dicam; Herodes est similis vulpi, propter astutiam, adjunctum suo subjecto tribuitur. Si dicam, Herodes est vulpes, unum idemque adjunctum de eodem subjecto enunciatur. Nam quod ad sensum attinet, Herodes & vulpes non sunt disparata. Est enim prædicatio accidentalis. Objicis, ita confundi argumentum subjecti cum argumento disparatorum. Resp. Minimè gentium. Nam accidens tribuitur subjecto suo vel simpliciter, ut Herodes est similis vulpi; vel secundùm quid, ut Herodes est vulpes. Idem judicium esto de illis exemplis: Titius est similis asino, & Titius est asinus; homo est similis bullæ, & homo est bulla. Hîc in priori axiomate accidens tribuitur subjecto absolutè & simpliciter; in posteriori comparatè & secundùm quid. Prior igitur propositio est enunciatio accidentalis absoluta, posterior est prædicatio accidentalis comparativa. Huc pertinet canon: *Disparatum impropriè tribuitur subjecto, non ut disparatum, sed ut comparatum.*

5 Prædicatio impropria est vel causalis, vel signata; vel metaphorica, vel synecdochica.

Prædicatio impropria causalis est, quâ unum extremum alteri ad ejus causam designandam non repugnante loquendi consuetudine conjungitur. e. g. Ira est fervor sanguinis circa cor, est oratio vera sensu causali. Nec enim ira, quæ est affectio animi, propriè loquendo est fervor seu ebullitio, sed existit

existit ex illâ ebullitione,& ebullitio illa existit ex irâ,sed diverso respectu. Huc refer & illa: Hic bolus est mihi mors, hoc est,mortifer: **Diser trunck sey mein tod**/pro,hic potus afferat mihi mortem; εἵματα ἀνὴρ, χρήματα ἀνὴρ,hoc est,vestes sunt vir,pecuniæ sunt vir,pro,faciunt virum, id est,declarant qualis sit vir. Evangelium est vita æterna, pro, est causa vitæ æternæ. Hinc est,quòd Scholastici toties in suis scriptis τὸ propriè esse vocant formaliter esse, & τὸ impropriè esse vocant esse causaliter,seu per modum causæ,item per necessariam connexionem:ut, philosophus *2.Physicorum contextu 15.* dicit,Privationem esse quodammodo formam,hoc est, impropriè:quia privatio non est essentialiter seu formaliter formã,sed per necessariam connexionem seu per concomitantiam. *Zabar. lib.1. de mat. rer. prim. cap.7.* Averroës ait:motus est perfectio calidi. Hoc verum est,non formaliter (motus enim non est forma caloris) sed causaliter. *Zabar. l.1. de calore cœl. cap.3.* Impropriè igitur. Propria enim seu formalis propositio est:motus est productivus & conservativus caloris. Huc pertinent & illa:Eclipsis Lunæ est interpositio terræ inter duo lumina magna; Hæc axiomata vera sunt,sed impropriè. Nam Logicorum canon est, efficientem causam non dici de effecto directè,sed obliquè. Et rursus effectũ dici de efficiente obliquè. *Philippus Scherbius in dissert.contra Ramistas cap.6.* propositiones causales distinguit ab effectivis.Exempla hæc adducit:Natura est ordo;pro,ubi natura est,ibi ordo;motus corporum cœlestium est vita sublunarium;immobilitas cordis est mors;naturalis philosophia est discussio dubitationum naturaliter de naturâ rerum subrepentium;rectè aciem instruere est vincere. Has improprias dicit,in quibus de causâ prædicatur effectum directè,contra canonem Logicum. Dolor est solutio continui; fames est sensus suctionis; dubitatio est syllogismus dialecticus antiphaseos; scientia est syllogismus apodicticus. Has propositiones vocat improprias,in quibus de effecto prædicatur causa directè,cùm obliquè deberet. Hæ, ait Scherbius, quia in vulgus insolentiores, h. e. minùs usitatæ sunt,sæpe radunt aures imperitorum,qui faciliùs admittunt (ut magis usitatas & proprias) si pro *est* in prioribus quidem ponatur *efficit,est causa,fit propter hoc*,aut quid

simile: in posterioribus verò *nascitur*; ut, motus circularis corporum cœlestium est causa vitæ sublunarium, dolor nascitur è solutione continui. Sic impropria est, linea est fluxus puncti: propria, linea existit è fluxu puncti. Sic impropriæ sunt attributiones, vita bestiæ est sanguis; corpus est materia & forma; & vicissim; materia & forma est corpus. Jam si quæras, cur dicatur causaliter, Eclipsis est interpositio &c. at non dicatur causaliter, angelus est Deus? Responderi potest è datâ definitione prædicationis causalis; quia hîc loquendi consuetudo repugnat. Sic rectè dicitur, Deus est omnia, in sensu causali. Prædicatio impropria signata est, in qua signatum de signo prædicatur: ut, circumcisio est fœdus. Huc refer locutiones Sacramentales, quas vocant Theologi. Prædicatio impropria metaphorica est, in quâ disparatum dicitur de disparato propter similem qualitatem: ut, Herodes est vulpes, tyrannus est lupus &c. De prædicatione impropriâ synecdochicâ vide paulò pòst. Cæterùm Scholastici quidam has improprias prædicationes vocant extrinsecas & extrinsecùs denominantes, quib. opponunt formales seu internas. Vide Titelmannum. Hunnæus prædicationem impropriam vocat prædicationẽ per concomitantiam, i.e. connexionẽ seu conjunctionem. Ratio: quia propositio impropria secundùm proprietatem sermonis habetur falsa, sed tamen est vera, quia res significata per unum extremum denotatur cum re significatâ per alterum extremũ simul existere. Quidã omnes propositiones synecdochicas, quas vocamus in Logicis limitatas, vocant Logicè improprias: ut, homo est immortalis, scil. quoad animam; Christus est mortuus, quoad humanitatem. Deus est passus, κατ' ἄλλο. Verùm hæ non sunt propositiones impropriæ Logicè: quia in iis regulariter dicitur de toto, quod ei convenit per & propter unam partem. Sed hæ sunt: Germani sunt bibuli; Cretenses sunt mendaces: quia hîc est crypsis signi particularis. Itaque quædam prædicationes synecdochicæ sunt Logicè impropriæ. Ex his efficitur 1. Non omnes prædicationes tropicas esse Logicè improprias, sed tantùm quasdam metonymicas & synecdochicas, omnesque metaphoricas. 2. Impropriè Logicas prædicationes esse, cùm aliquis horum canonum videtur violatus: Nulla causa est propriè suus effectus; nullus effe-

lus effectus est propriè sua causa;ideoque,nec causa de effecto,nec effectum de causâ potest prædicari συνωνύμως, uti prædicatur genus de specie;accidens παρωνύμως prædicatur de subjecto, non συνωνύμως, nisi impropriè; disparatum de disparato non prædicatur propriè. Unica hîc quæstio decidenda,quid statuendum sit de propositionibus insitatis, quales sunt illæ de Filio Dei:Deus est homo,Verbum caro factum est? Resp.Propositiones inusitatæ sunt singulares,ut ajunt Scholastici & Melanchthon; h. e. duntaxat locum habent in unico individuo,quod est Christus.Vocantur autem inusitatæ;quia illarum exempla non sunt in totâ rerũ universitate,seu quia res est inusitata,quæ enunciatur. Non igitur istæ propositiones sunt Logicè impropriæ.Ratio: quia rei inusitatę modus enunciandi est proprius,& congruit ad regulas Logicas. Objicis:Quando disparatum dicitur de disparato,est propositio Logικῶς impropria. Sed in hâc propositione,Deus est homo,hoc fit. Ergò.Respon.ad minorem. Filius Dei & Filius hominis sunt unum per œconomiam seu mysterium incarnationis. Sunt igitur consentanea,præsupposito incarnationis mysterio. Itaque cùm dico;Christus constat ex τῷ λόγῳ,& humanâ naturâ;quasi partes,hoc est,analogicè dictas, prædico de toto. Partes enim cum toto consentiunt:ut,homo constat corpore & animâ. Dico,quasi partes enunciari de toto.Christus enim quasi σύνθετος est ex λόγῳ & humanâ naturâ,non tanquam ex materiâ & formâ,sed modo singulariter mirabili & mirabiliter singulari. Sed quando dico, Deus est homo,Filius Dei est filius Mariæ, & vicissim, est prædicatio quasi partis de personâ Christi ab alterutrâ naturâ denominatâ. Profectò blasphemiæ plenum est, si quis dicat, Filium Dei & Filium Mariæ esse disparata. Disparata enim differunt re, seu subjecto. At hîc est unum subjectum, sive una persona. Alii dicunt has inusitatas prædicationes esse identicas,cùm dicimus:Filius Mariæ est Filius Dei,Homo est Deus. Nam, inquiunt,Hic Filius Mariæ, hoc est,Jesus Nazarenus, est Filius Dei, hoc est, λόγος, idem de se ipso aliter nominato prædicatur:una scilicet eademque persona denominatur à naturâ divinâ Dei Filius, ab humanâ hominis Filius: non alia persona appellatione Filii DEI,

Propositiones inusitatæ quæ sint?

& alia appellatione Filii hominis notatur. Schegkius hanc propositionem, Filius Dei est incarnatus, seu, (ut loquitur cum barbaris) humanatus, reducit ad prædicationem accidentis de subjecto. *in 7. topic.* Fonseca asserit esse prædicationem assumtæ speciei de individuo, si quis dicat; Deus est homo. Si cum grano salis istæ sententiæ accipiantur, tolerari possunt.

Crypsis materialis axiomatica est, quæ est ratione materiæ.

Sicut formalis fuit ratione dispositionis: sic materialis est ratione terminorum.

Estque vel defectus, vel redundantia, vel inversio.

Defectus est, cùm pars aliqua axiomatis deest.

Hinc axioma nominatur defectum, seu deficiens; quando nimirum deest vel subjectum, vel prædicatum, vel vinculum: ut, *Exod. 34. v. 28.* Et inscripsit tabulis verba fœderis hujus. Hîc deest subjectum, nempe Jehova. *Matth. 24. v. 28.* Ubicunque fuerit cadaver, illic congregabuntur aquilæ: hic deest pars consequens axiomatis; nempe: ita ubi ego ero, & vos mecum eritis. Nota mala, optima; scil. sunt. Hîc deest verbi copula. Deus electos ad vitam æternam vocat, justificat, glorificat. Hîc deest copula conjunctionis.

Redundantia est, cùm præter partes essentiales aliquid accessit.

Huc pertinent *voculæ exclusivæ*; ut, sola deitas est ubiq;, sola fides justificat: *nomina adjectiva aut substantiva* & *adverbia determinantia*; ut, amicus certus in re incertâ cernitur; ego vidi Ciceronem pictum; prudenter cogitata, maturè perficienda: *voculæ exceptivæ*; ut, Deus creavit omnia præter se; omnia sunt Christo subjecta, excepto eo, qui subjecit ei omnia: *voculæ reduplicativæ*; ut, magistratus quatenus magistratus, est ordinatio Dei; homo quatenus est ratione præditus, est scientiæ capax; homo quoad animam est immortalis; *voces limitantes*; ut Evangelium parit seditiones, non per se, sed per accidens; Papistæ sunt Catholici nominetenus, non re ipsâ: *voces circumscribentes*; ut, omnes principes, qui

pes, qui

pés,qui tyrannidem in ſuos ſubditos exercent,Deo & hominibus ſunt abominabiles: *voces dilatantes:* ut, omnes creaturæ,nullâ prorſus exceptâ,ſunt per Filium Dei conditæ: *& denique voces amplificantes:* ut, optat ephippia bos piger.

Inverſio eſt,cùm partes transponuntur:

Velút,cùm prædicatum primo loco ponitur,vel copula: ut,tibicen fortunæ, virtus: Eſt autem magnus quæſtus,pietas ſuâ ſorte contenta.

Cap.14. Converſio axiomatica.

SEquuntur affectiones,quæ axiomati cum aliis collato conveniunt.

Suntque conſenſio,vel disſenſio axiomatica.

Conſenſio axiomatica eſt, quâ axiomata inter ſe conveniunt.

Eſtque conſecutio, & æquipollentia axiomatica.

Conſecutio axiomatica (*aliâs enunciativa*) eſt, cùm unum axioma ex altero ſequitur. Conſecutio axiomatica.

Eſtque vel converſio, vel collectio.

Illa dicitur aliis conſecutio per converſionem,hæc absque converſione.

Converſio eſt, quâ ex ſubjecto axiomatis fit prædicatum,& ex prædicato ſubjectum.

Hinc axiomata duo exiſtunt,quorum illud dicitur converſum, cujus verſus transponuntur:hoc convertens, quod ex converſo per partium transpoſitionem oritur. Hîc requiritur,ut utrumq; axioma ſit verum,proprium,& iisdem terminis conſtet.

Converſio eſt triplex; ſimplex, per accidens,& per contrapoſitionem.

Converſio ſimplex eſt, quâ axioma converti-

tur eâdem quantitate & qualitate servatâ.

Sic convertitur axioma universale negativum,& particulare affirmativum: ut, nulla justitia est injuria; &, nulla injuria est justitia. Item, quidam milites sunt pii; &, quidam pii sunt milites. Axioma universale affirmans reciprocum etiam hoc modo convertitur: ut, omnis homo est animal rationale;&, omne animal rationale est homo. Sed in duobus prioribus modis hæc conversio habet locum primariò & per se ratione formæ: in postremo illo secundariò & ratione materiæ, ut & in proprio reciproco, quale est; Deus est omnipotens.

Conversio per accidens est, quâ axioma convertitur manente qualitate, sed mutatâ quantitate.

Sic convertitur primariò axioma universale affirmatum; ut, omnis homo est animal;&, quoddam animal est homo. Intellige axioma universale affirmatum, non-reciprocum. Secundariò hæc conversio locum habet in axiomate proprio seu singulari non-reciproco: ut, verus ille Messias est filius David:&, aliquis filius David est verus ille Messias.

Conversio per contrapositionem est mutatio terminorum, manente quantitate, sed mutatâ qualitate.

Hæc primariò habet locum in axiomate universali affirmato, cujus negatur consequens, ut negetur antecedens: ut, Quicunq; credit in Christum, habet vitam æternam;&, quicunq; non habet vitam æternam, non credit in Christum. Sic, si est homo, est animal:&, si non est animal, non est homo. Secundariò locum habet in axiomate particulari negato: ut, quædam virtus non est justitia:&, aliquid quod non est justitia, est virtus.

Cap. 15. Collectio axiomatica.

Collectio axiomatica est, quando ex uno axiomate aliud colligitur:

Scil. sine conversione. Mocenico dicitur *virtus collectiva. part. 2. cont. 2. cap. 4.*

Modi

Modi illius ſunt ſeptem:

1 Ex univerſali axiomate colligitur particulare:

Illud dicitur axioma ſubalternans, hoc ſubalternatum. Hujusmodi eſt illa collectio: omnis homo eſt mortalis. E. & quidam homo eſt mortalis, ut Franciſcus, Paulus.

2 Virtute inductivâ axioma ſingulare auxiliatur conſtructioni univerſalis:

Ut, Hic homo eſt rationalis. Ergò omnis homo eſt rationalis. Quamvis enim illa prior enunciatio non ſola ſufficiat conſtructioni poſterioris: tamen illius veritati favet, videl. vi inductionis. *Mocen.d.l.*

3 Ex prædicato conjuncto inferuntur diviſa:

Ut, Homo eſt ſubſtantia corporea ſentiens. E. homo eſt ſubſtantia: &, homo eſt ſentiens. Valet hæc collectio, ſi prædicatum ſit terminus poſitivus. Non igitur valet: Eſt homo mortuus. E. eſt homo. Eſt aurum falſum. E. eſt aurum. Ratio; quia in prædicato ſunt termini privativi.

4 Ex prædicatis disjunctis non homonymis inferuntur conjuncta:

Ut, Homo eſt animal, & idem eſt rationalis. Ergò homo eſt animal rationale. Item, Socrates eſt homo, & eſt albus. Ergò Socrates eſt albus homo. Sed non valet: Iſte eſt ſutor, & eſt bonus. Ergò eſt bonus ſutor. Nec hoc: Iſte eſt Muſicus, & eſt malus. Ergò eſt malus Muſicus. Sunt enim hîc prædicata homonyma; quia τὸ bonum & malum non uno modo dicuntur. Nec hoc valet: Socrates eſt homo, & eſt rationalis. Ergò eſt homo rationalis. Nam prædicata hîc non ſunt disjuncta, ſed eſt nugatio in priori axiomate.

5 A *quatenus ipſum* ad *de omni* valida eſt illatio:

Ut, Homo quatenus animal ſentit. Ergò omne animal ſentit. Peccatum, quatenus eſt divina pœna, bonum eſt. Ergò omnis pœna divina bona eſt.

6 Ex veritate unius ex oppoſitis axiomatis colligitur falſitas alterius; & ex falſitate unius, veritas alterius:

Ut, Verum est, quosdam homines non esse electos ad vitam æternam: Ergò falsum est, omnes homines esse electos ad vitam æternam. Sic, Verum est, omnes naturales Adami hæredes esse cum peccato originali conceptos: Falsum igitur, quosdam naturales Adami hæredes non esse cum peccato originali conceptos.

7 Ex universali affirmante colligitur universalis negans, & contrà:

Ut, Qui non credit in Filium Dei, jam condemnatus est: &, Qui credit in Filium Dei, non condemnatur; vel contrà. Sic, Qui habet Filium Dei, habet vitam æternam: &, Qui non habet Filium Dei, vitam æternam non habet. Item, Qui non diligit Deum, non novit Deum; &, Qui diligit Deum, novit Deum.

Cap.16. Æquipollentia axiomatica.

Æquipollentia axiomatica.

ÆQuipollentia axiomatica est axiomatum consensio in sententiâ, licet sit diversitas in verbis.

Nam diversitas verborum non semper importat diversitatem rerum.

De hâc notentur canones:

1 *Axioma tropicum rectè intellectum æquipollet proprio:*

Ut, Homo est bulla, homo est similis bullæ.

2 *Axiomatum æquipollentium unum potest esse altero magis emphaticum:*

Ut, Herodes est vulpes ἐμφατικώτερον dicitur, quàm, Herodes est similis vulpi.

3 *Duæ negationes apud Latinos æquipollent affirmationi:*

Ut, Nemo non optat sibi bonam valetudinem: &, omnes optant sibi bonam valetudinem.

4 *Axioma universale æquipollet omnibus singularibus*

ribus sub ipso comprehensis; & contrà, omnia singularia æquipollent suo universali:

Ut, Omnis homo est animal, æquipollet his axiomatibus: Petrus est animal, Paulus est animal &ç.

5 *Axioma, in quo vocula* OMNIS *distributivè, vel collectivè accipitur, æquipollet particulari:*

Ut, Omne animal fuit in arcâ Noë, & omnes sensus exteriores sunt quinque.

6 *Affirmatio privationis, & negatio habitus æquipollent in subjecto πεφυκότι, hoc est, habili:*

Ut, Socrates non est videns: &, Socrates est cæcus.

7 *Negatio præposita signo universali in linguâ Latinâ facit, ut æquipolleat suo contradictorio:*

Ut, Non omnis homo est electus, quidam homo non est electus.

8 *Negatio postposita signo universali, facit, ut æquipolleat suo contrario:*

Ut, Omnis homo non est justus, nullus homo est justus. Hic modus loquendi est receptus in linguâ Hebræâ; ut ex illo Paulino videre est: Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

9 *Axioma indefinitum æquipollet universali, cùm significat ideam seu speciem, nec dari potest ἔνςασις: particulari, cùm dari potest instantia; singulari, cùm subjectum singulariter accipitur:*

Ut, Homo est animal, æquipollet universali, omnis homo est animal. Spurii sunt mali, æquipollet particulari, Quidam spurii sunt mali. Homo loquitur, æquipollet singulari, hic homo loquitur. Nam actus sunt singularium, non universalium.

10 *In modalibus æquipollent, necesse est rem esse, &, impossibile est rem non esse: item, possibile est rem esse, contingit rem esse: item, non possibile est rem esse, non contingit rem esse: item, necesse est rem es-*

ſe, non poßibile eſt rem non eſſe: item, non neceſſe eſt rem eſſe, poßibile eſt rem non eſſe: item, impoßibile eſt rem eſſe, vel non eſſe, non poßibile eſt rem eſſe, vel non eſſe.

11 *Axioma verum connexum ſæpè æquipollet ſimplici:*

Ut, Si eſt homo, eſt animal; omnis homo eſt animal. Si Deus eſt, miſericors eſt; Deus eſt miſericors.

12 *Axioma disjunctum æquipollet quatuor connexis:*

Ut, aut dies eſt; aut nox; æquipollet his quatuor: Si eſt dies, non eſt nox; ſi non eſt dies, eſt nox: Si eſt nox, non eſt dies; ſi non eſt nox, eſt dies.

Cap. 17. Diverſitas axiomatica.

Diverſitas axiomatica.

SEquitur diſſenſio axiomatica, quæ eſt axiomatum inter ſeſe diſcrepantia.

Eſtq; vel diverſitas, vel oppoſitio.

Diverſitas eſt diſſenſio axiomatum ſine pugnâ.

Eſtq; vel verbalis, vel realis, vel mixta.

Verbalis eſt, quæ tantùm conſiſtit in verbis.

Tales Polano ſunt propoſitiones ſubcontrariæ, cùm nimirum utraque eſt particularis: ut, quidam homines ſunt electi, quidam homines non ſunt electi. Sed in his exemplis eſt oppoſitio ſubcontraria: At in his axiomatis eſt diverſitas verbalis: Chriſtophorus impoſuit Petro, Chriſtophorus Petrum circumvênit.

Realis eſt, quæ conſiſtit tantùm in rebus:

Ut, Iſte homo delectatur jure, iſte homo amat jus: ſi in priori intelligatur liquor rei coctæ, in poſteriori jurisprudentia.

Mixta eſt, quæ partim in rebus, partim in verbis conſiſtit:

Ut, Eccleſiæ teſtimonium Scripturas commendantis, ab omnibus ſuſcipi debet; & Scripturas à Deo prodiiſſe, non Eccleſiæ,

clesiæ, sed Spiritus sancti testimonio persuademur. Hæc axiomata diversa tantùm sunt, non contradictoria.

Cap. 18. *Oppositio axiomatica.*

OPpositio axiomatica est dissensio axiomatum cum pugnâ.

Hinc axiomata opposita vocantur axiomata ἀσύστατα, Scholasticis *enunciationes incompatibiles.*

Estq; alia materialis, alia formalis.

Oppositio materialis est pugna duorum axiomatum ejusdem qualitatis ex solâ terminorum materialium oppositione resultans: **Oppositio axiomatica.**

Ut, Deus est justus, Deus est author peccati; Deus est Jehova, Deus potest mentiri; Corpus Christi est verum corpus, corpus Christi est ubique. Vulgo dicuntur enunciationes repugnantes, quarum videlicet prædicata repugnant. Huc quoque retulerim oppositionem disparatam, cùm videlicet prædicata axiomatum sunt disparata; ut, pygmæi sunt volucres, pygmæi sunt homines; Socrates est homo, Socrates est lapis.

Oppositio formalis, est repugnantia duorum axiomatum, vel secundùm qualitatem tantùm, vel secundùm quantitatem tantùm, vel secundùm utramque simul.

Oppositio formalis est principalis, vel minùs principalis.

Oppositio principalis est repugnantia duorum axiomatum, quæ constant terminis iisdem, de eodem, secundùm idem, ad idem & eodem tempore intellectis.

Ejus canon est:

In oppositione axiomaticâ observandæ sunt leges oppositionis topicæ.

Has leges enarratas vide *libr. 2. cap. 15.* hîc in definitione oppositionis axiomaticæ obiter duntaxat illas attigimus. Non igitur hæc axiomata sunt opposita: Appius erat cæcus, Appius non erat cæcus; si illîc de oculis corporis, hîc de oculo mentis, prudentiâ, intelligatur. Neque hæc sunt axiomata opposita: Æthiops est albus, æthiops non est albus; quia prædicatum dicitur de subjecto κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Neque hæc sunt opposita: Paulus fuit Romæ, Paulus non fuit Romæ; quia prædicatum dicitur de subjecto ἐν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ χρόνῳ.

Oppositio principalis est perfecta, vel imperfecta.

Oppositio perfecta est, in quâ duo axiomata inter se pugnant, non tantùm secundùm affirmationem & negationem, sed etiam secundùm veritatem & falsitatem.

Dicitur uno verbo *contradictio.*

De hâc sunt canones:

1 Contradictio est æternæ disjunctionis.

Vulgo docent, quòd oppositio contradictoria sit norma omnis veritatis & falsitatis in quâvis disciplinâ. Rationem adferunt hanc; quòd necessariò una sic oppositarum sit vera, altera falsa. Notiones enim secundæ verificantur & fundantur in primis. Sed notio prima, super quâ fundatur oppositio contradictoria, est principium illud primum: Impossibile est idem simul esse & non esse. Falsum autem esset hoc principium, si inter esse & non esse aliquod tertium daretur. Quòd autem Metaphysicus dicit, non posse idem simul esse & non esse: Logicus hoc modo profert: Contradictio est æternæ disjunctionis, hoc est, contradictionis pars altera semper est vera, altera falsa: vel, Contradictio dividit verum à falso. Itaque contradictoriæ immediatè dividunt veritatem & falsitatem; ita ut impossibile sit, utramque ejus partem simul esse veram, aut falsam.

2 Inter contradictoria axiomata, quæ sunt de rebus præteritis & præsentibus, semper unum determinatè est verum, alterum est falsum. At in futuris contingentibus in se

in se consideratis (non in scientiâ Dei, apud quem omnis veritas est determinata, quia omnia sunt ei præsentia) neutrum est determinatè verum, sed indeterminatè, id est, si partes contradictionis simul accipiantur:

Ut, Non simpliciter verum est, futurum ut cras pluat, nec etiam ut non pluat: sed verum est simpliciter ac necessarium, fore ut cras pluat aut non pluat. Huc pertinet illud: *Futurorum contingentium non est determinata veritas.*

Contradictio est vel primaria, vel secundaria.

Contradictio primaria est, secundùm quam duo enunciata pugnant inter se, secundùm qualitatem & quantitatem simul.

Talis oppositio est 1. Inter axioma universale affirmatum, & particulare negatum:

Ut, Omnes electi salvantur, Non omnes electi salvantur, vel, Quidam electi non salvantur. Utroque enim modo particularis negans effertur. Item: Omnis voluptas est bona, Quædam voluptas non est bona.

2 Inter particulare affirmatum, & universale negatum:

Ut, Quidam vocati salvantur, Nulli vocati salvantur.

Contradictio secundaria est, in quâ enunciata inter se pugnant secundùm qualitatem, sed non secundùm quantitatem.

Hujusmodi contradictio est 1. Inter duo axiomata singularia:

Ut, Abraham vidit diem Domini, Abraham non vidit diem Domini: Alexander fuit major Philippo, Alexander non fuit major Philippo.

2 Inter duo indefinita, sed necessaria:

Ut, Homo est rationalis, Homo non est rationalis. Aristoteles negat, indefinitas propositiones opponi contradictoriè. Sed loquitur de iis, quarum prædicata sunt contingentia: ut, Homo est pulcher, Homo non est pulcher. Hîc enim intelligitur ἄλλος καὶ ἄλλος. At propositiones indefinitæ

necessariæ, quæ loquuntur de ideâ, ut cum Scholâ loquar, omninò contradictoriæ sunt.

3 Inter duo universalia necessaria:

Ut, Omnis homo est risibilis, Nullus homo est risibilis: Omnes infantes Christiani in N. T. sunt baptizandi, Nulli infantes Christiani sunt baptizandi: Omnis homo est lapis, Nullus homo est lapis: Omnes reprobi Deo reconciliantur, Nulli reprobi Deo reconciliantur.

Oppositio imperfecta est, in quâ axiomata duo inter se pugnant non secundùm veritatem & falsitatem, sed vel secundùm qualitatem tantùm, vel secundùm quantitatem.

Estque triplex, contraria, subcontraria, & subalterna.

Contraria est oppositio imperfecta inter duo universalia contingentia.

Dicitur aliâs oppositio inter duo axiomata pugnantia secundùm qualitatem tantùm: item inter axiomata universalia, quorum subjectum patet extra prædicatum: ut, Omnis homo est doctus, Nullus homo est doctus.

Canones ejus sunt duo:

1 *Contrarietas admittit medium:*

Ut, Omnis homo est fidelis, Nullus homo est fidelis. Datur hîc medium: Quidam sunt, quidam non sunt fideles.

2 *Duo contraria nunquam possunt esse simul vera, licet simul poßint esse falsa.*

Si enim possent esse simul vera, etiam particularia essent vera. Siquidem ex veritate universalis, colligitur veritas particularis. Particulare autem unius contrarii, contradicit alteri contrario: & sic duo contradictoria simul essent vera. Vide *Keck. l. 2. Syst. Logic. maj. c. 7.*

Subcontraria oppositio est inter duo axiomata particularia secundùm qualitatē tantùm pugnātia:

Ut, Quidam credentes salvantur, Quidam credentes non salvantur: Quidam homo est doctus, Quidam homo non est doctus. Hujusmodi axiomata possunt esse simul vera in

materiâ

materiâ contingente, ut patet in poſteriori exemplo: ſed non poſſunt ſimul eſſe falſa. Huc refer axiomata indefinita contingentia: ut, equus eſt albus, equus non eſt albus. Nam axiomata ſine notâ quantitatis in materiâ contingenti præſumuntur eſſe particularia.

Subalterna oppoſitio eſt inter duo axiomata ſecundùm quantitatem tantùm pugnantia:

Ut, Omnis homo eſt doctus, Quidam homo eſt doctus. Ex his axiomatis ambo poſſunt ſimul eſſe vera & falſa: ut, Omnis homo eſt lapis, Quidam homo eſt lapis: Omnis homo eſt animal, Quidam homo eſt animal.

Doctrina hæc de oppoſitione axiomaticâ à multis obſcurè tradita eſt. Nos conati ſumus aliquam ſaltem lucem adferre, nixi his fundamentis. Oppoſitio axiomatum dupliciter debet conſiderari, in ſuâ formalitate, ſeu modo oppoſitionis, & in ordinatione ad finem. Si priori modo conſideretur, quinque ſunt illius ſpecies principes. Oppoſitio enim eſt pugna axiomatum. Non pugnant autem enunciata, niſi per affirmationem & negationem. Igitur oppoſitarum unam ſemper affirmare, alteram ſemper negare oportet. Hoc autem fit quinque modis. Principiò enim enunciata pugnant ſecundùm qualitatem & quantitatem ſimul. Hinc contradictio primaria, quæ vulgò κατ' ἐξοχὴν contradictio dicitur. Deinde enunciata pugnant ſecundùm qualitatem tantùm. Et hæc ſunt vel ſingularia, itemque univerſalia & indefinita neceſſaria: hinc *contradictio ſecundaria:* vel univerſalia contingentia; *hinc contrarietas:* vel particularia, & hinc *ſubcontrarietas.* Denique enunciata pugnant ſecundùm quantitatem tantùm: & hinc oppoſitio ſubalterna. Hæc eſt formalis oppoſitio. Jam ſi conſiderentur oppoſitiones, prout ordinantur ad finem, qui eſt veritas, tripliciter ſe habent. Aut enim utrumque axiomatum oppoſitorum verum eſſe poteſt: aut utrumque vel verum, vel falſum: aut utrumque, licet non ſimul verum, tamen ſimul falſum: aut denique altero exiſtente vero, alterum neceſſariò eſt falſum. Hinc itidem quinque illæ ſpecies emergunt. Nam ultima oppoſitio ſubdividenda: Prior autem ordo, qui eſt ratione modi, huic ordini fermè eſt contrarius.

Oppositio minùs principalis est, in quâ duo axiomata secundùm affirmationem & negationem pugnant, ita tamen, ut non omnes leges oppositionis serventur:

Ut, Herodes est vulpes, Herodes non est vulpes: Christus est vitis, Christus non est vitis. Huc referes τὰ ἐναντιοφανῆ, seu apparentes contradictiones. Objicis: Ergò axiomata subcontraria non habere idem subjectum, ideoque ad hanc oppositionem illa referenda esse. Respon. Falsum est, quòd subcontraria axiomata non idem habeant subjectum. Nam in iis eadem res universalis, sive genus, sive species, particulariter accepta, loco subjecti ponitur.

Hæc jam de universâ axiomatum doctrinâ; cujus cognitio in principiis quidem tetra insuavisque videri solet; ubi verò processeris, emolumentum & voluptas discendi consequetur insatiabilis. Cui tamen modum facias moneo. Ni feceris, periculum non mediocre erit, ne in illis Dialecticæ gyris atque mæandris, tanquam apud Sirenios scopulos consenescas. *Gellius noct. Attic. lib.16. cap.8.* Subjiciamus typum hujus libri.



TYPUS

Typus Libri Sexti De Axiomate.

Axiomatis considerantur

- Partes. cap. 1.
- Species quæ sumũtur ex
  - Forma. Suntq;
    - Principales; quòd axioma sit
      - 1
        - Affirmatum
        - Negatum
        - cap. 2.
      - 2
        - Verum
        - Falsum
        - cap. 3.
      - 3
        - Simplex
        - Compositum
        - cap. 4.
    - Minùs principales. cap. 5.
  - Materiâ
    - Reali: unde axioma est
      - 1. Commune vel proprium. cap. 6.
      - 2. Finitum vel infinitum. cap. 7.
      - 3. Absolutum vel determinatum. c. 8.
      - 4. Purum vel mixtum. cap. 9.
      - 5. Perspicuum vel obscurum. cap. 10.
    - Verbali. cap. 11.
- Communes affectiones; quæ conveniũt axiomati
  - Seorsim considerato: videlicet
    - Expositio. cap. 12.
    - Crypsis. cap. 13.
  - Collato cum aliis, ubi
    - Consensio
      - Consecutio
        - Conversio. cap. 14.
        - Collectio. cap. 15.
      - Æquipollentia. cap. 16.
    - Dissensio
      - Diversitas. cap. 17.
      - Oppositio. cap. 18.



LOGICORUM LIBER SEPTIMUS, De SYLLOGISMO.

Cap. 1. Materia syllogismi.

EXpositum est instrumentum Logicum noëticum: nunc exponetur dianoëticũ, quod cum discursu ad benè disserendum adhibetur: *seu quo unum axioma ex alio elicimus.*

Estque cùm syllogismus, tum methodus.

Syllogismus est instrumentum dianoëticum, quo thema compositum cum argumento ita disponitur, ut vi illius dispositionis ex antecedente necessariò inferatur consequens.

Vocabulum syllogismi explicatũ. Syllogismus est vocabulum mathematicum. Significat enim computationem. Nam συλλογίζεσθαι est comparare, seu multos numeros in unam summam colligere. In Logicis significat illud instrumentum, cujus beneficio cõclusio veluti summa ex præmissis colligitur: vel quia conclusio ex tribus terminis proportionalibus cõputatur, sicut in regulâ aureâ ex tribus datis & notis terminis elicitur quartus ignotus. Est autem è numero collectivorum: utpote habens suum materiale & formale. Præterea genus in hâc definitione est *instrumentum*, hoc est, notio secunda Logica, omnis materiæ realis expers. Nam syllogismus à Philosopho naturali vel mathematico formatus, non est syllogismus instrumentarius, sed naturalis, vel mathematicus. Itaq; syllogismi, pro-

Genus syllogismi quodnã sit? ut est Logicæ considerationis, genus neq; est dianoia, neque discursus. Nullum enim instrumentũ Logicum est ipsa dianoia, hoc est, tertia mentis operatio, seu quod idem est, non

est ipse

est ipse discursus. Discursus enim est actio mentis, quæ adminiculo instrumenti Logici meliùs perficitur; illativus quidem adminiculo syllogismi, ordinativus verò adminiculo methodi. Hinc Philosophi syllogismo accōmodant tres cujusq; instrumenti conditiones; quarum prima est, ut non sit pars rei, quæ eo efficitur; secunda, ut perfecto opere, à re vicissim segregetur; tertia, ut subjiciatur operanti & ab eo dirigatur. *Piccolom. 2. Phys. acroas. ad cont. 18.* Hinc patet, quòd nobilissimi hujus instrumenti Logici finis adæquatus sit subservire principali agenti, ut fabricet syllogismum realem, seu formam syllogisticam in materiam aptam inducat. Ad extremum notetur in definitione quod dicitur, *ut vi illius dispositionis necessariò inferatur &c.* His verbis indicatur, omnem syllogismum esse necessarium ratione formæ. *Zab. 1. post. ad cont. 45.*

Syllogismi spectantur partes, communes affectiones & species.

Partes syllogismi sunt materia & forma. Vulgò dicimus materiale, & formale.

Materia syllogismi est remota, vel propinqua. Materia syllogismi.

Illa dicitur ab aliis prima, hæc orta: aliis illa est simplex, hæc complexa.

Materia remota sunt termini, in quos syllogismus resolvitur.

Appellantur termini, quia syllogismus in eos resolutus terminatur. *Fonsec. lib. 5. log. cap. 1.*

Termini sunt tres: major, minor & medius.

Hâc de re est canon:

In syllogismo sint tres duntaxat termini.

Ratio præcepti est; quia in syllogismo est quæstio composita. At illa duobus constat terminis. Horum terminorū dispositio ostendenda est. E. necessum est adsit tertius terminus. Nam duo extrema non cohęrēt sine medio. Objicis, in sorite plures esse terminos? Resp. Sorites est syllogismus conglobatus, qui si resolvatur in solitarios, constabit veritas canonis. Alii solēt contra canonē hunc afferre hoc exemplum: Horis matutinis homo verè est homo. At Philosoph⁹ est homo. E.

Philoſophus horis matutinis verè eſt homo. Sed frivolum eſt. Nam vel puero anniculo Logico ὀφθαλμοφανὲς eſt, quòd hîc tres (non autem duo tantùm) ſint termini, eò quòd vox *homo* aliter in majore, aliter in minore accipiatur. Nam in minore accipitur propriè, in majore verò per metonymiam efficientis, vel adjuncti: quatenus ſignificatur aptitudo atque facilitas ad ratiocinandum. Cæterùm ſi malis dichotomiam terminorum ſyllogiſmi, hanc habe: Terminus eſt extremus, vel medius. Extremus eſt, qui ſimul in concluſione & præmiſſis ponitur. Eſtq; vel major, vel minor.

Major terminus eſt prędicatum concluſionis in propoſitione majore diſpoſitum.

Semper enim prædicatum concluſionis in majori collocatur; diciturque terminus major; quia vel latiùs patet ſubjecto, ut homo eſt animal, vel ſaltem æquè latè, ut Deus eſt omnipotens; ſeu, ut ait *Mocenicus contemplat. 2. part. 3. c. 1.* quia ſi non plura comprehendit quàm ſubjectum, ab illius tamen univerſitate nunquam deficit.

Minor terminus eſt ſubjectum concluſionis, diſpoſitum in minori propoſitione.

Semper enim ſubjectum concluſionis in minore ſitum reperitur; diciturque minor, quia ipſi eſſentialiter convenit, à prædicati univerſitate deficere poſſe, eam verò nunquam excedere, ut præclarè ait *Mocenicus d. l.*

Canon de utroque hoc termino notetur:

Termini duo, major & minor, ſunt materia & concluſionis, & præmiſſarum.

Sed diſpari ratione. Illic enim collectim, hîc diviſim collocantur. Fieri enim non poteſt, ut ambo in unam aliquam præmiſſarum ſeſe inſinuent. Præmiſſæ enim fierent concluſiones in uno eodemque ſyllogiſmo. Objicis ſyllogiſmum compoſitum, in quo tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis compoſitæ, ita ut non poſſit ibi habere locum hæc appellatio. Ad hoc objectum infrà reſpondebitur.

Medius terminus eſt, cujus adminiculo extremi inter ſe diſponuntur.

Ariſtoteli dicitur ὅρος; at concluſionis termini nunquam

ei dicuntur ὅροι, ſed ἄκρα. Dicitur medius, non quòd mediam inter extrema ſedem habeat, ſed quia penes ipſum eſt virtus & efficacia inferendi concluſionem. *Zabarell. de tertiâ figurâ ſyllog. cap. 2.* Sine hoc igitur medio, quaſi ſequeſtro quopiam, dubiæ adinvicem partes vel conjungi, vel ſejungi nequeunt. Vide *Scalig. exerc. 9.* Eodem ſenſu dicitur *medium probativum*, & ſimpliciter, *medium*. Dicitur aliâs *argumentum*: quia probat majorem ineſſe minori, vel non ineſſe, hoc eſt, prædicatum ineſſe ſubjecto, vel non ineſſe. In Scholâ Rameâ dicitur *argumentum tertium*, vel quia diſponuntur tria argumenta in ſyllogiſmo, videlicet duo in concluſione, ita ut hoc ſit tertium; vel quòd medius terminus ſit veluti tertius, & arbiter honorarius componens partes diſſidentes; vel quia duo extrema conveniunt in tertio, vel diſconveniunt. Eſt quidem unicum argumentum in ſyllogiſmo, quod dicunt probativum. Sed in concluſione dicuntur eſſe duo argumenta; hoc eſt, termini, quorum unus alterum arguere poteſt.

Medius terminus cur ſic dictus?

Canones hujus loci ſunt:

1 Medius terminus non ingreditur concluſionem.

Ratio: quia medius terminus unà cum quæſtionis partibus eſt materia præmiſſarum, concluſionis autem efficiens immediatum. Efficiens autem non eſt pars effecti. Huc pertinet verſus:

Lex generalis erit, medium concludere neſcit.

2 Medius terminus nonniſi unus eſſe poteſt.

Ratio petitur ex modò dictis; quia omne efficiens immediatum eſt adæquatum, & proinde nonniſi unum.

3 Medius terminus reſpuit omnem ambiguitatem.

Ratio petitur è dictis; quia ambiguitas parit pluralitatem terminorum. Itaque neque hic, neque extremi debent mutari, vel mutilari; ita ut ne abstracti confundantur cum concretis, & protonoëmatici cum deuteronoëmaticis.

4 Syllogiſmus eſt unus ob unitatem medii.

Nam pluribus mediis datis plures dantur ſyllogiſmi ob medii mutationem.

5 Medius terminus cum unâ ſaltem quæſtionis parte conſentiat.

Nam in omni ſyllogiſmo oportet ineſſe connexionem medii termini cum aliquâ ſaltem quæſtionis parte, ut ne ſint ſcopæ diſſolutæ. Itaque

Ex puris negativis nihil ſequitur.

Sic non valet: Nullus infidelis Deo placet. Nullus electus eſt infidelis. Ergò nullus electus Deo placet. Hinc patet, quòd ſyllogiſmi affirmati exiſtant, ſi medius terminus cum utroque conſentiat; negati, ſi ab alterutro diſſentiat; vitioſi, ſi ab utroque.

Materia propinqua ſyllogiſmi ſunt partes ejus è quibus immediatè conſtituitur, & in quas proximè reſolvitur:

Nimirum tria axiomata, ſeu tres propoſitiones reſultantes è legitimâ trium terminorum diſpoſitione.

Suntque pars antecedens & conſequens.

Illa dicitur propoſitio inferens, hæc illata. Alii vocant præmiſſas & concluſionem.

Hîc notentur canones:

1 Pars antecedens habet virtutem effectivam.

Nam vim ſuam in quæſtionem quaſi extendit ac jaculatur, ut ait *Mocenicus contempl. 2. part. cap. 4.* Itaque

Pars antecedens præſtantior eſt conſequente.

2 Nihil eſt in conſequente, quin antè fuerit poteſtate in præmiſſis.

Zabarell. 2. poſt. ad cont. 22. Ea namque eſt ſyllogiſmi natura, ut non liceat in concluſione colligere id, quod in propoſitionibus acceptum non ſit. Quamobrem ſi in utraque propoſitione nil aliud ſumatur, quàm quòd prædicatum in ſubjecto ineſt, nil certè aliud in concluſione inferetur, quàm quòd major extremitas minori ineſt. Hæc enim eſt vis ſyllogiſmi. *Zabarell. d. l.*

Antecedentis partes duæ ſunt, propoſitio & aſſumtio:

Quę ab Ariſtotele vocantur προτάσεις, *prætenſiones*, quòd ad inſtar ſcuti concluſioni prætendantur: ab aliis λήμματα, *ſumtio-*

sumtiones, quòd ad probandam conclusionem sumantur; item *præmissa*, quòd ambæ conclusioni præmittantur.

Canones hìc notentur duo:

1 *Ne utraque præmissa sit particularis, vel negativa.*

Huc pertinent vulgati canones: *Ex meris particularibus nihil sequitur.* Item, *Ex puris negativis nihil sequitur.* Ratio prioris est duplex. 1. Quia merarum particularium propositionum connexio repugnat utriq; principio syllogistico, de quo dicemus cap. sequenti. 2. Q. in puris particularibus sunt quatuor termini. Nam de alio subjecto major, de alio minor loquitur. v.g. Quidam homo est dives. Quidā homo est doctus. E. docti sunt divites. Item: Aulici sunt impii. David fuit aulicus. E. impius. Ratio posterioris est; quia merarum negativarum propositionum connexio repugnat principio syllogistico secundo. Vide suprà canonem 5. de medio termino, & paulò pòst, caput sequens.

2 *Retineatur idem genus prædicationis in utrâque præmissâ.*

Ratio: quia mutato genere prædicationis, statim oriuntur quatuor termini. Tum autem dicitur mutari genus prædicationis, cùm major est propria vel protonoëmatica, minor impropria vel deuteronoëmatica: exempli gratiâ; Panis comeditur ore. Panis est corpus Christi in S. Cœna. E. Corpus Christi comeditur ore. Item: Mus rodit caseum. Mus est syllaba. E. Syllaba rodit caseum. Item, Genus est notio Logica. Animal est genus. Ergò animal est notio Logica. Melanchthon hunc canonem sic effert: *Non valet consequentia, mutato genere prædicationis.*

Propositio est prior antecedentis pars, quæ ex majore quæstionis extremo & medio termino conficitur.

Dicitur vel simpliciter *propositio*, vel *propositio major*, vel simpliciter *major*. Hæc priorem locum obtinet; quia de ordinis methodici ratione magis universalia minùs universalibus præponuntur. At propositio est quodammodo causa assumtionis.

Aſſumtio eſt altera antecedentis pars, quæ ex minore quæſtionis extremo & medio termino è propoſitione aſſumto naſcitur.

Hinc patet, cur vocitetur *aſſumtio*, item *minor*, vel *minor propoſitio*.

Conſequens eſt pars ſyllogiſmi, quæ ex antecedente infertur.

Ante conſtitutionem ſyllogiſmi dicitur *πρόβλημα*, *quæſtio*, item thema conjunctum: poſt ſyllogiſmi conſtitutionem *συμπέρασμα*, *concluſio*, & *complexio*.

Hujus canones ſunt:

1 Concluſio non eſt pars ſyllogiſmi, ſed effectum præmiſſarum.

An concluſio ſit pars ſyllogiſmi?

Sunt qui negant eſſe partem ſyllogiſmi. Contra hos ſic diſputa. In quod res artificioſa reſolvitur, id eſt ipſius materia. At ſyllogiſmus tanquam res artificioſa reſolvitur in antecedens & conſequens. Ergò antecedens & conſequens ſunt materia ſyllogiſmi, & ea quidem proxima. Proinde ſunt partes materiales, quas vocant. Contrà ſic pugnant nonnulli: Effectum rei non eſt pars rei. At concluſio effectum eſt ſyllogiſmi. E. non pars. Reſp. ad minorem negando. Concluſio quidem eſt effectum præmiſſarum, ſed non ſyllogiſmi. Intellige concluſionem quatenus eſt concluſio. Nam quatenus eſt quæſtio nondum concluſa, non habet rationem effecti. Eſt enim ſæpe ante præmiſſas, videlicet extra diſpoſitionem ſyllogiſticam conſiderata. *Zabarella 1. poſt. ad context. 4.* concluſionem conſtituit ſyllogiſmi partem principem. Concluſio, inquit, habet locum formæ, propoſitiones autem locum materiæ. Dicitur enim *συλλογισμός*, quaſi *συλλογὴ τοῦ λόγου*, *collectio rationis*, quæ tum demum fit, cum infertur concluſio. Sic ille; ſed perperam. Nam res artificioſa non reſolvitur in materiam & formam, ſed ſolùm in partes materiales, quę factâ reſolutione remanent. Quare cùm ſyllogiſmus reſolvatur in partem antecedentem & conſequentem, pars conſequens nullo modo poteſt habere rationem formæ.

2 Concluſio eſt ipſa quæſtio virtualiter.

Hoc eſt,

Hoc est, conclusio & quæstio non differunt realiter, sed ratione ratiocinatâ, idque virtualiter seu virtute; quia videlicet quæstio dubia ante constitutionem syllogismi facit ut artifex inquirat medium; sed post constitutionem non amplius ipsum habet sollicitum. Potes & sic explicare canonem: Conclusio est ipsa quæstio virtualiter, hoc est, illam continet, sicut semen virtualiter est ipsa arbor. Itaque si velis judicium ferre de syllogismo, omnium primò conclusionis rationem habeto. Potes eodem sensu dicere; quæstio est ipsa conclusio virtualiter, quatenus ex quæstione fit conclusio.

3 Conclusio imitetur partem debiliorem antecedentis.

Pars firmior, nobilior seu dignior in syllogismo, est affirmans & universalis; debilior, ignobilior seu indignior, est negans & particularis. Sensus igitur canonis est; Si una ex præmissis sit negans aut particularis, conclusio etiam sit talis. Ratio canonis est: quia effectus toto genere non potest melior esse suâ causâ. Itaque conclusio non potest dignior esse præmissis. Non ergò valet: Quidam fideles salvantur. Omnes fideles sunt vocati. Ergò omnes vocati salvantur. Hic syllogismus etiam alio laborat vitio, nempe quòd in tertiâ figurâ concludit universaliter.

4 Major & minor ita inferantur in conclusionem, ut erant in præmissis.

Ratio: quia extrema sumuntur ex conclusione, & disponuntur cum medio in præmissis. Itaque

1 Non sit plus in conclusione, quàm in præmissis.

Non igitur valet: Pro quibus satisfactum est, ii non tenentur satisfacere. Pro credentibus satisfactum est à Christo. Ergò credentes non tenentur satisfacere, nec facere bona opera. Hîc observa sæpe præcisionem (ut vocant) in syllogismo habere locum, quando videlicet cõclusio est certa, & adduntur hæc verba, *& per consequens*, seu *& ex consequenti:* ut, Qui est omniscius, est Deus. Christus est omniscius. Ergò est Deus, & per consequẽs invocandus. Quidam hanc præcisionem malunt appellare appendicem; quòd conclusioni annectatur alia conclusio per enthymema.

2 Non sit minus in conclusione, quàm in præmissis.

Non ergò valet: Quod est in meâ domo, est in oppido. Unicus fons est in meâ domo. E. unicus fons est in oppido. Inferendum enim erat: Ergò unicus fons, qui est in meâ domo, est in oppido. Hoc exemplum solent Logici cõmuniter adferre ad hunc canonem illustrandum. Sed vitium istius syllogismi consistit in quaternitate terminorũ, propter homonymiam termini minoris. Nam τὸ Unicus fons in assumtione intelligitur de fonte certo, q. dicatur unicus hic fons: at in conclusione non intelligitur de fonte certo, sed de fontium numero, quasi dicatur, unicus tantùm fons. Deinde si ita inferatur: Ergò unicus fons, qui est in meâ domo, est in oppido: medium infertur in conclusionem. Quare substituamus hoc exemplum: Omnes peccatores pœnitentiã agentes; recipiuntur in gratiam. Quidam homines non recipiuntur in gratiam. E. quidam homines nõ sunt peccatores. Hîc omittitur quod fuit in majore, videl. *agentes pœnitentiam*.

Cap. 2. Forma syllogismi.

Forma syllogismi est congrua medii cum extremis dispositio.

Alii dicunt, formam syllogismi consistere in debitâ consequentis ex antecedente deductione. Sed illa deductio consequitur congruam dispositionem. Itaq; dispositio syllogistica est forma syllogismi, sicut dispositio axiomatica est forma axiomatis, & methodica methodi.

Dispositionis syllogisticæ considerabimus fundamentum & adminiculum.

Fundamentum dispositionis syllogisticæ est intellectus principiorum & ordinis.

Aliàs dicitur *radix syllogismi*. Deus Optimus ille naturæ architectus indidit animis nostris lumen, quod dicimus naturæ. Illius luminis beneficio intelligimus veritatem & evidentiam primorum principiorum; qualia sunt: Totum est majus parte; Deus est; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & similia. Sed & illius luminis beneficio videmus, quomodo conclusiones è principiis possint elici. Philosophi

vocant intellectum principiorum & ordinis. Atque hoc est fundamentum illud nobilissimum dispositionis syllogisticę.

Intellectus principiorum suppeditat duo principia regulativa, quæ vocant.

Duo principia regulativa syllogismi.

Primum principium regulativum est dictum de omni & nullo, *seu regula de omni & nullo*.

Dictum de omni est fundamentum syllogismorum affirmatorum, & est tale: Quodcunque dicitur de omni aliquo, dicitur etiam de iis, quæ sub eo continentur.

Dictum de omni.

Hoc est principium, quo modus prædicandi enunciatur, pendetque ab illo principio, quod est de modo essendi: *Quodcunque aliquid omne continet, etiam ea continet, quæ sub isto continentur*: ut, Si Europa continet Galliam, etiam continet Lutetiam, quæ est in Galliâ: si Sphæra octava continet Sphæram Saturni, etiam continet Sphæram Jovis, quæ continetur Sphærâ Saturni. Hęc est illa notio naturalis, principium discursus affirmativi, quâ vel incultissimi homines in ratiocinando & sermonibus inter sese commutandis utuntur. Videamus exemplum:

Homo est animal: quia homo inest animali.
Socrates est homo: quia Socrates inest homini.
Socrates igitur est animal.

Cæterùm paraphrasis istius regulę accommodata ad syllogismum sic habet: Quandocunq; major terminus seu prędicatum quęstionis dicitur de medio omni, etiam dicetur de minore termino seu subjecto conclusionis; quandoquidem istud subjectum cōtinetur medio. Hinc alii dictum de omni sic efferunt: *Quodcunq; prædicatur de aliquo omni, dicitur etiam de iis, de quibus illud omne prædicatur*. Nam prædicatum continet subjectum, & in Logicâ prędicari de aliquo, & continere illud, idem sunt. Sic quod dicitur de homine, tanquam de aliquo omni, dicitur etiam de iis quæ sub homine continentur. Alii sic efferunt: *Quodcunq; affirmatur de toto & genere, affirmatur etiam de parte & specie*. Vulgò vocant *totum in toto*, item, *inesse*, item, dici *de omni*.

Dictum de nullo.

Dictum de nullo est fundamentum syllogismorum negatorum, & est tale: Quodcunque negatur de universali, idem etiam negatur de particulari sub eo contento.

Alii sic efferunt: *Quodcunque nulli alicui convenit* (ut divinitas nulli creaturæ) *neque convenit iis, quæ sub illo continentur* (ut sub creaturâ Angelus.) Inde struitur syllogismus. Nulla creatura est divina. Angelus est creatura. E. Angelus non est divinus. Clariùs sic illustremus hoc dictum de nullo:

Homo non est brutum: quia homo non inest bruto.
Mulier est homo: quia mulier inest homini.
Mulier igitur non est brutum.

Hæc regula non liquidò conspicitur in omnibus syllogismis; sed tantùm in syllogismis primæ figuræ apparet evidenter, & actu, in reliquis potentiâ & obscuriùs. Ut verò appareat evidenter, duo requiruntur; primùm, ut propositio major sit universalis; deinde, ut minor sit affirmata: quæ duo sunt perpetua in primâ figurâ.

Principium proportionis.

Intellectus ordinis suppeditat principium seu regulam proportionis, quæ sic habet: Quæ in uno tertio conveniunt, inter se conveniunt; & contrà, quæ uni tertio non conveniunt, inter se non conveniunt.

Illa regula in affirmativis, hæc in negativis valet. Hominum vitæ non satis esset, nosse simplices propositiones. Ideò Deus addidit hanc lucem, quam vocavimus intellectum ordinis & consequentiæ in syllogismo rectè coagmentatis membris. Semel itaque Deus monstravit metas, quas in dispositione syllogisticâ servare necesse est. Nam proportio, quæ naturali luce mentis judicari potest, ostendit consequentiam in syllogismis immotam esse. Proportio illa est maximè conspicua in syllogismis arithmeticis, ut videre est in regulâ de tri, quam vocant proportionum, itemque auream, ubi tribus positis numeris quartum sequi necesse est: ut, Quot sunt libræ, tot sunt drachmæ. Hîc sunt libræ decem. Ergò decem drachmæ erunt pretium. Proportio ista etiam evidens est in syllogismis geometricis. Nam si mensuranda

ſuranda ſint duo jugera, ad cognoſcendum an conveniant magnitudine, applico decempedam ad utrumque, & dico: Viginti decempedæ ſunt menſura hujus jugeri. Hujus quoque menſura ſunt viginti decempedæ. Ergò ſunt æqualia. Hæc applicemus ad doctrinam ſyllogiſticam. Medium eſt quaſi decempeda; duo termini concluſionis ſunt ut duo jugera. Propoſitâ igitur aliquâ quæſtione, ut an voluptas ſit bonum; ſi quis eam velit affirmare, aſſumat medium ſeu tertium, in quo conveniant illa duo extrema, videlicet *eſſe ſecundùm naturam*. Dehinc diſtrahat quæſtionem in partes, & cum utrâque ſeorſim componat medium; & quidem primò prædicatum concluſionis componat cum medio:

Omne quod eſt ſecundùm naturam, eſt bonum. (nat:

Nunc idem medium cum ſubjecto concluſionis compo-

Voluptas eſt ſecundùm naturam.

Inde ſequitur concluſio:

Ergò voluptas eſt bonum.

Adminiculum diſpoſitionis ſyllogiſticæ eſt inventio medii. Inventio medii ſyllogiſtici.

Hæc doctrina eſt admodum neceſſaria. Hinc à quibusdam vocatur *umbilicus Philoſophiæ*; quòd ſicut infans in utero matris per umbilicum attrahit nutrimentum: ita etiam Philoſophia per hanc doctrinam acquirat media ſyllogiſtica ad probandas ſuas quæſtiones. Vocatur etiam *pons aſinorum*; quòd rudia & ſtupida ingenia in eâ maximè ſint exercenda. *Ariſtoteles 1. prior. anal. cap. 19. & 20.* vocat εὐπορίαν προτάσεων, *abundantiam propoſitionum*, item δύναμιν τοῦ ποιεῖν τὸν συλλογισμὸν, *facultatem faciendi ſyllogiſmum.*

De hâc medii termini inventione ſunt hi canones:

1 *Quæſtio primo loco expendatur ſeu præcognoſcatur ſecundùm ſua extrema.*

Expendatur autem quinque modis. 1. *An ſit dubia, vel obſcura ſeu minùs nota?* Nam non omnis quæſtio eſt dubia, & verò probatio ſyllogiſtica non tantùm dirigitur ad certificanda dubia, ſed etiam ad notificanda ea, quæ ſunt minùs nota, ut quæ ſunt confuſè nota. Quod ſi igitur quæſtio ſit nota cognitione confuſâ, medium inveniendum eſt, ut cognoſcatur diſtinctè. Hîc quoque obſervandum eſt, quæſtio-

nem dici dubiam duobus modis, vel ſimpliciter in ſe & in ſuâ naturâ, vel ſecundùm quid reſpectu alicujus perſonæ. 2. *An ſit utilis?* Nam de inutilibus non eſt diſputandum. Inutiles autem quæſtiones dicimus, quæ lædunt pietatẽ & honeſtatẽ ſeu bonos mores; item quę ſunt ita notæ, ut de iis dubitare nefas ſit, qualia ſunt prima principia. Si quis de iis quærat, inops rationis cenſetur; ut, an nix ſit alba, an bis bina ſint quatuor. 3. *An ſit affirmata vel negata?* 4. *An ſit univerſalis, particularis vel ſingularis?* Atq; hoc ideò expendendum eſt, quia quæſtiones aliæ faciliùs, aliæ difficiliùs probari poſſunt. Sic univerſalis affirmativa difficulter probatur, facillimè evertitur: univerſalis negativa faciliùs probatur & difficiliùs refutatur: particularis affirmans etiã faciliùs probatur, difficiliùs evertitur: particularis negans probatu facilis, ſed refutatu difficillima. Ratio hujus rei petitur ex illo canone: *Quæſtio illa faciliùs probatur, quæ in pluribus figuris & modis poteſt concludi; quæ verò in paucioribus, illa eſt probatu difficilior.* Vide Philoſophũ *1. prior. c. 26. cont. 1. & 3.* Hinc *1. prior. c. 18.* teſtatur, quòd quęſtio ſyllogiſtica alia ſit εὐεπιχείρητος, *facilis ad probandum*; alia δυσεπιχείρητος, *difficilis ad probandum.* 5. *An ſit pura, vel mixta?* Quæ ſit quæſtio pura, quæ mixta, traditum eſt libro primo. Poſtremũ hoc ideò notandũ eſt, quia medium ſyllogiſticũ quæſtioni puræ ſemper debet eſſe homogeneũ, h. e. ex eâdẽ arte ſumi, cujus eſt propria illa quæſtio; ut ne committatur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, *tranſitus è genere in genus.* At ſi quæſtio ſit mixta, mediũ poteſt eſſe heterogeneũ, h. e. poteſt ex aliâ diſciplinâ ſumi, cujus quæſtio non eſt propria; nimirum ob terminum illum, qui ad eam diſciplinam pertinet. e. g. ſit quæſtio theologica, an Chriſtus ſit verus homo? Hæc eſt quæſtio theologica quidem, ſed mixta; quia prædicatum eſt terminus phyſicus. Itaq; argumentum peti poteſt non ſolùm ex naturâ ſubjecti, quod eſt theologiæ proprium, ſed etiam ex naturâ prædicati, quod eſt terminus phyſiologiæ proprius.

2 *Ad medium ſyllogiſticum inveniendum oportet locos inventionis in numerato habere.*

Hi enim loci ſervant ampliſſimã argumentorum penum, aut ſaltẽ indicant. Tota quidẽ philoſophia, & facultates reliquę, quas ita vocant, nobis ſuggerunt media; ſed Logica tradit mo-

dit modum ea quærendi & discernendi; atque in eum finem omnia media, quæcunq; afferri possunt ad aliquid probandum, digessit in capita quædam & sedes argumentorũ, quas diximus locos; ad quos quasi fontes inventionis digitũ nobis intendit. Hinc patet, locos non tradere copiam argumẽtorum, quod multi opinantur, sed signare viam ea disquirendi. Iccircò qui locos vel ad unguem tenuerit, si cęterarum scientiarum planè fuerit expers, nihil plus fuerit consecutus, quàm qui forcipẽ, aut malleum coëmerit, destitutus omnibus quæ incutiuntur aut evelluntur. Sed animus jam subactus & excultus rerum multarum cognitione, tum demum quantus sit hujus artis usus, plenè perspiciet. *Molinæus lib. 2. in appendice.*

3 ***Ad facilem inventionem medii syllogistici utile est utrumque extremum quæstionis per loca inventionis seu genera argumentorum deducere, & postea ex iis eligere, quæ ad probandum maximè idonea videntur.***

Duo sentit hic canon. Primum est, ut quæstionis extrema deducantur per locos Dialecticos. e.g. sit quęstio, an Scriptura sacra sit supra Ecclesiam? Hîc cogitetur de utriusq; extremi causis, effectis, subjectis, adjunctis, antecedentibus, connexis, cõsequentibus, dissentaneis, cõparatis, ortis, definitione, distributione &c. Quãdo unus idemq; terminus medius utriq; extremo congruit, concluditur etiam, extrema inter se congruere, & existit syllogismus affirmatus. At cùm medius terminus alteri extremo convenit, alteri non convenit, concluditur etiam, extrema inter se non convenire, & existit syllogismus negatus. Hîc observandum est, sæpe unum idemq; medium ad plures invẽtionis locos referri posse, pro diversâ relatione seu affectione, quam habet ad extrema quęstionis. Nihil itaq; obstat, quò minùs unus idemq; syllogismus ad plures locos referatur: ut hic syllogismus: Omne animal sentit: omnis homo est animal: E. omnis homo sentit: si subjectũ cõclusionis spectes, pertinet ad locũ generis: si prædicatũ, ad locũ causę efficientis, vel subjecti. Sic si probanda sit quęstio, an quidã affectus sit bonus, & argumentũ sit amor; dici debet, illud argumentũ esse petitũ à specie subjecti seu antece-

dentis,& subjecto recipiente prædicati seu consequentis. Alterum, quod in hoc canone notandum venit, est de habendo delectu argumentorum. Hâc de re sunt duæ observationes. 1. *Certiora & meliora sunt media, quæ sumta sunt à naturâ prædicati.* Ratio, quia hic est terminus major, & potior. 2. *Non numero argumentorum certandum, sed pondere.* Quare non est, ut quis propositâ quâvis quæstione ad scribendum, vel loquendum, scrupulosè perlustret omnes locos, putans se ex singulis posse educere argumenta; sed postquã aliquis locos præconceptos & probè meditatos habuerit, ita ut animo ejus obversentur, loci appositi ad propositam quęstionem ingerent sese non vocati; usque adeò, ut sæpe non tam quærenda sit scribendi aut loquendi copia quàm modus. Non igitur necessum erit pulsare ostiatim, & omnia, ut ita dicam cum Fonsecâ, latibula perscrutari: quandoquidem quæ aliquid verum & insigne habuerint, ad singulas quasi inclamationes, ex singulis locis quasi dato signo sponte prodibunt. Quin etiam tanta sæpè inutilium argumentorum turba, vel celeriter per omnes locos discurrentem sequetur, ut non mediocris labor sit ab eâ te expedire. Contrà verò quædam nonnunquam proponentur quæstiones, ad quas tractandas pauci admodum loci suppeditabunt argumenta: quo fiet, ut quantumvis ad ostia reliquorum pulses, nihil inde subsidii sperare debeas. Itaque hâc locorum arte non sunt argumenta cogenda, ac per vim atque crines, ut dicunt, trahenda, sed quasi invitanda. Alioqui timendum est, ne via hæc & ratio, quæ facilè exquirendis argumentis excogitata est, impedimento sit futura ingeniis; & argumenta, quæ ratio ipsa per se liberiùs discurrens haud magno labore inveniret, his legibus quasi compedibus adstricta, nullo modo adsequatur. Neque enim eò quæsita est hæc ars, ut naturam præceptis quasi vinculis ligaret, sed ut incertis passibus vagantem ad viam reduceret, & paucis instructam detineret, ipsa tardior sequeretur, non anteiret. Vide *Fonsecam lib. 7. inst. dial.* Præterea hîc nota, quòd argumenta seu media syllogistica in tres classes ab Aristotele dispescantur. Omne enim medium juxta illius doctrinam est vel ἡγούμενον, *antecedens*, vel ἑπόμενον, *consequens*, vel ἀλλότριον, *repugnans*. Hinc Quintilianus docet, omnem quæstionem probari per antecedentia,

cedentia, conſequentia, vel repugnantia. *Antecedentia* ſunt omnia, quæ ſunt anguſtiora, ſemperq́; ſubjectorum locum obtinent. Sic individuum eſt prius ſpecie, ſpecies prior genere, cauſa effecto, ſubjectum adjuncto. *Conſequentia* ſunt, quæ communiora ſunt, quæque prædicatorum locum obtinent in axiomatibus: ut, ſpecies ſequitur individuum, ſpeciem genus, effectum cauſam, adjunctum ſubjectum, definitio definitum. In omni igitur argumentatione quæſtiones affirmativæ è conſequentib. & antecedentibus concluduntur. Sunt autem tres claſſes conſequentium. Primæ claſſis conſequentia ſunt eſſentialia, ut genus, ſpecies & differentia ſpecifica, quæ ſequuntur ad quæſtionem Quid. Secundæ claſſis conſequentia ſunt propria, Tertiæ claſſis conſequentia ſunt accidentia. *Repugnantia* ſunt, quæ rei ineſſe non poſſunt; ideoque conſtituunt axiomata negata. Hujusmodi ſunt omnia diſſentanea. Appoſitione exempli illuſtremus hanc poſtremam doctrinam. Sit quæſtio, *an peccatum damnet?*

Subjectum quæſtionis hujus eſt *peccatum*. Ejus

1 *Antecedentia* ſunt adulterium, homicidium, avaritia, ſuperbia &c. Nam ſi quæras, quid eſt adulterium? Reſpon. eſt peccatum.

2 *Conſequentia* ſunt defectus, actio mala, cogitatio mala, dictum malum.

3 *Repugnantia* ſunt juſtificare, conſequi vitam æternam.

Prædicatum quæſtionis eſt *damnat*. Damnationis

1 *Antecedentia* ſunt defectus, actio mala, adulterium &c. Nam hæc omnia damnant.

2 *Conſequentia* ſunt ira Dei, æternum ſupplicium &c.

3 *Repugnantia* ſunt gratia Dei, cœleſte gaudium &c.

Conficiamus nunc ſyllogiſmum, & ſumamus medium, quod eſt ſubjecti conſequens & prædicati antecedens, ut eſt, *actio contra legem Dei*. Hoc medium conjungamus primùm cum prædicato quæſtionis, cujus eſt antecedens, & exiſtit major propoſitio: *Omnis actio contra legem Dei damnat*. Deindè conjungamus cum ſubjecto quæſtionis, cujus eſt conſequens, & oritur minor propoſitio: *Peccatum eſt actio contra legem Dei*. Hinc infertur concluſio: *Ergò peccatum damnat*. Vide *theatrum noſtrum pag. 172. 173*. Addamus

his, quæ in compendio Gymnasii Logici antehac scripsimus. Cùm quatuor sint genera quæstionum, quæ proponi possunt, universè affirmantes, in parte affirmantes, universè negantes, & in parte negantes: quatuor documentis complecti possumus generalem medii inveniendi, argumentive rationem.

Primum documentum. U*t quæstio universalis affirmativa confirmetur, quærendum est aliquid, quod idem sit antecedens prædicati, & consequens subjecti*. e.g. Si proposita sit quæstio: *omnisne justitia sit laudanda, annon?* cujus partem affirmativam probare velis, accipe *virtutem*, de quâ universè affirmatur *laudandum*, quæque universè affirmatur de *justitiâ*, & confirmabis institutum in *Barbara*, hoc modo:

Omnis virtus est laudanda.
Omnis justitia est virtus.
Ergo omnis justitia est laudanda.

Secundum documentum. Ut quæstio particularis *affirmativa confirmetur, quærendum est medium, quod idem sit antecedens prædicati & subjecti, aut consequens prædicati, & antecedens subjecti.* Hâc arte probabis, *quandam substantiam esse viventem:* vel sumto *animali* pro argumento, ut propositum concludas in tertiâ figurâ, hoc modo:

Omne animal est vivens.
Omne animal est substantia.
Ergo quædam substantia est vivens.

Tertium documentum. U*t quæstio universalis negativa confirmetur, quærendum est medium, quod idem sit consequens subjecti, & repugnans prædicati: aut contrà consequens prædicati, & repugnans subjecti.* Hoc documento probabis, *nullum hominem esse lapidem;* vel sumto *animali* pro argumento, ut concludas in *Celarent*, aut *Cesare*, hoc modo:

Nullum animal est lapis.
Omnis homo est animal.
Igitur nullus homo est lapis.

Vel ita:

Nullus lapis est animal.
Omnis homo est animal.
Igitur nullus homo est lapis.

Vel

Vel sumto sensus experte pro medio, ut concludas in *Camestres*, hoc modo:

Omnis lapis est sensus expers.
Nullus homo est sensus expers.
Igitur nullus homo est lapis.

Quartum documentum. *Ut quæstio particularis negativa confirmetur, quærendum est medium, quod idem sit antecedens subjecti, & repugnans prædicati.* Hoc pacto probabis: *Quandam substantiam non esse viventem:* sumto *lapide* pro argumento, concludendoq; in prima figura, hoc modo:

Nullus lapis est vivens.
Quædam substantia est lapis.
Igitur quædam substantia non est vivens.

In secunda, hoc modo:

Nullum vivens est lapis.
Quædam substantia est lapis.
Igitur quædam substantia non est vivens.

In tertia hoc modo:

Nullus lapis est vivens.
Omnis lapis est substantia.
Igitur quædam substantia non est vivens.

Cap. 3. Communes affectiones syllogismi.

VIdimus syllogismi partes; nunc videbimus illius communes affectiones.

Communes syllogismi affectiones sunt consequentia syllogistica, potestas seu potentia syllogistica, & crypsis syllogistica.

Consequentia syllogistica est illatio consequentis ex antecedente.

Nam hæc sequitur dispositionem syllogisticam; ideoq; principia regulativa antecedenti capite tradita, etiam huc referri possunt, sed secundariò. Cæterùm hîc in genere docendum est de consequentiâ syllogisticâ, quatenus consideratur indifferenter, hoc est, quatenus non est necessaria, vel

Consequẽtia syllogistica.

contingens (de hâc enim infrà docebitur) ſed quatenus omni materiæ ſyllogiſticæ favet, ut loquuntur.

Conſequentia ſyllogiſtica eſt formalis, vel materialis.

Conſequentia formalis eſt, quæ ſyllogiſmo vi ſolius formæ ineſt.

Ejus canones ſunt duo:

1 Conſequentia formalis in quâvis materiâ, etiam impoſſibili ſeu falsâ, poteſt eſſe legitima.

Ratio: quia forma ſyllogiſtica, putà diſpoſitio, introduci poteſt non ſolùm in materiam probam, ſed etiam improbam. Jam verò conſequentia formalis dependet à formâ. Manente igitur formâ, manet & ipſa. Interim ſyllogiſmus in materiâ improbâ eſt ſyllogiſmus, quemadmodum numus adulterinus eſt numus. Itaque

Qualis eſt forma ſyllogiſtica, talis etiam eſt conſequentia formalis.

Si illa bona, & hæc; ſin illa mala, & hæc talis. Ratio jam dicta eſt in exegeſi canonis antegreſſi.

2 Ex falſo quandoq; colligitur verum ratione formæ ſyllogiſticæ.

Ex vero nil niſi verum ſequitur, & ex falſo nil niſi falſum ſequitur, ſi ſpectes conſequentiam materialem. At ſi ſpectes conſequentiam formalem, ex falſo quoque colligi poteſt verum. Hinc *Zabar. in 1. poſt. anal. cap. 2.* rectè ait: Ex falſo, quatenus falſum, per ſe ſequi tantùm falſum, per accidens autem verum, hoc eſt, ex propoſitionibus falſis contingere quidem ratione formæ ſyllogiſticæ, ut ex iis quandoq; colligatur verum, ſed non ratione materiæ, quatenus falſæ ſunt. Non enim falſitatem habere talem vim, ut ex eâ neceſſe ſit colligi verum. Atq; hoc eſt quod docet primus philoſophus de αὐταρκείᾳ veri, quòd illud non ſit indigum falſi ad ſui defenſionem. Si igitur ſic diſputet aliquis: Omnis lapis eſt baptizandus. Omnis infans in fœdere Dei comprehenſus eſt lapis. Ergò omnis infans in fœdere Dei comprehenſus eſt baptizandus: veram concluſionem colliget ex falſis præmiſſis vi con-

vi conſequentiæ formalis,ſeu legitimæ diſpoſitionis,à quâ pendet conſequentia formalis.

Conſequentia materialis eſt,quæ ſyllogiſmo vi ſolius materiæ ineſt.

Ejus canones in genere ſunt octo:

1 *Quidquid ſtat (hoc eſt, verum eſt) cum antecedente,ſtat etiam cum conſequente;ſed non contrà.*

Exempli gratiâ,ſi eſt homo,eſt animal;ſed non contrà,ſi eſt animal, eſt homo.

2 *Quidquid repugnat conſequenti,id etiam neceſſariò repugnat antecedenti;ſed non contrà.*

Verbi gratiâ, ſi non eſt animal,non eſt homo;non autem,ſi non eſt homo,non eſt animal.

3 *Ex quocunq; ſequitur antecedens,ex eo etiam ſequitur conſequens.*

Verbi gratiâ,ſi homo eſt animal,& animal eſt ſubſtantia, etiam homo eſt ſubſtantia. Sed hic canon valet in rebus eſſentialiter ſibi ſubordinatis,terminis item propriis & protonoëmaticis. Non enim eſt conſequens: Si Chriſtus eſt vitis & vitis eſt arbor. Ergò etiam Chriſtus eſt arbor. Nec valet: Si homo eſt animal,& animal eſt genus. Ergò homo etiam eſt genus.

4 *Ex veritate axiomatis univerſalis affirmati, ſequitur veritas axiomatis particularis affirmati,& falſitas univerſalis negati.*

Exempli gratiâ,ſi verum eſt,omnem creaturam ſuâ naturâ eſſe corruptibilem; ſequitur etiam verum eſſe, quandam creaturam eſſe talem; & falſum,nullam creaturam eſſe talem.

5 *Ex veritate axiomatis univerſalis negati ſequitur veritas particularis negati,& falſitas univerſalis affirmati:*

Ut,Si verum eſt,nullam beſtiam eſſe rationalem,ſequitur verum etiam eſſe,quandam beſtiam non eſſe rationalem;& falſum,omnem beſtiam eſſe rationalem.

6 *Ex veritate unius axiomatis æquipollentis sequitur veritas alterius;& contrà ex falsitate unius sequitur falsitas alterius:*

Ut,Si verum est,Christum esse impropriè viam,verum etiam est,Christum esse similem viæ:& rursus,si falsum est, Christum esse impropriè viam;sequitur etiam falsum esse, Christum esse similem viæ.

7 *Ex veritate axiomatis conversi sequitur veritas convertentis; & contrà ex falsitate conversi sequitur falsitas convertentis,secundùm omnes conversionis species.*

Exempli gratiâ,Si nulla stella est animal, etiam nullum animal est stella. Et,si omnis homo est animal,etiam quodcunq; non est animal,non est homo.

8 *Ex veritate unius axiomatis contradictorii,sequitur falsitas alterius;& contrà ex falsitate unius sequitur veritas alterius.*

Ratio suprà *lib.6.* est dicta; quia impossibile est,duo contradictoria simul esse vera & falsa: ut, Deus est, Deus non est; homo est animal rationale, homo non est animal rationale. Si igitur verum est,Deum esse; falsum est,Deum non esse.

Potentia syllogistica.

Potentia syllogistica est affectio syllogismi serviens illius confirmationi.

Aristot.2. prior. accidentia syllogismi dividit in potentias & impotentias, seu,ut alii loquuntur,in virtutes & vitia. Ac potentias quidem recenset quinque, quarum prima dicitur potentia plura inferendi ex uno;altera,colligendi vera ex falsis; tertia, potentia probandi per circulum; quarta, probandi per conversionem; quinta, potentia probandi per impossibile. Nos paulò aliter istas potentias recensemus.

Potentia syllogistica est reductio , expositio, probatio per circulum , probatio per conversionem,& probatio per impossibile.

Reductio syllogistica.

Reductio est mutatio syllogismi secundùm formam

mam ad evidentiùs ostendendam illationis necessitatem.

Hic docetur in genere de reductione, non quatenus est propria secundæ & tertiæ figuræ. Non enim solùm ibi reductio habet locum; sed etiam hypothetico & alii syllogismo convenit.

Reductio est directa, vel indirecta,

Reductio directa est, quæ necessitatem illationis ostendit solâ propositionum conversione & transpositione. *Usitatè dicitur* ostensiva.

Hîc nota, conversionem & transpositionem vocari instrumenta ostensivæ reductionis.

Reductio indirecta est, quæ necessitatem illationis ostendit per id, quo adversarius ad absurdum & impossibile deducitur: *unde &* reductio per impossibile, *&* ad impossibile seu absurdum ducens *appellatur. Exempla vide infra* cap. 5.

Expositio syllogistica est mutatio terminorum universalium syllogismi in singulares, ut illationis necessitas ad sensum eò evidentiùs pateat. **Expositio syllogistica.**

Græci vocant ἔκθεσιν; vulgares Logici appellant *syllogismum expositorium*. Notetur hîc quorundam error, qui statuunt, expositionem duntaxat in figurâ tertiâ habere locum. Hic error confutatur ex fine expositionis. Inventa est illa, nõ solùm syllogismis imperfectis perficiendis, ut illi tradunt: sed ostendendæ necessitati illationis, ut illa ad sensum pateat. Siquidem ea nihil est aliud, quàm sensilis, sive ad sensum provocans explicatio. Fit igitur hoc modo (quod diximus) Si termini universales mutentur in singulares, verbi gratiâ, Omnis homo ratione est præditus. Omnis homo est animal. Ergò quoddam animal ratione est præditum. Istius syllogismi bonitas & necessitas expositione comprobatur, si loco medii universalis sumas singulare, quod sub eo continetur: Socrates est ratione præditus. Socrates est animal. Ergò quoddam animal est ratione præditum. Eodem modo ex-

poni poteſt hic ſyllogiſmus primæ figuræ: Præcurſor Chriſti non eſt ipſe Chriſtus. Quidam homo eſt præcurſor Chriſti. Ergò quidam homo non eſt ipſe Chriſtus. Exponitur hoc modo: Præcurſor Chriſti non eſt ipſe Chriſtus. Johannes Baptiſta eſt præcurſor Chriſti. Ergò Johannes Baptiſta non eſt ipſe Chriſtus. Ad ſummam: In omni ſyllogiſmo generali ſunt propoſitiones exponibiles. Ergò & ibi locum habere poteſt expoſitio. Vide diſſentientem *Arniſæum in Logic. Crell. pag. 384. 385.*

Probatio per circulum.

Probatio per circulum eſt, quâ concluſionem ſyllogiſmi jam facti ſumimus tanquam majorem vel minorem, & cum eâ alteram præmiſſarum ſimpliciter converſam conjungimus, ita ut alteram præmiſſarum relictam & demonſtrandam concludamus. *Alii vocant* circulum, *item* ſyllogiſmum in orbem *ſeu* circularem.

Quemadmodum enim in circulo ab eodem puncto ad idem punctum per peripheriam fit reditus: ita hîc ab iiſdem propoſitionibus ad earundem confirmationem per concluſionis probationem reditur. Hinc colligere eſt, circulum *ſyl*logiſticum requirere terminos reciprocos. Videamus exemplum. Sit ſyllogiſmus: Omne riſibile eſt rationale. Omnis homo eſt riſibilis. Ergò omnis homo eſt rationalis. Hujus ſyllogiſmi major probari poteſt per concluſionem loco majoris poſitam, & minorem ſimpliciter converſam hoc modo: Omnis homo eſt rationalis. Omne riſibile eſt homo. Ergò omne riſibile eſt rationale. Similiter minor probatur per majorem ſimpliciter converſam, & concluſionem loco minoris poſitam: ut, Omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergò omnis homo eſt riſibilis.

Probatio per circulum eſt vel per perfectum, vel per imperfectum.

Probatio per circulum perfectum eſt, quæ conſtat ſex ſyllogiſmis:

Quorum primus probat concluſionem primam, ſecundus propoſitionem, tertius aſſumtionem, quartus aſſumtionis con-

onis convertentem, quintus propoſitionis convertentem, ſextus concluſionis convertentem. Hic circulus in ſolo Barbara reperitur. e. g.

I.

Omnes juſtificati pacem habent cum Deo.
Omnes verè credentes ſunt juſtificati. Ergò
Omnes verè credentes pacem habent cum Deo.

II.

O. verè credentes pacem habent cum Deo.
O. juſtificati ſunt verè credentes. E.
O. juſtificati pacem habent cum Deo.

III.

Quicunq; pacem habent cum Deo, ſunt juſtificati.
O. verè credentes pacem habent cum Deo.
E. omnes verè credentes ſunt juſtificati.

IV.

Quicunq; pacem habent cum Deo, verè ſunt credentes.
O. juſtificati pacem cum Deo habent. E.
O. juſtificati verè credentes ſunt.

V.

O. verè credentes juſtificati ſunt.
Quicunq; pacem habent cum Deo, verè credentes ſunt.
Ergò quicunq; pacem habent cum Deo, juſtificati ſunt.

VI.

O. juſtificati verè credentes ſunt.
Quicunq; pacem habent cum Deo, juſtificati ſunt.
E. quicunq; pacē habent cum Deo, verè credentes ſunt.

Probatio per circulum imperfectum eſt, quæ conſtat paucioribus ſyllogiſmis, quàm ſex.

Hæc locum habet in cæteris primæ figuræ modis, & in reliquis figuris, tametſi non in omnibus illarum modis. Exemplum unicum ſufficiat in Diſamis: Aliquod animal eſt album. Omne animal eſt ſenſitivum. Ergò aliquod ſenſitivum eſt album. Circulus hic eſt: Aliquod ſenſitivum eſt album. Omne ſenſitivum eſt animal. E. aliquod animal eſt album. Vide Philoſophum *2. prior. c. 6. 7. & Zabar. in tabb. Logicis.*

Probatio per converſionem.

Probatio per converſionem eſt propoſitionis falſæ in ſyllogiſmo poſitæ refutatio per oppoſitam

conclusionis ejus loco positam,& retentam alteram præmissarum veram.

Aristoteles vocat ἀντιστροφὴν, *obversionem*, *2.prior. cap.8.* Vulgò statuunt speciem deductionis ad absurdum. exempli gratiâ, si quis sic inferat: Omnis regeneratus placet Deo. Omnis baptizatus est regeneratus. Ergò omnis baptizatus placet Deo. Hîc retinetur major, sed conversa, & loco minoris, quæ falsa est, ponitur contradictoria conclusionis, & ita evertitur minor, hoc modo: Omnis qui placet Deo, est regeneratus. Quidam baptizatus non est regeneratus. Ergò quidam baptizatus non placet Deo. Si quis sic argumentetur: Nullus servus peccati salvatur. Omnis verus Christianus est servus peccati. Ergò nullus verus Christianus salvatur. Hîc contraria falsæ conclusionis ponitur loco minoris falsæ, & sic concluditur veritas: Nullus servus peccati salvatur. Omnis verus Christianus salvatur. Ergò nullus verus Christianus est servus peccati.

Probatio per impossibile.

Probatio per impossibile est, quâ conclusionis alicujus, quam adversarius negat, cōtradictionem sumimus, & cum eâ propositionem manifestò veram atq; concessam ab adversario; quib. conclusio falsa, seu τὸ impossibile concluditur, ex quo deinde primaria nostra conclusio, quam concludere constitueramus, hypotheticè efficitur.

Aristoteles vocat συλλογισμὸν δι' ἀδυνάτου, & εἰς τὸ ἀδύνατον: *syllogismum ducentem ad impossibile*. Sunt autem duæ argumentationes seu duo processus in syllogismo ducente ad impossibile. Prior processus est categoricus, concludens impossibile; secundus est hypotheticus. A nobis ista deductio statuitur affectio, non species syllogismi; quia nulla est quæstio, quæ ita probari non possit. Nulla siquidem est enunciatio, cui non detur contradicens. Porrò syllogismus ostensivus directè probat thesin, quam intendimus; at syllogismus ad impossibile probat quod impugnamus: & quò ineptior est conclusio & falsior, eò melior est syllogismus. Tali probatione utimur vel necessitatis gratiâ, videlicet apud eum, qui petit rationem eorum, quæ non possunt ostensivè probari,

bati, qualia ſunt prima principia, & quæcunque ſunt manifeſtè vera; vel voluptatis causâ, ut confundamus adverſarium arrogantem. exempli gratiâ, eſto concluſio: Omnes fide juſtificati pacem apud Deum habent. Hanc adverſarius nobis negat. Vera igitur eſt καθ' ὑπόθεσιν adverſarii, quæ illi contradicit: Quidam fide juſtificati pacem apud Deum non habent. Hanc accipio, & cum eâ aliam manifeſtò veram, & efficietur impoſſibile falſum: Quicunque ſecundùm ſpiritum, & non ſecundùm carnem ambulant, ii pacem habent apud Deum. (Hæc enim eſt utrinque conceſſa.) Quidam fide juſtificati pacem apud Deum non habent. Ergò quidam fide juſtificati ſecundùm carnem, & non ſecundùm ſpiritum ambulant. Hoc autem fieri non poſſe utraque pars fatetur. Hinc igitur hypothetico conjuncto (disjunctus enim hîc locum non habet) primaria noſtra concluſio efficitur hoc modo: Si hæc concluſio falſa eſt, falſa etiam eſt alterutra præmiſſarum. Non major, quia utrinque conceſſa. Ergò minor. Vera igitur illius contradictio: omnes fide juſtificati pacem habent cum Deo, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Potes & hoc modo paulò aliter procedere. Sit hoc thema: omnis verus Chriſtianus ſalvatur. Hoc negat adverſarius. Probatur per impoſſibile, hoc modo. Aut verum eſt hoc thema, aut ejus contradictorium. Sed ejus contradictorium non eſſe verum probatur hoc ſyllogiſmo ſimplici. Omnis verè credens ſalvatur. Quidam verus Chriſtianus non ſalvatur. Ergò quidam verus Chriſtianus non eſt verè credens. Sed hæc concluſio eſt falſa. Itaque & alterutra præmiſſarum erit falſa. Sed major non eſt falſa: quippe quæ nititur expreſſis Scripturæ teſtimoniis. Ergò minor eſt falſa, & per conſequens ejus contradictoria eſt vera: omnis verus Chriſtianus ſalvatur; id quod erat principale thema. Ad hanc probationem referimus ſyllogiſmum oppoſitivum, quem vocant: ut, Omnia ſacramenta ſunt res externæ ſub ſenſum cadentes. At quoddam ſacramentum ex hypotheſi adverſarii non eſt res ſub ſenſum cadens. Ergò quoddam ſacramentum non eſt ſacramentum. Sic diſputari poteſt contra Papiſtas, qui nuda accidentia panis

remanere contendunt in ſacrificio miſſæ, & corpus Chriſti ſub pane latere credunt, & ſenſus falli vociferantur.

Crypſis ſyllogiſtica eſt receſſus ſyllogiſmi ab ordinariâ & naturali diſpoſitionis ſyllogiſticæ normâ.

Eſtque defectus, redundantia, vel inverſio ſyllogiſtica.

Defectus ſyllogiſticus eſt, per quem pars aliqua ſyllogiſmi omittitur:

Idque vel brevitatis, vel evidentiæ, vel ornatus, vel infirmitatis causâ. Sic docti viri enthymematicè diſputant, quando breves eſſe cupiunt, vel cum res eſt ſat evidens. Oratores ornatus causâ mutilant ſyllogiſmos. Sophiſtæ denique omittunt partem illam, quam magnâ infirmitate laborare vident.

Redundantia ſyllogiſtica eſt, per quam præter partes eſſentiales aliquid additur ſyllogiſmo: *idq; vel probandi, vel amplificandi gratiâ.*

Inverſio eſt, per quam ordo naturalis partium ſyllogiſmi immutatur: *idq; ornatus causâ. Exempla vide infra* cap. 14.

Cap. 4. Figura prima.

SEquuntur ſpecies ſyllogiſmi, quæ ſunt formales, vel materiales.

Formales ſunt, quæ formam illius concernunt: & ita ſyllogiſmus eſt perfectus, vel imperfectus.

Syllogiſmus perfectus eſt, qui cum naturali diſpoſitionis ſyllogiſticæ normâ congruit.

Eſtque vel categoricus, vel hypotheticus.

Ille ſimplex, hic compoſitus dicitur. Singulariter hîc ineptiunt Logici, etiam primæ claſſis, dum ſyllogiſmum compoſitum habent pro imperfecto. Fateor quidem eſſe imperfectum,

An ſyllogiſmus compoſitus ſit

fectum, si conferatur cum perfectiori, nimirum simplici. Sed hâc ratione figura prima sola fuerit dicenda perfecta. Hîc igitur æstimemus perfectionem syllogismi è naturali & ordinariâ dispositione; cujus perfectionis tres gradus statuamus, summum in figurâ primâ, medium in figurâ secundâ & tertiâ, infimum in syllogismo composito. Imperfectionem autem æstimemus ex crypsi. imperfectus?

Syllogismus categoricus est, qui disponit quæstionis prædicatum cum medio termino in propositione, subjectum cum eodem in assumtione. *Latinè diceres* prædicativum.

Dicitur, ut antè monui, simplex; vel quòd constituatur è simplicibus axiomatibus; vel quia quæstionis partes simpliciter & sigillatim in præmissis collocantur. Definitur etiam, quòd constet tribus propositionibus categoricis. Vulgò in syllogismo categorico dicunt esse figuram & modum, non quòd in composito hæc talia non sint, sed κατ' ἀντονομασίαν, quia in categorico sunt nobiliori modo. Alioquin in composito syllogismo etiam est utrumque. Nam forma syllogismi consistit in legitimâ deductione; & ea continetur tùm certâ figurâ, quæ consistit in bona medii dispositione, tum modo, qui consistit in justâ contemperatione enunciatorum in quantitate & qualitate: quæ duo etiam sunt in syllogismo composito.

Estq; primarius, vel secundarius. *Ille principalis, hic minus principalis dici potest.*

Primarius est, qui necessitatem illationis habet, & necessitatis evidentiam, ita ut medius terminus antecedat in propositione, sequatur affirmatus in assumtione. *Dicitur vulgò* prima figura, *Ramo* syllogismus explicatus secundus.

Hîc obiter duo quæruntur. 1. Quot sint figuræ? 2. Quæ sit prima figurarum syllogisticarum? Resp. ad 1. Tot sunt figuræ syllogisticæ, quot possunt esse medii termini collocationes simplices. At medius terminus triplicem duntaxat habere potest situm cum extremis quæstionis. Aut enim antecedit in propositione, & sequitur in assumtione, ut in figu- Quot sint figuræ syllogisticæ?

râ primâ: aut semper sequitur, ut in figurâ secundâ; aut semper antecedit, ut in figurâ tertiâ. Hinc versus memorialis:

Pri sub.præ:*tenet altera* bis præ: *tertia* bis sub.


Hoc est, In primâ figurâ medius terminus in majore est subjectum, in minore prædicatum; in secundâ semper prædicatum; in tertiâ semper subjectum. Galenus addit quartam figuram, in quâ medius terminus in minori subjicitur, & in majori prædicatur, verbi gratiâ, omnis homo est animal. Omne animal est corpus. Ergò quoddam corpus est homo. Sed hæc dispositio Galenica procedit contra naturam & dictum de omni, quod jubet, ut terminus qui prædicatur in præmissis, itidem prædicetur in conclusione, & qui illîc subjicitur, & hîc subjiciatur. Totum hoc invertit quarta figura. Nam in exemplo allato, CORPUS, subjectum conclusionis, in minori fit prædicatum, & prædicatum HOMO, in majori subjectum. Itaque medius terminus, ANIMAL, quodam modo de se ipso dicitur: quia dum de prædicato quæstionis dicitur, & prædicatum de subjecto, subjectumque rursus de medio, consequitur etiam, medium de se ipso dici. Quod enim majori majus est, id etiam minori majus est. Revera autem absurdum est, aliquid majori majus esse, minore verò minus, perinde ac si quis ipso principe major sit, famulo autem principis minor. Ita enim se ipso quoque major fuerit, quod est contra naturam, ut acutè disputat *Crellius in isagog. Logic. part. comment. lib. 3. cap. 5.* Ad summam, quarta figura est eversio & perversio primæ. Jam respondeamus ad quæstionem secundo loco propositam de ordine figurarum. Probamus autem ordinem Peripateticum hoc argumento. Figura prima est generalior reliquis duabus. Ergò & illis prior. Probatur antecedens duplici ratione. 1. Vis & potestas syllogismi ex conclusione æstimari debet. Cum verò in primâ figurâ omnis generis conclusiones sequantur, illa utique ob suam universalitatem præcedere debet. Tertia enim figura tantùm particulariter, secunda tantùm negativè concludit: sed prima tam particulariter & universaliter, quàm affirmativè & negativè. Et hæc est illius prærogativa.

Ordo figurarum syllogisticarũ.

tiva. 2. Regula priùs nota esse debet quàm regulatum. At prima figura est regula reliquarum. Nam perfectissima est; quippe cùm dictum de omni & nullo contineat actu, quod in reliquis potentiâ tantùm invenitur. Atque hinc est, quòd reliquæ figuræ ad primam reducendæ sint, ut fiant evidentes. Nunc redeamus ad primam figuram, cujus canones hi sunt:

1 *Situs medii termini in hâc figurâ omnium est naturalissimus, & ad concludendum accommodatissimus.*

Ratio prioris est; quia medius terminus in hâc figurâ est propriè & reverâ medius. Etenim omne medium, quod est inter duo extrema secundùm altitudinem, id est, inter extremum superius & inferius, illud, inquam, medium debet habere aliquod extremum supra se, & aliquod infra se. Atqui medius terminus in primâ figurâ est talis. Habet enim terminum supra se, nempe prædicatum conclusionis in majore propositione positum, & habet terminum infra se positum, nempe subjectum conclusionis in minore propositione positum. Nam sciendum est, Logicos omne prædicatum appellare terminum superiorem, subjectum autem appellare terminum inferiorem, eodem sensu, quo diximus suprà, prædicatum appellari terminum majorem, subjectum terminum minorem. Diagramma est tale:



Atque hinc etiam patet, cur hæc figura ad concludendum sit accommodatissima, quæ erat altera canonis pars.

2 *Modi figuræ primæ sunt quatuor.*

Modus syllogisticus est legitima duarum propositionum, & conclusionis dispositio secundùm quantitatem & qualitatem legitimam. Est autem qualitas legitima, ut vel utraq; præmissarum, vel minimùm altera sit affirmans (ex pu-

ris enim negantibus nil ſequitur) quantitas legitima,ut vel utraque, vel minimùm altera præmiſſarum univerſalis ſit: quia nihil efficitur ex puris particularibus. Cæterùm modi primæ figuræ continentur hoc verſu:

Modi figuræ primæ.

Barbara, Celarent, primæ, *Darii, Ferioq́;*.

In his vocabulis mnemonicis habenda eſt ratio vocalium: quâ de re ſunt hi verſus memoriales:

Aſſerit A, *negat* E; *ſed univerſaliter ambo.*
Aſſerit I, *negat* O; *ſed particulariter ambo.*

Senſus hic eſt:

A	notat propoſitionem ſeu enunciationem	Univerſalem affirmantem.
E		Univerſalem negantem.
I		Particularem affirmantem.
O		Particularem negantem.

Videamus exempla.

BAR *Omnis qui aliena detinet, eſt fur.*
BA *Omnis avarus aliena detinet.*
RA. *Ergò omnis avarus eſt fur.*

CE *Nullus ſerviens affectibus eſt liber.*
LA *Omnis ambitioſus ſervit affectibus.*
RENT. *Ergò nullus ambitioſus eſt liber.*

DA *Omne reſpirans habet pulmones.*
RI *Aliqui piſces reſpirant.*
I. *Ergò aliqui piſces habent pulmones.*

FE *Nullum viviparum eſt avis.*
RI *Aliqua volucris eſt vivipara.*
O. *Ergò aliqua volucris non eſt avis.*

Sunt quidem in unaquâque figurâ 36 modi pro varietate qualitatis & quantitatis, ut oſtendit Crellius in Logicis: ſed quatuor ſolùm in hâc figurâ ſunt utiles, totidem in ſecundâ, ſex in tertiâ.

3 *Major in primâ figurâ ſemper ſit univerſalis.*

Ratio: quia in propoſitione majore continetur genus ſeu communius, in minore ſpecies, vel individuum, aut ſimile quod eſt anguſtius. Ut igitur fieri poſſit proceſſus à communiori ad anguſtius, omnino requiritur ut major ſit univerſalis. Hoc patet è dicto de omni, quod in hâc figurâ eſt evidentiſſi-

dentissimum. Non igitur valet: Quidam peccator est electus ad vitam æternam. Omnis homo est peccator. E. omnis homo est electus ad vitam æternam.

4 *Minor semper debet esse affirmans.*

Ratio hujus canonis etiam petitur è dicto de omni. Nimirum hîc in minori debet fieri applicatio generis ad speciem vel individuum. At illa non fieret, si minor esset negans. Non igitur valet: Omne homicidium est puniendum. Nullum furtum est homicidium. Ergò nullum furtum est puniendum. Sed hîc cauto opus est. Videtur enim nonnunquam minor esse negans, cum reverâ sit affirmans, idque propterea, quia finita existimatur, quæ infinita est. Accidit hoc quoties particula negandi in majore inseritur subjecti descriptioni, sive major illa sit affirmans, sive negans. Suprà libro sexto docuimus, quòd infinita non neget; quia videlicet verbum, non nomen, habet vim aliquid certi asseverandi, verumque à falso dividendi; ut si dicas, Judas non prodidit Christum, negatio est: at si dicas, Judas prodidit non Christum, affirmatio est, quâ aliquid incertum & infinitum affirmas. Exempli gratiâ. Quodcunque non est compositum, est immortale. Anima rationalis non est composita. Ergò anima rationalis est immortalis. Minor non est negans. Ratio; quia conclusio in qualitate & quantitate semper sequitur partem debiliorem. At conclusio hîc est affirmans. E. & utraq; præmissarum erit talis. Minor autem est infinita; quo fit, ut particula negandi prępofita copulæ, non ad copulam, sed ad prædicatum pertineat. Liquet hoc ex majore, in quâ illa particula negandi non ad copulam, sed ad descriptionem subjecti pertinet. Sic igitur minor erat formanda: Anima rationalis est non-composita. Huc pertinent & illa exempla: Qui non est doctus, non est mathematicus. Rusticus non est doctus. E. non est mathematicus. Item: Qui non colligit cum Deo, dissipat. Improbi non colligunt cum Deo. E. dissipant. Item: Nullum dogma nō expressum in S. literis, est obtrudendū Christianis. At dogma Anabaptistarum nō est expressum in SS. literis. E. dogma Anabaptistarum nō est obtrudendum Christianis. In his exemplis minor habet axiomaticam crypsin, ideoq; sic rectificãda: Rusticus est non-

doctus: Impii colligunt non cum Deo: Anabaptiſtarum dogma eſt dogma non-expreſſum in S. literis. Atq; hinc patet, quàm neceſſaria ſit doctrina de axiomate infinito. Præterea termini iſti, qui negare videntur, mutari poſſunt in affirmantes, ut cuivis manifeſtum ſit, minorem non eſſe negantem: ut in poſtremo exemplo: Nullũ dogma quod Scriptura tacet, eſt obtrudendũ. Dogma Anabaptiſtarum ſcriptura tacet. E. Sic ille ſyllogiſmus Phariſæorum *Joh. 9.* Qui non ſervat Sabbathum, is non eſt à Deo. Chriſtus non ſervat Sabbathum. E. Minor infinita eſt, & iccircò affirmans, perinde atq; ſi dicam: Nullus homo non ſervans Sabbathum eſt à Deo. Chriſtus eſt homo non ſervans Sabbathum. Ergò. Mutari etiam poteſt in terminos actu affirmantes: Qui Sabbathum violat, non eſt à Deo. Chriſtus Sabbathum violat. Ergò.

Cap. 5. Figura ſecunda.

SYllogiſmus ſimplex ſecundarius eſt, qui neceſſitatem illationis habet non evidentem.

Eſtq; vel in ſecundâ, vel in tertiâ figurâ.

Diximus capite præcedenti, figurã primam eſſe reliquarũ menſuram. Sicut igitur menſuratũ reducitur ad ſuam menſuram: ita & hæ figuræ reducuntur ad primam. Huic reductioni ſerviunt conſonæ, quæ ſunt in vocabulis modorum, & continentur his verſibus:

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, ſecunda.
Tertia grande ſonans recitat, Darapti, Felapton.
Adjungens Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Nomina horum modorum adeò artificiosè ſunt compoſita, ut meritò mirari poſſimus veterum Logicorũ ἀγχίνοιαν in his talib. excogitandis. In Græcâ linguâ nonnulli idem attentarunt, & modos figuræ primæ vocarunt γράμματα, ἔγραψε, γραφίδι, τεχνικός; ſecundæ, ἔγραψε, κάτεχε, μέτριον, ἄχολον &c. Vocabula illa ſunt quidem σημαντικὰ, ſed non ita apta ut Latina; quia non ſolùm vocalium ratio habenda eſt, ut in Græcis factum, ſed etiam conſonarum. De vocalibus diximus ad canonem 2. cap. præced. De conſonis hîc dicemus. Nam illæ ſerviunt reductioni figuræ ſecundæ & tertiæ. Sunt

autem

autem conſonæ in iſtis vocabulis vel initiales B. C. D. F. vel intermediæ S.P.M.C. De poſterioribus ſunt hi verſus:

S. vult ſimpliciter verti. P. verò per acci.
M. vult tranſponi. C. per impoſſibile duci.

Modi duarum figurarum poſteriorum non adeò perſpicuè concludunt, ut neceſſitas colligēdi ſtatim appareat. Itaq; quisque eorum eget converſione aliquâ, aut evidenti deductione ad impoſſibile, aut expoſitione, aut certè pluribus converſionibus, quibus ipſa conſequentiæ neceſſitas planè perſpiciatur. Literæ igitur initiales iſtorum vocabulorum ſignificant, per quē modum perfectum quisq; imperfectus ſit probandus, adeoq; perficiendus. B. namq; ſignificat, probandum eſſe per *Barbara*. C. per *Celarent*. D. per *Darii*. & F. per *Ferio*. S. verò ſignificat enunciationem, quam deſignat vocalis præcedens, convertendam eſſe ſimpliciter, P. verò per accidens. M. ſignificat mutationē majoris in minorem, & minoris in majorem, quam præmiſſarum tranſpoſitionem vocant. Fit autem in *Cameſtres* & *Diſamis*. Deniq; C. poſt primam ſyllabam in dictione poſitum, ſignificat modum talē non oſtenſivè ſeu directò probari poſſe, ſed deductione ad impoſſibile; ſumtâ videl. contradicente concluſionis in ſyllogiſmo perfecto, loco illius ſumtionis, quę deſignatur per vocalem præcedentem. Invenitur in duobus tantùm modis in *Baroco* nimirum & *Bocardo*. Videamus ſingula.

Ceſare		*Celarent.*
Cameſtres		*Celarent.*
Feſtino	probatur conver-	*Ferio.*
Darapti	ſione & illatio-	*Darii.*
Felapton	ne ſuæ conclu-	*Ferio.*
Diſamis	ſionis in	*Darii.*
Datiſi		*Darii.*
Feriſon		*Ferio.*

Baroco & *Bocardo* non probantur interventu converſionis, ſed, uti diximus, deductione ad impoſſibile. Exempli gratiâ: Quod interit, illud eſt elementatum. Animus non eſt elementatus. Ergò non interit. Hic modus per impoſſibile ſic reducitur è Cameſtres in Celarent: Quod eſt elementatum, non eſt animus. Quod interit, eſt elementatum. Ergò quod interit, non eſt animus. Hoc modo

utimur, cùm adversarius præmissas quidē concedit, sed conclusionem ex præmissis sequi negat. Tum conclusio vel minoris, vel majoris locum occupabit. Atq; ita adversarium ad contradictionem adigimus. Præterea, si vocalem primam, secundam vel tertiam sequitur S, tum propositio, quæ vocali illâ denotatur, debet converti simpliciter: ut, in *Cesare* primam vocalem sequitur S. Quare prima propositio debet converti simpliciter, videl. in *Celarent*: ut, Nullus homo est lapis. Omnis adamas est lapis. E. nullus adamas est homo. Hîc major convertitur: Nullus lapis est homo. Omnis adamas est lapis. Ergò. Cætera sunt è dictis plana.

Figura secunda.

Syllogismus in figurâ secundâ est, cujus medius terminus bis sequitur in præmissis, in alterutrâ negatus. *Ramo dicitur* explicatus secundus:

Ejus canones sunt:

1 Modi secundæ figuræ sunt quatuor.

Nimirum utiles. Confer cum can. 2. cap. præced. Exempla modorum sunto hæc:

CE *Nulli reprobi salvantur.*
SA *Omnes verè credentes salvantur.*
RE. *Ergò nulli verè credentes sunt reprobi.*

CA *Quicunque verè credunt, salvantur.*
ME *Nulli temporarii salvantur.*
STRES. *Ergò nulli temporarii verè credunt.*

FE *Nullum compositum est æternum.*
STI *Aliquid in homine est æternum.*
NO. *Ergò aliquid in homine non est compositum.*

BA *Omnes oves Christi in ovili manent.*
RO *Quidam in Ecclesiâ in ovili non manent.*
CO. *Ergò quidam in Ecclesiâ non sunt oves Christi.*

2 Major semper sit universalis.

Non igitur valet: Quædam delicta puniuntur à magistratu. Ebrietas non punitur à magistratu. E. ebrietas non est delictum. Ratio canonis est; quia si major esset particularis,

minor

minor universalis, fieret quandoque ut ex præmissis veris falsa efficeretur conclusio. Talis autem modus est inutilis: cùm ex vero nonnisi verum consequatur. Exempli gratiâ. Quidam homo est albus. Nullus æthiops est albus. Ergò nullus æthiops est homo. Crellius etiam hanc addit rationem: quia si à particulari ad universale procederetur in hâc figurâ, conclusio colligeretur universalis, contra præceptum illud: Conclusio imitetur partem debiliorem. Aliâ enim ratione in hac figura, quàm in tertia proceditur. Hîc enim duo disparata aut opposita à se invicem removētur: ut ibi ex angustiori seu specie genus sive communius in parte concludimus. v. g. Quoddam animal sentit. Nullus lapis sentit. E. nullus lapis est animal. Arnisæus addit tertiã ex dicto de Omni: In secundâ figurâ, ait, propterea removetur major de minore, quia medius remotus fuit ab omni parte majoris vel minoris. Nihil enim hîc refert, sive major, sive minor negetur. Unde peculiare præ primâ & tertiâ figura habet hoc secunda, ut minorem etiam admittat negativam.

3 *Ex puris affirmativis in hâc figurâ nihil sequitur.*

Ratio; quia est disparatorum figura, quæ sibi invicem tribui non possunt. Hinc hæc figura est maximè *ἀνασκευαστική, accõmodata ad refutandum.* Deinde, si ex utraq; præmissâ affirmante affirmans inferatur cõclusio, fiet ut ex præmissis veris falsum efficiatur: ut, Omnis homo est animal. Omnis asinus est animal. E. Omnis asinus est homo. Sic non valet: Omnis gallina est bipes. Omnis homo est bipes. Ergò omnis homo est gallina. Arnisæus tertiam rationem addit petitam ex dicto de Nullo. Tum enim, ait, ad secundam figuram trahit nos consuetudo ratiocinandi, quando medius latiùs patet utroque extremo; sicut ad tertiam eadem consuetudo nos rapit, quando medius utroque extremo est angustior. Jam non valet, quæ in uno tertio communi conveniunt, inter se conveniunt. Thomas hoc axioma sic limitat: Illa videntur esse idem inter se, quæ in uno tertio conveniunt, secundùm rem & rationem. Aliâs homo & asinus conveniunt in uno tertio essentiali genere, nec tamen sunt idem inter se; quia secundùm Thomam genus ratione differt à speciebus, secundùm Scotum etiam reipsâ. Multò minùs

valebit axioma in doctrinâ hâc syllogisticâ, ubi commune quippiam latissimè sumitur, adeò ut nec essentialis sit majoris & minoris in illo cõvenientia. e.g. Omnis mathematicus est doctus. Omnis JCtus est doctus. Licet mathematicus & JCtus conveniant in docto, tamen non conveniunt inter se. Falsum est enim: omnem JCtum esse mathematicum. Accidit tamen interdum, ut in secundâ figurâ affirmantes valeant: ut, Omnis homo est rationalis. Omne risibile est rationale. E. omne risibile est homo. Sed consequentia valet: 1. nõ propter formam, sed propter materiam. Hîc enim sunt termini reciproci, qui se mutuò consequuntur, sine syllogismo. 2. non vi secundæ, sed primæ figuræ, quia major est reciproca. Semper enim in secundâ figurâ, si major constat ex terminis reciprocis, etiam affirmativa sequitur conclusio, vi primæ figuræ, in quam reducitur syllogismus, solâ majoris conversione, nimirum: Omnis homo est risibilis. Omnis doctus est risibilis. Ergò omnis doctus est homo. Converte hîc majorem simpliciter, quia constat terminis reciprocis, & syllogismus concludet in primâ figurâ. Et hoc evenit ex dicto de Omni, quod in secundâ quoque figurâ continetur, sed per levem transpositionem actuatur, & actu apparet in primâ. Notetur canon: *Syllogismus ex puris affirmantibus in figurâ secundâ valet, cùm major est convertibilis.* Itaq; tantùm valet propter materiam. Quare dici possunt hujusmodi syllogismi secundæ figuræ; sed modo destituuntur, cùm conclusiones sint non negatæ, sed affirmatæ. Huc refer & istos syllogismos: Qui non perseverant ad finem, non erunt salvi. E-lecti erunt salvi. E. electi perseverant ad finem. Item: Qui non habent Spiritum Christi, non sunt ejus. Electi sunt ejus. E. habent Spiritum Christi. Hîc propositiones majores æquipollent affirmativis: Qui erunt salvi, ad finem perseverant: Qui sunt Christi, habent Spiritum ejus. Itaq; concludunt & hi syllogismi vi primæ figuræ: id quod è conclusione videre est, quæ affirmata est, licet major sit negata.

Cap.

Cap. 6. Figura tertia.

SYllogiſmus in figurâ tertiâ eſt, cujus medium bis antecedit in præmiſſis, affirmatum in aſſumtione, ut exiſtat concluſio particularis.

Hic ſyllogiſmus Ramo dicitur *contractus*. Malè. Ratio, quia nec ſemper invenitur cõtractus apud authores, nec hoc ei eſt eſſentiale, ſed accidẽtale, quòd contrahatur. Obiter hîc notetur, nonnullos Logicos ſyllogiſmum ſimplicem facere alium anteceſſionis, alium conſecutionis, & alium miſtum. Anteceſſionis ſyllogiſmus ipſis eſt figura tertia; conſecutionis, figura ſecunda; miſtus, figura prima. Exiſtimant illi, hoc ordine collocandas eſſe figuras. Sed teneatur, ſitum medii hîc eſſe ſpectandũ non ratione anteceſſionis & conſecutionis, quoad extrema, ſed ratione evidẽtiæ, quæ in figurâ primâ eſt maxima. Cæterùm canones figuræ tertiæ videamus.

1 *Modi figuræ tertiæ ſunt ſex:*

Exempla ſunt iſta.

DA *Omnes juſtificati glorificantur.*
RA *Omnes juſtificati ſanctè vivunt.*
PTI *Ergò quidam, qui ſanctè vivunt, glorificantur.*

FE *Nulli hypocritæ glorificantur.*
LA *Omnes hypocritæ ſanctè vivere videntur.*
PTON. *E. quidam, qui ſanctè vivere videntur, non glorificantur.*

DI *Quidam verè credentes graviter peccant.*
SA *Omnes verè credentes glorificantur.*
MIS. *E. quidam, qui glorificantur, graviter peccant.*

DA *Omnes verè credentes pacem habent cum Deo.*
TI *Quidam verè credentes graviter peccant.*
SI. *Ergò quidam, qui graviter peccant, pacem habent cum Deo.*

BO *Aliqua ira non eſt vitioſa.*
CAR *Omnis ira rationem turbat.*
DO. *Ergò aliquid quod rationem turbat, non eſt vitioſum.*

FE *Nulla justitia est vituperanda.*
RI *Aliqua justitia est severitas.*
SON. *Ergò aliqua severitas non est vituperanda.*

2 *Minor sit affirmans in tertiâ figurâ.*

Ratio; quia hîc fit processus à specie ad genus. Cum igitur de toto hîc prædicari debeat, quod prædicatur de parte, oportet partem affirmatè subjici toti: quoniam pars vel species nequit removeri à genere, sed illi affirmativè tribuitur. In minore verò medius subjicitur minori, ut pars toti. Oportet igitur id fieri affirmatè; sicut eadem ferè ratio exigebat affirmationem assumtionis in figurâ primâ. Non igitur valet: Omnis leo est animal. Nullus leo est homo. E. nullus homo est animal. Nec hoc: Omnis homo est animal. Nullus homo est asinus. E. nullus asinus est animal.

3 *Conclusio in tertiâ figurâ sit particularis.*

Cùm enim in hac figura à specie & angustiori, ad genus & cõmunius procedatur, non potest conclusio non esse particularis: cùm positâ specie, genus in parte solùm ponatur. Non igitur valet, Στοργαὶ sunt bonæ. Στοργαὶ sunt affectus. E. omnes affectus sunt boni. Accidit tamen ut hîc nascatur universalis conclusio ob terminos reciprocos, aut quia syllogismus talis est potestate in prima figura. Converte enim minorem in terminis reciprocis, jam syllogismus actu est in prima. e.g. ut, Omnis homo est animal. Omnis homo est rationalis. E. omne rationale est animal. Minor cùm habeat terminos convertibiles, simpliciter convertitur, & cùm syllogismus concludit vi primæ figuræ: ut, Omnis homo est animal. Omne rationale est homo. Ergo omne rationale est animal.

4 *Integrum prædicatum minoris inferatur in conclusionem.*

Non igitur valet: Annulus ambit digitum. Annulus continet gemmam. E gemma ambit digitum. Sic enim inferendum erat: E. quoddam, quod continet gemmam, ambit digitum. Sed hic canon deduci potest ex illo: In syllogismo tres solùm sint termini.

Cap.

Cap. 7. Syllogismus connexus.

FUit syllogismus simplex : sequitur compositus, in quo loco majoris ponitur composita propositio.

Dicitur etiam *hypotheticus*, hoc est, *suppositivus*: quia solùm ex pacto concludit, hoc est, cum conditione, seu ex suppositione & cõventione. Qui enim ita colligit: Si in curia est, non in urbe est: nihil concludere potest, nisi ex pacto. Eadem disjuncti est ratio; qui tum demum concludere potest, cùm major partibus contradicentibus constat: ut, aut rationale est, aut rationis expers. Itaque patet, hypotheticum syllogismum nunc generaliter accipi, pro composito, qui concludit ex hypothesi: nunc specialiter pro conditionali seu connexo. Et sic distinguitur syllogismus hypotheticus contra disjunctum: at priori modo ipsius genus est.

Canones hîc sunt duo:

1 Syllogismus compositus pendet ex virtute alicujus simplicis.

Ratio est manifesta ex Metaphysicis, ubi docetur, compositum habere suas vires à simplicibus, è quibus compositum est. Itaque

Nullus syllogismus compositus firmus judicatur, nisi ejus confirmatio ad unum aliquem simplicium quadret.

Omne enim compositum, sicut ex simplicibus compositum est: sic & simplicium naturam sapiat necessum est.

2 In syllogismo composito tota quæstio est pars altera propositionis majoris, argumentum est pars reliqua.

Pugnare hic canon videtur cum cap. 1. hujus libri canone de termino majore & minore. Ibi docuimus, fieri non posse, ut ambo termini quæstionis se insinuent in unam aliquam præmissarum. Sed sciendum est, in syllogismo composito propositionem majorẽ esse compositam. Hîc igitur necessariũ est, ut ambo termini sint in majore. Quod verò suprà diximus, id restringendum est ad syllogismum simplicem. Atq;

hanc ob causam Aristoteles syllogismum compositum vocat syllogismum κατὰ μετάληψιν, *secundùm transumtionem*: quia minor è majore transsumitur.

Syllogismus compositus est connexus, vel disjunctus.

Syllogismus connexus est, qui constat ex antecedente & consequente conjunctis per conjunctionem connexivam.

Breviùs: Cujus propositioni præfixa est conditio *Si*. Sed contra hoc videtur excipi posse: quâ de re vide infrà *libr. ult. cap. 8.* Dicitur aliâs *conditionalis*, conjunctus, & hypotheticus κατ᾽ ἐξοχὴν. *Zabar. in tabb. Logic.*

Syllogismus connexus est constructivus, vel destructivus.

Observa constructionem hîc poni pro positione seu affirmatione, & destructionem pro remotione seu negatione: item *assumere* esse idem, quod repetere argumentũ è propositione, tale scilicet quale est in propositione; tollere esse idem, quod contradicere, hoc est, vel negare partem affirmantem propositionis, quæ nimirum continet argumentũ, vel eandem negantem affirmare. Clariùs: Antecedẽtis consequentísve affirmatio nihil est aliud, quàm affirmatio quòd antecedens consequénsve sit verum, sive ipsum sit affirmatum, sive negatum: & negatio antecedentis vel consequentis nihil est aliud quàm negatio, quòd antecedens vel consequens sit verum: quod nihil est aliud quàm contradictio.

Syllogismus connexus constructivus est, qui procedit à positione antecedentis ad positionem consequentis:

Ut, Si Socrates est homo, est animal. At Socrates est homo. E. Socrates est animal. Hîc affirmatur & antecedens in assumtione, & consequens in conclusione, h. e. affirmatur, utrumque illud verum esse. Sic: Si arbor non est animal, arbor non est homo Sed arbor non est animal. Ergò arbor non est homo. Hîc similiter affirmatur & antecedens in assumtione, & consequens in conclusione. Sensus enim est, verum est, ar-

borem non esse animal. Item, Verum est, arborem non esse hominem. Dicitur etiam *connexus primi modi.*

Syllogismus connexus destructivus est, qui procedit à remotione consequentis ad remotionem antecedentis:

Ut, Si Socrates est lapis, caret animâ. At Socrates non caret animâ. Ergò Socrates non est lapis. Hîc negatur & consequens in assumtione, & antecedens in conclusione. Item: Si Socrates non est animal, non est homo. At est homo. Ergò animal est. Hîc negatur similiter & consequens in assumtione, & antecedens in conclusione. Dicitur aliis *connexus secundi modi.*

Canones de syllogismo connexo sunt:

1 *Affirmatio & negatio in conditionalibus non debet æstimari ex partibus compositæ propositionis, sed ex totâ propositione.*

Rhodingus in suâ Logicâ, & alii affirmationẽ & negationem in conditionalibus æstimant ex consequente, ita ut dicant conditionalem esse affirmantem, si consequens sit affirmatum; si hoc sit negatum, illam dicunt negantem. Hunc errorem sat crassum & ego erravi: à quo me revocavit vir clar. dn. Johan. Piscator, Theologus & Logicus insignis, & post illum Philosophus acutissimus *Henning. Arnis. in Logic. Crell. pag. 477.* Sic ergò statue mecum. Sicut categorica non negat, licet subjectum vel prædicatum negetur: ita nec hypothetica negat, licet utraque propositio simplex, ex qua componitur, sit negata. Ad veram enim negationem requiritur, ut vis totius propositionis, seu conjunctio antecedentis, & consequentis negetur, quæ cùm consistat in copulâ, seu vinculo conjunctionis, tum negata judicatur propositio, quãdo particula, componens propositionem, hoc est, ipsum vinculum negatur, ut hæc propositio, si asinus non habet pennas, non volat, est affirmata; quia duæ propositiones simplices: Asinus non habet pennas, asinus non volat: conjunguntur affirmatè. Ejus negatio est: Non si asinus non habet pennas, nõ volat. Sic enim negatur consequens sequi ad antecedens. Summa: Affirmatio in conditionalibus æstimatur ex neces-

ſariâ antecedentis & conſequentis connexione: ut, hæc conditionalis eſt affirmativa: Si Socrates non eſt animal, Socrates non eſt homo. Negatio verò ęſtimatur ex negatione vinculi, nimirum conjunctionis connexivę: ut, Non ſi Deus miſericors eſt, non punit peccata. Affirmativa eſt: Si Socrates eſt homo, Socrates eſt animal. Negativa eſt: Non ſi Socrates homo eſt, animal eſt. Conſequens hîc eſt affirmativum; & tamen connexum ipſum eſt negativum.

2 Examen conſequentiæ in ſyllogiſmo connexo nullum eſt expeditius, quàm ſi reducatur ad categoricum.

Reducitur autem ad categoricum, ſi ratio conſequentiæ poſſit dari. Eâ enim datâ, & loco majoris poſitâ, ex hypothetico fit categoricus: ut, Si homo eſt animal, ſentit. Sed eſt animal. E. ſentit. Hic hypotheticus bonus eſt; quia dari poteſt ratio conſequentiæ in majore per propoſitionẽ categoricam veram, quâ poſitâ loco majoris, talis extruitur categoricus: Omne animal ſentit. Homo eſt animal. E. homo ſentit. Sed in hoc ſyllogiſmo nulla poteſt dari ratio conſequentiæ per propoſitionem aliquam categoricam: Si Chriſtus ſedet ad dextram Dei, ſuo corpore eſt ubique. At ſedet ad dextram Dei. Ergò.

3 Duo duntaxat ſunt modi ſyllogiſmi connexi.

Zabar. in tabb. Logic. me decepit aliquoties, item *Crell. in ſuâ Logicâ*; quorum uterq; plures modos ſyllogiſmi connexi recenſet, quàm duos. Cõtra illos ſic docuit me diſputare Arniſæus. Syllogiſmus hypotheticus tantum concludit, quantum accedit ad categoricũ, à quo vim concludendi emendicavit. Jam ad duas tantùm figuras, primam & ſecundam, revocatur. Igitur duæ ſunt tantũ certæ & infallibiles ejus formæ: una, quæ reſpondet primæ figuræ, & affirmat minorem; altera, quæ ſecundæ, & negat minorẽ. Ibi fit progreſſus à poſitione antecedentis ad poſitionẽ conſequentis; hîc à remotione conſequentis ad remotionẽ antecedentis. Nam ſi antecedens quoq; removeris, ut removeri poſſit conſequens, per reductionem deprehendes ſyllogiſmum negare minorem in primâ figurâ: ſi conſequens poſueris, ut ponatur antecedens, fiet affirmans vel infinitus in ſecundâ. Ex neutro verò ſyllogiſmo aliquid ſequitur. Si homo eſt, animal eſt. Sed non eſt homo. E. nec animal. Reſolve in primã figuram: Omnis homo eſt

mo eſt animal. Hæc res (ut bos, equus) non eſt homo. E. nec eſt animal. Item: Si homo eſt, animal eſt. Sed animal eſt. E. homo. Conſequentia non valet; quia poſito genere, non ponitur quævis ſpecies: idq; deprehendes ex reductione ad ſecundam figurã, ubi affirmabit: ut, Omnis homo eſt animal. Hæc res eſt animal. E. eſt homo. Non valet: quia hæc res poteſt eſſe leo, vel equus. Ex his efficitur, duos dũtaxat eſſe modos concludendi per formã in ſyllogiſmo hypothetico. *Crellius* contrà ſic docet, cujus ſententiã ſummatim recenſebo. *Conſequẽtia ſyllogiſmi hypothetici eſt perfecta, vel imperfecta. Perfecta conſequentia eſt*, ſi ſicut conſequens ad antecedens, ita viciſſim hoc ad illud conſequatur, quod fit cùm illa duo reciproca ſunt. Hujus ſpecies ſunt quatuor. 1. Si ſol ortus eſt, dies eſt. Sed ſol ortus eſt. E. dies eſt. 2. Si ſol ortus eſt, dies eſt. Sed dies eſt. E. Sol ortus eſt. 3. Si ſol ortus eſt, dies eſt. Sed dies non eſt. E. ſol non ortus eſt. 4. Si ſol non eſt ortus, dies nõ eſt. Sed ſol non eſt ortus. E. dies non eſt. Item: 1. Si verè credit, juſtificatus eſt. Sed verè credit. E. juſtificatus eſt. 2. Juſtificatus eſt. E. verè credit. 3. Sed juſtificatus non eſt. E. nõ verè credit. 4. Sed non verè credit. E. non eſt juſtificatus. *Imperfecta conſequentia eſt*, cùm conſequens ſequitur ad antecedens, ſed non contrà hoc ad illud: quod fit cùm conſequens latiùs patet quàm antecedens. In hâc conſequentiâ itidẽ quatuor illę ſpecies ſunt, ſed duę ſolùm concludunt: ut 1. Si homo eſt, animal eſt. Sed homo eſt. E. animal. 2. Sed animal eſt. E. homo. 3. Sed animal nõ eſt. E. non homo. 4. Sed homo nõ eſt. E. animal non eſt. Ita ſex modos concludendi in ſyllogiſmo hypothetico agnoſcit Crellius. Pergit ille in hâc doctrinâ hoc modo: In majore iſtius ſyllogiſmi propoſitione, vel affirmatio cum affirmatione cõponitur, h. e. utraq; compoſitæ pars, & antecedens & cõſequens, affirmãs eſt: vel negatio cum affirmatione, h. e. antecedens ait, conſequens autẽ negat: vel affirmatio cum negatione, quod fit cùm conſequens ait, & antecedens negat: vel negatio cum negatione, ꝙ fit, cum utrumque, & antecedens, & conſequens particulã negandi ſibi adjunctam habet. Exemplũ primi. Si homo eſt, animal eſt. Sed homo eſt. E. 2. Si homo eſt, bos non eſt. Sed homo eſt. E. 3. Si hoc vivũ planta non eſt, animal eſt. Sed nõ planta. E. 4. Si hoc animal non eſt, etiã homo nõ eſt. Sed animal nõ eſt. E. Quod

ſi ſex illas ſpecies (ait Crellius) quas concludere diximus, in has quatuor duxeris (ſingulæ namque qualitatis reſpectu quadrifariàm variari poſſunt) ſpecies habebis quatuor & viginti. Verùm enim verò quantitatis quoq; reſpectu quadrifariàm ſex illæ ſpecies variari poſſunt: qua de re Averroëm conſule *in epit. in analyt. prior. c. 5. Sic Crellius.* Sed rectè hanc ſententiã caſtigat Arniſæus. Nam quos modos Crellius tradit præter duos illos, à nobis indicatos, illi non pertinent ad formalẽ conſiderationem, de quâ hîc agi debet, ſed ad materialem. Nihil enim in illis ſyllogiſmis ſequitur ratione formæ; quia ſemper in quâvis materia ſequeretur, cùm forma etiam in materiâ falsâ ſit efficax; ſed propter materiam, hoc eſt, ob terminos reciprocos. Jam an termini ſint in majore reciproci, non ex formali parte doctrinæ ſyllogiſticæ percipi poteſt, ſed ex materiali. Deinde ſi propter terminorum reciprocationem hîc licet multiplicare modos hypothetici ſyllogiſmi: eâdem de cauſa Ariſtoteles debuiſſet plures modos in primâ & ſecundâ figurâ tradere: quia in materia reciproca valent affirmantes ſecundæ, & qui minorem negant in prima: uti ſupra vidimus. Maneat ergò fixum: duos eſſe modos ſyllogiſmi connexi. Connexus primi modi ponit cõſequens, ut ponat antecedens: connexus ſecundi modi tollit conſequens, ut tollat antecedens. Uterq; tres differentias admittit. Aut enim propoſitionis utraq; pars eſt affirmata: aut utraque negata: aut una affirmata, altera negata.

4 *Syllogiſmi κατὰ πρόληψιν, vel μετάληψιν non faciunt diverſitatem in formâ.*

Ariſtoteles ſyllogiſmos ex hypotheſi ſic dividit. *1. prior. c. 30.* Quid verò ſibi velint illi termini, non convenit inter interpretes. Nobis hæc explicatio probatur. Syllogiſmi κατὰ πρόληψιν, ſeu κατὰ ποιότητα, *ſecundùm aſſumtionem, qualitatem*, ſunt, qui probant aliquid à majori, minori, vel pari: ut, vitium avaritiæ eſt fugiendum; quia incontinentia eſt fugienda. Si enim id fugiendum eſt, quod minus malum eſt, multò magis, quod majus malũ eſt. Syllogiſmi κατὰ μετάληψιν, *ex cõceſſione*, ut Perionius vertit, vel *ex tranſumtione*, ut Boëtius, cujus interpretationem reliqui Latini ſequuntur, vel ut **Monlorius**, *ex conſtituto*, eſt quando quæſtio probanda, ex conſtitu-

constitutione adversarii ad aliam transfertur, cujus probatio probat quoq; priorem quæstionẽ propter similitudinem. e. g. in *2. de cœlo*. Philosophus vult probare, astra esse rotunda: & quia astra sunt similia, quoad figuram, probat idipsum de luna, & ita quęstionem propositã: An astra sint rotunda, mutat in hanc: An luna sit rotunda. Si enim de luna probatum fuerit quòd sit rotũda, probatum quoq; erit de cæteris astris propter similitudinem. Alii syllogismum κατὰ πρόσληψιν finiunt, in quibus minor propositio novum terminum assumit, qui in majori non cõtinebatur. Hujusmodi syllogismos adnumerant hypotheticis, & hoc adferunt exemplum: Ubi est Imperator, ibi aula. Viennæ est Imperator. E. Viennæ est aula. Sed istiusmodi syllogismi omninò sunt categorici. In categoricis enim perpetuum est, ut subjectum minoris in majori non contineatur.

5 *Syllogismi implicitè compositi pertinent ad hypotheticos.*

In his autẽ dicunt quidam majorem implicitè compositã esse, quæ quidem non habet præfixam conditionẽ *Si*, sed tamen ita est comparata, ut postulari possit ratio consequẽtiæ. e.g. Quicunq; Deum jubentur invocare in sanctis, ii debent invocare sanctos. At pii jubentur Deum invocare in sanctis. E. Sic scil. docent quidam. Verùm compositus syllogismus in propositione disponit totam quæstionẽ cum argumento: id quod non fit in allato exemplo. Aliter itaque definiendus fuerit syllogismus implicitè compositus. Vide infrà *libr. ult. cap. 8. circa finem.*

Cap. 8. Syllogismus disjunctus.

Syllogismus disjunctus est, in quo consequens propositionis disjunctæ conjunctionem aut ab antecedente disjungit: *seu, cujus propositio est disjunctiva. Sed contra hoc videtur excipi posse. Vide infrà* lib. ult. cap. 8. de exercit. syllog.

Ejus canones sunt:

1 *Syllogismus disjunctus constat propositione disjunctivâ ex duobus membris inter se oppositis, vel ex pluribus reducibilibus ad duo.*

Non ſemper duo ſolùm membra ponũtur in propoſitione disjunctâ; ſed interdum etiã plura. Attamen illa plura reduci poſſunt ad duo, & verò debent, ſi vis disjunctionis ad oculũ patere debeat. Exemplum ſit hoc ex Cicerone deſumtum. Rabirius aut fuit cum Saturnino, aut cum bonis, aut latuit. Atqui nec latuit, nec cum Saturnino fuit. E. fuit cum bonis. Quòd ſi unum ex pluribus aſſumatur, reliqua in concluſione tollentur; ut ſi in exemplo propoſito aſſumatur: At Rabirius fuit cum bonis: neceſſariò inferetur hæc concluſio: E. nec cum Saturnino fuit, nec latuit.

2 *Criterion ſyllogiſmi disjuncti proprium eſt, quòd legitimus ſit. 1. Si propoſitio disjuncta conſtet partibus immediatè oppoſitis. 2. Si una pars ſemper ſit vera, altera falſa.*

Non igitur valet: Aut albus eſt, aut niger. Sed non albus. E. Nam propoſitio non conſtat membris immediatis, cùm fuſcus eſſe queat. Huc pertinet canon: *Si major in disjuncto ſyllogiſmo laboret inſufficienti enumeratione ſpecierum, nihil colligitur.* Nec valet: Aut es homo, aut animal. Sed es homo. E. non es animal. Nam propoſitionis partes ambæ ſunt veræ, ſeu conſentaneæ, non autem diſſentaneæ. Hîc incidit quæſtio nobilis, an propoſitio in ſyllogiſmo disjuncto debeat cõſtare partibus omnib. affirmatis? Logici multi docẽt, quòd hoc omninò ſit neceſſarium, & adferunt hoc exemplũ: Aut dies eſt, aut non eſt dies. At eſt dies. E. non eſt dies. Non valet, inquiunt, argumentatio hæc; quia propoſitio eſt negativè concepta. Sed errant, qui ſic docent. Argumẽtatio allata non valet. Sed vitium eſt in eo, quòd concluſio non rectè infertur. Concluſio autẽ, quæ ex illis præmiſſis ſequitur, eſt hæc E. nõ eſt non dies: id eſt, E. falſum eſt non eſſe diem. Nam in ſyllogiſmo disjunctivo ex poſitione unius ſequitur remotio alterius. Hîc autẽ ponitur membrũ prius, nempe, Eſt dies. E. removendũ eſt poſterius, nempe, Non eſt dies. Senſus eſt, ſi verum eſt eſſe diẽ, falſum eſt nõ eſſe diem. At verũ eſt eſſe diem. Falſum igitur eſt, non eſſe diẽ. Porrò & hîc quæritur: an disjunctiva contineat in ſe vim negativæ? Reſp. negando. Continet n. in ſe vim affirmativæ: ut, Aut dies eſt, aut nox eſt: hæc disjunctiva continet in ſe vim 4. affirmativarum, nempe 1. Si

dies eſt,

dies eſt,non eſt nox. 2.Si nox eſt,non eſt dies. 3.Si nõ eſt dies, eſt nox. 4.Si nõ eſt nox,eſt dies.Si dicas, duas priores eſſe negativas,negabo. Affirmatur enim in illis conſequentia conſequentis de antecedente,ſive connexio illius cum iſto. Hoc probari poteſt vel unico exemplo: Aut dies eſt,aut nox eſt. At dies eſt. Non igitur nox eſt. Hîc disjunctiva vim habet hujus connexivæ affirmatæ, Si dies eſt,nox non eſt. Educitur itaque concluſio affirmativa,Non igitur nox eſt. Hîc & illud teneatur: ſi neceſſe eſſet, propoſitionem disjunctam conſtare ex omnibus partibus affirmatis,tum non eſſet verum illud πολυθρύλλητον, Quodlibet eſt,aut non eſt,eſſe disjunctum.

Ejus modi ſunt quatuor:

Et hi omnes ſunt validi,quia reduci poſſunt ad ſyllogiſmos categoricos.

Primus modus eſt à poſitione primi ad deſtructionem ſecundi:

Ut,Aut dies eſt,aut nox eſt.At dies eſt.E. non eſt nox.Reducitur ad primam figuram ſic: Quando eſt dies, non eſt nox.Nunc eſt dies.E.nunc non eſt nox.

Secundus modus eſt à poſitione ſecundi ad deſtructionem primi:

Ut, Aut eſt dies,aut nox. At eſt nox. E.non eſt dies. Reducitur ad primam figuram : Quando eſt nox,non eſt dies. Nunc eſt nox.E.nunc non eſt dies.

Tertius modus eſt à deſtructione primi ad poſitionem ſecundi:

Ut,Aut eſt dies,aut nox. At non eſt dies. E. nox. Reducitur ad primam figuram:Quando non eſt dies,eſt nox. Nunc non eſt dies.E.nunc eſt nox.

Quartus modus eſt à deſtructione ſecundi ad poſitionem primi:

Ut,Aut eſt dies, aut eſt nox. At non eſt nox. E. eſt dies. Reducitur itidem ad primam figuram: Quando non eſt nox,eſt dies.Nunc non eſt nox. E.nunc eſt dies.

De his modis eſt canon :

Reductiones horum modorum in hoc constitutæ sunt, quòd hypothesis duo habet membra habentia vim contradictionis.

Nam ideò utrolibet posito alterum aufertur, & utrolibet ablato alterum ponitur. Duorum autem posteriorum modorum minores propositiones videntur quidem esse negatæ: tamen si benè consideres, sunt affirmativæ; quia infinitæ; quemadmodum etiam majores sunt affirmativæ, licet eandem negationem habeant. Confer cum *cap. 4. canone ultimo.* Quòd si nolis concedere istas enunciationes, At non est nox, Non est dies, esse infinitas: dic, illas comparatas cum propositione disjunctivâ, è quâ assumuntur, vim habere affirmativam. Sensus enim est: At verum est, nunc non esse noctem: item, Verum est nunc non esse diem. Interim rectè dices esse infinitas. Cùm enim dicis: At non est nox, hic est sensus: At nunc est non-nox.

Cap. 9. Enthymema.

FUit syllogismus perfectus; sequitur imperfectus, qui aliquâ crypsi syllogisticâ constat: *Unde & crypticus dicitur.*

Estq; deficiens, redundans, vel inversus.

Syllogismus deficiens est syllogismus imperfectus, cujus dispositio est manca ob partis alicujus integralis defectum. *Dicitur eodem sensu* defectus.

Estq; enthymema, inductio, vel exemplum.

Goclenius & alii hanc divisionem tanquam vitiosam rejiciunt, eò quòd partes non sint dissentaneæ. Inductio enim & exemplum sub enthymemate continentur, ut species sub genere. e.g. Homo sentit, & bestia sentit. E. omne animal sentit: enthymema est, cui deest propositio connexa. Sic: Marius & Sylla remp. lacerarunt. E. etiam Cæsar & Pompejus laceraturi sunt: enthymema est, cui deest propositio connexa. Sed sciendum est, quòd enthymema specialiori significatu accipiatur, quando opponitur inductioni & exemplo. Etenim in enthymemate specialiter dicto deest aliqua ꝓpositionum

onum universalium: at in inductione & exemplo deest aliqua propositionum particularium, vel singularium.

Enthymema est syllogismus deficiens, in quo præmissarum universalium aliqua deest, mentis cogitatione relicta:

Unde & *enthymema* dictum est, quasi ἐν θυμῷ, id est, *in animo.*

Ejus canones sunt:

1 *Enthymemate vel vitatur tædium, vel quæritur fides.*

Etenim altera præmissarum supprimitur vel ad compendium, cùm est evidens; vel ad ornatum, cùm impedit flumen orationis: vel ad occultationem & fugam, cùm est infirma & dubia. Prioribus vitatur tædium, postremo quæritur fides, ut est in canone. Enthymemate igitur utuntur 1. Viri docti, ut brevitati studeant. 2. Oratores, ut artificium tegant. 3. Sophistæ, ut fallant.

2 *Utra præmissarum desit in enthymemate, perspicitur ex ejus conclusione.*

Nam si prædicatum conclusionis non appareat in antecedente, deest major propositio; si subjectum illius non adsit, deest minor. e. g. Animal sentit. E. homo sentit. Hîc deest minor: quia subjectum conclusionis, *homo*, non apparet in antecedente. Sic ergò completur: Animal sentit. Homo est animal. E. homo sentit. Sed cùm dico: Homo est animal. E. homo sentit: hîc deest major, quia prædicatum conclusionis *sentit* non apparet in antecedente.

3 *Enthymema oratoribus est argumentatio constans ex verisimilibus, vel ex signis.*

Verisimilia vocant conjecturas, quæ ab iisdem εἰκότα appellantur; quæ nimirum sciunt homines ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut plurimum evenire, non tamen semper. Enthymema ex verisimili est: Qui odio habetur, vicissim odio habet. Ergò hic illum odio habet. Hîc deest minor: Hic ab illo odio habetur. Signa, σημεῖα, sunt vel certa, Aristoteli τεκμήρια, ut aurora signum Solis adventantis, & lac mulieris signum conceptionis; vel probabilia, ut pallor est signum diligentiæ, **Signa sunt necessaria vel probabilia.**

& copia librorum est signum doctrinæ. Enthymema ex signo necessario vocant argumentationem ex signo insolubili, sicut id quod est ex signo probabili dicunt argumentationem ex signo solubili. Enthymema ex signo insolubili est: Hæc mulier habet lac. Ergò concepit. Et fit in primâ figurâ. Ex signo solubili est hoc enthymema: Luna rubet. Ergò erit ventus. Hoc enthymema fit in omnibus figuris. Cæterùm εἰκότα differunt à signis; quòd icota sunt enunciationes, & eæ quidem semper probabiles; at signa sunt res singulæ, & eæ quidem interdum necessariæ.

Cap. 10. Inductio.

INductio est syllogismus imperfectus, qui ex particularibus vel singularibus notioribus ostendit universale ignotius.

Inductio est perfecta, vel imperfecta.

Perfecta est, quæ sumit omnia particularia, vel omnia singularia; *Ideoq; necessariò concludit.*

Estq; vel explicita, vel implicita.

Explicita est, quando nominantur sigillatim & expresse omnia individua:

Ut, Si omnium hominum nomina, quæ nunc extant, exprimamus, & postea colligamus, omnem hominem esse bipedem. Sic: Sem genuit liberos, Japheth genuit liberos, Cham genuit liberos. Ergò omnes filii Noachi, qui cum ipso in arcâ fuerunt, genuerunt liberos.

Implicita est, quando aliqua tantùm particularia vel individua exprimuntur, reliqua brevitatis gratiâ per dictionem aliquam distributivam denotantur:

Ut, Petrus est bipes, & Socrates est bipes, & quilibet alius seu singulus homo est bipes. Ergò omnis homo est bipes. Talis est inductio philosophi *1. post. in princip.* Scientiæ mathematicæ fiunt ex præcedente cognitione, & sic unaquæq; aliarum

aliarum ſcientiarum. Ergò omnis ſcientia acquiritur ex præcedente cognitione.

Inductio imperfecta eſt, quæ non ſumit omnia particularia, vel individua:

Ideoque non concludit neceſſariò: ut ſi ſic dicam: Cervus habet cor amplum pro proportione, & eſt animal meticuloſum. Sic & mus, & dama. Ergò animalia quæ habent cor amplum pro proportione, ſunt meticuloſa.

Canones de inductione ſunt iſti:

1 Inductio eſt argumentatio potens ſeu perutilis.

Ratio: 1. Q. fuit initium omnis ſcientiæ & cognitionis. Nam ex ſimilitudine, quam ſenſus percepit in ſingularibus, ratio collegit univerſale. Atque ſic conſtituta ſunt præcepta diſciplinarum, ut non immeritò Ariſtoteles ἐπαγωγὴν paſſim magnificè laudet. 2. Q. hâc viâ probantur prima principia, & quæcunque non poſſunt demonſtrari per cauſas, & per univerſaliora. Neque enim aliter probes, omnem magnetem trahere ferrum, aut omne animal ſentire, niſi ex enumeratione & quaſi exhibitione individuorum magnetis, & ſpecierum animalis: nempe quia terreſtria, aquatilia, volatilia, amphibia ſentiunt. Particularia enim & ſingularia omnia ſimul ſumta æquivalent univerſali, ideoque obtinent locum medii.

2 Inductio non eſt tautologia.

Quamvis enim omnia particularia & ſingularia ſimul ſumta idem ſint cum univerſali: nobis tamen non idem ſunt, quibus particularia, vel ſingularia notiora ſunt univerſalibus. Non igitur exiſtimandum eſt in inductione idem per idem probari.

3 Inductio eſt ſyllogiſmus, quia in illâ conſpicitur regula de Omni & Nullo.

Inductio num ſit ſyllogiſmus.

Vide ſupra *cap. 2. Ariſtoteles 1. poſt. cap. 14.* ait: μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ ἀποδείξει, *diſcimus aut per inductionem, aut per demonſtrationem.* & *2. prior. c. 23.* ait: ἅπαντα πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ, ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς; *omnia credimus aut per ſyllogiſmum, aut per inductionem.* Et multi Peripatetici docent, duo eſſe inſtrumenta Logica, quibus thema conjun-

ctum probetur, videl. inductionem & syllogismum; non secus ac duo instrumenta oratoria esse asserunt, enthymema & exemplum. Sed hîc inductio negatur esse syllogismus perfectus, ita ut vox συλλογισμὸς ibi ἐξαιρέτως sit posita. Hoc inde colligere est, quòd inductio sit discursus illativus, in quo conspicitur dictum de omni & nullo.

4 *Inductionum affirmantium canon est: Quod convenit omnibus speciebus, convenit generi: negantium hic; Quod non convenit omnibus speciebus, non convenit generi.*

Universaliter, sed tantùm particulariter: ut, Homo sentit, & bestia sentit. Ergò omne animal sentit. Equus est irrationalis, & asinus, & bos. Ergò quædam animalia sunt irrationalia.

Cap. 11. Exemplum.

EXemplum est syllogismus imperfectus, quo ostendimus ignotum per particulare simile notum.

Estq; duorum modorum.

Exemplum primi modi est, quod affertur ad quæstionis universalis probationem:

Ut, Si probes, non posse esse duos summos principes in Republicâ, exemplo Marii & Syllæ.

Exemplum secundi modi est, quod affertur ad quæstionis singularis vel propriæ probationem:

Ut, Si probes, Cæsarem & Pompejum laceraturos Remp. quia Marius & Sylla rebus pariter constitutis Remp. lacerarunt. Perinde autem concluditur, sive unum singulare sit medium, sive plura. Semper enim exemplum erit, modò ne omnia singularia afferantur. Tunc enim esset inductio.

Utriusque modi exemplum est duplex: alterum rei gestæ, alterum fictæ & ut gestę commemoratione nititur. Posterioris rursum duo sunt genera; alterum dicitur parabola, alterum apologus.

Exem-

Exemplum primi generis est: Florentini civili bello Reip. administrationem amiserunt, itemq; Senenses ac Pisani. Ergò & Venetorum Resp. utut florentissima collabetut, si cives cum civibus depugnaverint. Exemplum parabolæ est: Non sibi consuluerunt vectores, qui gubernatores sorte delegerunt. E. non sibi consulet Resp. quæ sorte creaverit magistratus. Exemplum apologi est: membra insurgentia adversus stomachum, sibiipsis nocuerunt. E. & subditi insurgentes adversus magistratum sibi nocebunt ipsi.

Canones de exemplo sunt:

1 Exemplum plus habet momenti ad persuadendum, quàm necessitatis ad concludendum.

Idcircò rudes, qui syllogismos non capiunt, exemplis capiuntur: quippe qui habent sensum exercitatiorem ratione. Hinc illud: *Mollissimè suadetur exemplis.* Et Plato in Lyside exempla vocat vades præceptorum, seu disputationis, quasi spondeant pro eo quod est probandum. Quanquam enim illud Platonis intelligendum est de exemplis specialibus quæ vocant: tamen etiam ad exempla similia, de quib. hîc agitur, transferri potest. Dicimus autem exempla specialia, quibus illustrantur præcepta: similia, quib. suadetur, vel dissuadetur.

2 Exemplum nititur hoc principio probabili: Similibus convenire eadem aut similia, consentaneum est.

Hinc scitè philosophus: Exemplum est inductio, inquit, imperfecta, ostendens primũ inesse medio per simile tertio. e.g. Malum fuit Thebanis contra Phocenses bellum gerere. E. etiam Atheniensib. contra Thebanos bellum gerere malum erit. Hoc enthymema ostendit primum, videl. malum, inesse medio, quod est contra finitimos bellum gerere. Nam à singulari ad singulare non potest fieri transitus, nisi per medium universale, in quo hæc singularia continentur. Ostendit autem propositum enthymema primum illud inesse medio illi, per simile tertio. Simile tertio est: Thebanos contra Phocenses bellum gerere. Tertium est singulare, de quo probandum est quòd sit malum, videlicet Athenienses contra Thebanos bellum gerere.

3 Exemplum est prius inductione, inductio prior syllogismo.

Ratio: Quia priùs notum fuit unum singulare, quàm multa, & multa singularia priùs innotuerunt universali. Intellige canonem de ordine inventionis, non doctrinæ. Nam syllogismus κατ' ἐξοχὴν sic dictus, priori loco debet tradi; quia inductio definitur per syllogismum; & inductio ante exemplum; quia inductionis mentio fit in doctrinâ de exemplo, quod à quibusdam vocatur *inductio contracta*, sicut enthymema ab iisdem dicitur syllogismus *contractus*.

Cap. 12. Dilemma.

SEquitur syllogismus redundans, qui est syllogismus imperfectus constans propositionum plurium, quàm fit in perfecto syllogismo, coacervatione.

Ejus canon est:

Syllogismus redundans ex diversis syllogismis est compositus, quorum unus dicitur principalis, alter minùs principalis.

Principalis syllogismus continet & probat thema primarium. Minùs principalis est, qui thema secundarium continet; & illud vel probat, vel illustrat. Dicitur vulgò prosyllogismus, vel προσυλλογισμός. Estq; vel approbativus, qui ad confirmandam aliquam syllogismi principalis præmissam adhibetur; vel amplificativus, qui ad illustrandam aliquam præmissam adhibetur.

Syllogismus redundans est dilemma, vel sorites.

Dilemma. Dilemma est syllogismus redundans, qui factâ disjunctione membrorum, utrumvis concedatur, adversarium constringit.

Dicitur aliâs *syllogismus cornutus*, quòd utrinq; adversarium quasi cornibus petit: item *syllogismus crocodilinus*.

Tres illius sunt proprietates, de quibus totidem canones:

1 Propositio dilemmatis constet ex membris immediatè contrariis.

Hinc

Hinc dilemma dicitur ratio bifurcata,ſeu interrogatio gemina,quâ ſic aſſerimus noſtra, aut impugnamus aliena, ut quamcunque partem interrogationis eligat adverſarius,causâ cadat. Sic Carneades adverſus ſuum præceptorem Diogenem cui unam minam ob διδακτρον dederat, disputabat: Aut benè,aut malè disputo. Si benè,cur pugnas? Si malè,redde minam. Hîc etiam propoſitio poteſt eſſe negata,verbi gratiâ, Aut erro,aut non erro. Si erro,demonſtra. Si non erro,quid me damnas? Sic: Aut crimen eſt eſſe Chriſtianum,aut non eſt crimen. Si eſt crimen,cur Deus Chriſtianum amat? Si non eſt crimen, cur illum odio proſequeris? Ratio hujus eſt: quia licet propoſitio ſit disjuncta,tamen illam immediatè non ſequitur aſſumtio,ſed propoſitio connexa. Alioqui non poſſet formari ſyllogiſmus, ut ſuprà *cap.8.can.2.* docuimus.

2 *Utrumq; membrum ſit verum, ut neutrum ab adverſario negari vel concedi poßit,quin in manifeſtam incidat abſurditatem.*

Ratio canonis patet è dilemmatis definitione.

3 *Dilemma ſit ita comparatum, ut non poßit inverti ab adverſario, & retorqueri in eum, qui profert.*

Pulchrum hujus retorſionis exemplum eſt apud *Gellium. libr.5. Noct. Attic. cap.10.* Summatim illud referam. Euathlus in diſciplinam Protagoræ ſe dedit, & dimidium mercedis jam tunc ſtatim dedit, prius quàm diſceret; pepigitq; ut reliquum dimidium daret,quo primo die cauſam apud judices oraſſet & viciſſet. Sed poſtquam Protagoras ſubodoraretur Euathlum id agere, ne reliquum mercedis daret,litem cum Euathlo conteſtatur,& coram judicibus ſic exorſus eſt. Stultiſſime adoleſcens,tuum erit pecuniam dare,ſive contra te, ſive pro te pronunciatum fuerit. Nam ſi contra te ſententia lata fuerit; merces mihi debebitur,quia ego vicero. Sin verò ſecundùm te judicatum erit,merces mihi ex pacto debebitur,quia tu viceris. Tum Euathlus: Sapientiſſime magiſter, inquit, ego non dabo quod petis, ſive contra me pronunciatum fuerit,ſive pro me. Nam ſi pro me ſententia lata fuerit, nihil tibi debebo, quia ego

vicero. Sin contra me, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero. Hujusmodi dilemmata vocantur *ἀντιστρέφοντα, reciproca*, quòd reciprocari seu retorqueri possint in eum, qui talia profert.

Cap. 13. Sorites.

Sorites.

SOrites est syllogismus redundans, in quo plures propositiones coacervantur, ita ut prædicatum prioris fiat subjectum sequentis, donec primum subjectum cum postremo prædicato componatur.

Dicitur etiam *syllogismus acervalis:* quia σωρὸς Græcis est acervus; item *gradatio soritica.*

Ejus canones sunt:

1 Nulla præmissarum sit per accidens vera, aut falsa.

Non igitur valet: Qui benè bibit, benè dormit. Qui benè dormit, non peccat. Qui non peccat, est beatus. E. qui benè bibit, est beatus. Nam prima præmissa est vera per accidens. Est & in eâdem propositione fallacia homonymiæ. Nam τὸ benè bibere potest intelligi vel de potatione largâ, vel de moderatâ. Nec valet illud Epicureorum contendentium Deum nihil agere: Quicunq; agit, movetur. Quicunq; movetur, mutatur. Quicunq; mutatur, est corruptibilis. Qui est corruptibilis, non est Deus. E. quicunq; agit, non est Deus. Nam prima propositio universaliter accepta est falsa: quia loquitur duntaxat de actione physicâ.

2 Sorites constet ex terminis per se & necessariò subordinatis & homogeneis.

Talis subordinatio datur 1. in eodem genere prædicamentali: ut, Homo est animal. Animal est corpus sentiens. Corpus sentiens est vivum. Vivum est mixtum. Mixtum est substantia. E. homo est substantia. 2. In connexione causarũ & effectorũ per se: ut, Immodica ingurgitatio gignit malam χύλωσιν in ventriculo: mala χύλωσις gignit malam αἱμάτωσιν in hepate: mala αἱμάτωσις gignit malam ὁμοίωσιν in singulis

gulis membris: mala ὁμοίωσις alimenti gignit hydropem. E. immodica ingurgitatio gignit hydropem. At illegitimus est sorites: Homo est animal. Animal est genus. Genus est prædicabile. Prædicabile est notio secunda. E. homo est notio secunda. Hîc enim confunduntur termini qui non sunt subordinati, nimirum notiones secundæ cum primis. Nec hic valet: Herodes est vulpes. Vulpes est animal quadrupes. Animal quadrupes est expers rationis. Animal expers rationis non est homo. E. Herodes non est homo. Nam hîc confunduntur termini improprii cum propriis. Sorites negatus etiam admittitur, si congruat cum hoc canone. v. g. Socrates est homo. Homo est animal. Animal non est lapis. E. Socrates non est lapis.

Cap. 14. Syllogismus inversus.

SYllogismus inversus est, in quo ordo naturalis partium per transpositionem est mutatus.

Illius quinq; sunt modi:

1 Conclusio ponitur primo loco, secundo propositio, tertio assumtio: Syllogismus inversus.

Ut, Nulla stella est animal. Omne enim animal sentit. Nulla autem stella sentit.

2 Conclusio primo loco ponitur, secundo assumtio, propositio tertio:

Ut, Nulla stella est animal. Non enim sentit. Omne autem animal sentit.

3 Propositio ponitur primo loco, secundo conclusio, tertio assumtio:

Ut, Omne animal sentit. Nulla igitur stella est animal. Non enim sentit.

4 Assumtio ponitur primo loco, secundo conclusio, tertio propositio:

Ut, Nulla stella sentit. Non igitur est animal. Nam omne animal sentit.

5 Assumtio primo loco ponitur, secundo propositio, tertio conclusio:

Ut, Nulla ſtella ſentit. Omne autem animal ſentit. Nulla igitur ſtella eſt animal.

Atque hæ ſunt ſpecies ſyllogiſmi deſumtæ à formâ. His veteres addiderunt *diviſionem*, cujus exemplum eſt: Omne corpus aut eſt vivens, aût non vivens. Planta eſt corpus. Ergò planta aut eſt vivens, aut non vivens. Sed non eſt non vivens. Ergò vivens. Sed diviſio iſta non eſt comparata ad probandum, ſed ad explicandum, ideoque non eſt ſpecies argumentationis. Ratio eſt, quia iſtiusmodi diviſio ſemper aliquid ſupponit, quod non minùs dubium eſt ipsâ concluſione; ut in propoſito exemplo eſt manifeſta petitio ejus quod quæritur: quia non minùs dubium eſt, an planta ſit non vivens, quàm an vivat: imò eadem prorſus eſt quæſtio. Vel ſi ita placet, revocari poteſt ad figuram primam, vel aliam. Alii *enumerationem partium* conſtituunt peculiarem ſpeciem ſyllogiſmi. Iſtam dicunt eſſe, cùm omnibus partibus remotis unicam, quæ reſidua eſt, ponimus; & hoc quidem, ſi concluſio ſit affirmans: at ſi concluſio ſit negans, omnes partes removentur. Exemplum prioris eſt: Fundum quem habes, aut hæreditate poſſides, aut emiſti, aut in vacuum veniſti; aut dono accepiſti, aut fraude occupaſti. Sed non poſſides hæreditate, nec emiſti, nec in vacuum veniſti, nec dono accepiſti. Ergò fraude occupaſti. Exemplum poſterioris eſt: Si eſt ſubſtantia, eſt vel Deus, vel angelus, vel anima, vel homo, vel animal irrationale, vel vegetabile, vel minerale, vel meteorum, vel corpus cœleſte. Sed nec eſt Deus, nec angelus &ç. Ergò nec eſt ſubſtantia. Verùm hæc enumeratio affinis eſt disjunctivo, ut prior, vel connexivo, ut poſterior: vel certè reducitur ad ſyllogiſmum perfectum; ut exemplum primum ſic reducitur: Quicunque habet fundum, quem nec hæreditate poſſidet, nec emtione &ç. illum fraude occupavit. At tu habes hujusmodi fundum. Ergò.

Cap. 15. Syllogiſmus affirmatus & negatus.

FUerunt ſpecies formales ſyllogiſmi, ſequuntur materiales, quæ ſumuntur ex illius materiâ.

Sumun-

Sumuntur autem ex materiâ vel indeterminatâ, vel determinatâ.

Nam materia ſyllogiſmi conſideratur duobus modis; vel generaliter, quatenus eſt indeterminata; vel ſpecialiter, quatenus eſt determinata.

Ex materiâ indeterminatâ ſyllogiſmus eſt affirmatus vel negatus,& uterque vel communis vel proprius.

Intellige materiam ſyllogiſmi proximam,videl. ipſa axiomata,ſeu propoſitiones. Sicut enim affirmatio & negatio &c. in quodvis axioma cadunt: ſic & in quemvis ſyllogiſmum.Omnino ſiquidem neceſſum eſt,ut in quolibet ſyllogiſmo concluſio vel affirmetur,vel negetur.

Syllogiſmus affirmatus eſt,qui ex concluſione & præmiſſis conſtat affirmatis. Syllogiſmus affirmatus.

Ratio hujus præcepti eſt evidens è ſuperioribus,ubi diximus concluſionem eſſe effectum præmiſſarum. Nunquam igitur illa affirmationem induet, ut ita dicam, niſi propoſitio & aſſumtio ambæ affirmatione veſtiantur.

Negatus eſt,qui conſtat ex concluſione & alterutrâ antecedentis parte negatis. Syllogiſmus negatus.

Non enim ſyllogiſmus negatus perinde eſt negatus,uti affirmatus eſt affirmatus. In omni enim ſyllogiſmo oportet aliquam minimùm eſſe propoſitionem affirmatam. Ratio: quia cujusq; ſyllogiſmi principium,quo fundatur & extruitur,affirmationem alicujus propoſitionis poſtulat. Atque hoc eſt,quod ſuprà tradidimus,quòd ex puris negativis nihil concludatur.

Cap.16. Syllogiſmus communis & proprius.

OMnis ſyllogiſmus eſt communis,vel proprius; *uti diximus cap.præced.*

Communis ſyllogiſmus eſt,cujus concluſio eſt communis.

Eſtq; vel univerſalis,vel particularis.

Syllogismus universalis.

Universalis est, cujus conclusio est universalis.

Hæc est definitio Peripateticorum, qui universalitatem & particularitatem æstimant ex conclusione, tanquam parte syllogismi principali, ut quæ contineat quæstionem. Ramus generalem syllogismum definit, qui constat ex propositione & assumtione generalibus. Itaq; secundùm hanc posteriorem sententiam in tertiâ figurâ etiam erunt syllogismi universales. Sed Rami sententia non est probanda.

Syllogismus particularis.

Syllogismus particularis est, cujus conclusio est particularis:

Seu, in quo alterutra tantùm præmissarum est universalis. In omni enim syllogismo necesse est, unam saltem universalem esse, sicut & unam saltem affirmatam. Nam, ut suprà diximus, ex puris particularib. nihil sequitur. Ratio, quia in puris particularibus nulla conjunctio, sed divisio mera consistit. At verò in omni syllogismo duplex requiritur conjunctio; una est, quam efficit medium; altera, quam illatio. Medium quidem copulat propositiones, illatio verò conclusionem cum propositionibus. *Zabar. 2. post. ad contex. 45.* Huc accedit, quòd in omni particulari est ambiguitas, quæ erroris mater.

Syllogismus proprius.

Syllogismus proprius est, cujus conclusio est propria:

Ramus (ut dicetur canone 2.) malè definit; qui constat ex propositione & assumtione propriis. Aliâs dicitur *singularis.*

Ejus canones sunt:

1 *Syllogismus proprius est omnium figurarum communis.*

Itaque Ramus non est reprehendendus, quòd cuilibet figuræ binos proprios adjecerit. Sed nec Aristoteles reprehendendus, quòd omiserit. Nam illos existimavit concludere vi universalium, ut jamjam ostendemus. Deinde Aristoteles in doctrinâ syllogismorum sibi proposuit finem scientiam, ut ipse docet. At scientia non versatur circa singularia. Quamvis enim ratio nostra non tantùm sit universalium,

sed &

sed & singularium, ut acutè disputat *Scaliger, exerc.307. sect.16.* tamen est universalium principaliter. Proinde cùm Aristoteles scientiam (videl. principaliter dictam) sibi proposuerit finem in hâc doctrinâ, meretur excusationem. Quòd autem syllogismus proprius detur in omnibus figuris, non solùm in tertiâ, probatur inductione exemplorum. *In primâ figurâ sic formatur:* Messias est judex vivorum & mortuorum. Jesus Nazarenus est Messias. Ergò Jesus Nazarenus est judex vivorum & mortuorum. Item: Qui ex Mariâ virgine natus est, is est filius Dei altissimi. Jesus Nazarenus ex Mariâ virgine natus est. Ergò est filius Dei altissimi. Item: Nulla bestia est rationalis. Bucephalus est bestia. Ergò non est rationalis. *In figurâ secundâ hoc modo:* Messias tollit peccata mundi. Johannes Baptista non tollit peccata mundi. Ergò Johannes Baptista non est Messias. Item: Judas Iscariotes non docuit Evangelium post Christi resurrectionem. Judas author epistolæ canonicæ docuit Evangelium post Christi resurrectionem. Ergò Judas author epistolæ canonicæ non est Judas Iscariotes. *In tertiâ figurâ hoc modo:* Qui ex Mariâ virgine natus fuit, est filius Dei altissimi. Qui ex Mariâ virgine natus fuit, est Jesus Nazarenus. Ergò Jesus Nazarenus est filius Dei altissimi. Item: Caput Ecclesiæ catholicæ, est verus Messias. Caput Ecclesiæ catholicæ est Christus. Ergò Christus est verus Messias. Cæterùm hæc doctrina de syllogismo proprio opus est judicibus, qui tractant causas singulares; item medicis, qui occupantur circa morbos singulares. Ne quid hîc dicam de explicatione doctrinæ Christianæ; quæ Aristoteli fuit ignota.

2 *Ex duabus singularibus propositionibus non elicitur particularis laxior in materiâ contingenti.*

Oportet enim conclusionis essentiam virtute præmissarum contineri. Itaque non valet illatio: Aristoteles fuit philosophus. Et idem fuit ethnicus. Ergò quidam ethnici sunt philosophi. Sed hæc: Ergò quidam ethnicus fuit philosophus. Maxima siquidem differentia est inter particularem

laxiorem,qualis est,quidam ethnici sunt philosophi;& particularem strictiorem,qualis est,quidam ethnicus est philosophus. Strictior enim hæc ex illâ tanquam generali rectè colligitur,non vice versâ: ut, Quidam ethnici sunt philosophi. E. & quidam ethnicus. Non vice versâ: Quidam ethnicus est Philosophus.E. & quidam ethnici. Itaq; particularis laxior est præstantior strictiori,sicut omnis propria particulari strictiori. Hîc quæritur,quî fiat ut ex duabus præmissis propriis in tertiâ figurâ vi formæ concludatur particulariter, cùm in conclusione non plus possit esse,quàm in præmissis? Resp. 1. Quia in omni ente creato singulari est aliquid universale.Itaque ex eodem potest inferri universale signatum, seu particulari signo determinatum. 2. Quia in præmissis propriis latet virtualiter ista conclusio particularis. 3.Duæ præmissæ propriæ in syllogismo æquipollent universalibus. Et hinc patet,definitionem Rameam syllogismi proprii non posse consistere. Nam hic syllogismus:Judas Iscariotes prodidit Christum:Judas Iscariotes fuit Apostolus. E. quidam Apostolus prodidit Christū. Hîc, inquam,syllogismus constat ex præmissis propriis,& tamen nō est proprius.Est quoque syllogismus proprius ex unicâ præmissâ propriâ:ut,Omnis homo est risibilis.Socrates est homo. E.Socrates est risibilis. Cæterùm in canone diximus,*in materiâ contingenti.* Nam in materiâ necessariâ particularis laxior infertur è singulari:ut,Abraham fuit justificatus fide absque operibus legis. Abraham fuit peccator. Ergò quidam peccatores justificantur fide absq; operibus legis. Sed hæc illatio non fit vi dispositionis syllogisticæ.

3 Singularis syllogismus rectè concludit, at non ille qui est ex puris particularibus.

Ratio: Quia tres propositiones singulares loquuntur de certo subjecto;at in particularibus res habet aliter,ut suprà vidimus.

4 Syllogismus singularis in formâ respondet universali.

Si nimirum exigatur ad dictum de Omni & Nullo,licet hoc obscurè fiat. e. g. Socrates est homo. Sophronisci filius est Socrates.E.Sophronisci filius est homo. De omni seu toto Socra-

to Socrate dicitur, quòd sit homo. Quidquid autem de medio dicitur, etiam de quovis sub medio sumto dici potest, sive reverâ sit pars medii, sive ut pars sumatur. Sophronisci autem filius sumitur ut pars medii, Socratis. Igitur per consequentiam dicti de omni & nullo de ipso verum est, quod in majore fuit verum de medio. Nec obstat, quòd major sit singularis: quia vi & potentiâ dicti de omni est universalis. Universaliter enim prædicatur major de medio, quando de omnibus partibus (sive sint verè, sive quasi partes) medii prædicatur. At hîc de omnibus, quæ sub Socrate, ut partes, accipi possunt, prædicatur τὸ homo. Igitur prædicatio æquipollet universali.

Cap. 17. Syllogismus purus & mixtus.

E Materiâ determinatâ syllogismus est primò purus vel mixtus, deinde verus vel apparens.

Syllogismus purus est, qui constat ex meris terminis ejusdem artis. Syllogismus purus.

Estque vel protonoëmaticus, vel deuteronoëmaticus.

Protonoëmaticus est, qui constat ex meris terminis primarum notionum.

Aliis dicitur *realis*. e. g. Omnis justificatus pacem habet cum Deo. Omnis verus Christianus est justificatus. E. omnis verus Christianus pacem habet cum Deo. Est syllogismus protonoëmaticus purè theologicus.

Syllogismus deuteronoëmaticus est, qui constat ex terminis meris notionum secundarum. *Hic dici potest* merè Logicus, *seu* merè notionalis.

Exempli gratiâ: Omne argumentum ad thema arguendum est affectum. Omnis definitio est argumentum. Ergò omnis definitio ad thema arguendum est affecta. In hoc syl-

logiſmo ſunt termini merè Logici. Huc refer ſyllogiſmos,in quibus ſunt termini merè Rhetorici & Grammatici.

Syllogiſmus mixtus eſt, qui conſtat ex terminis diverſarum diſciplinarum.

Hic (*nobis*) eſt realis, vel notionalis.

Realis eſt, in quo ſunt notiones primæ diverſarum diſciplinarum.

Exempli gratiâ : Omnis creatura eſt finita. Corpus Chriſti eſt creatura. E. corpus Chriſti eſt finitum. Hic eſt ſyllogiſmus mixtus realis, conſtans ex duobus terminis metaphyſicis & uno theologico.

Syllogiſmus mixtus notionalis eſt, cujus concluſio & præmiſſæ habent aliquem terminum Logicum.

Hic ſyllogiſmus ab Ariſtotele ſæpe vocatur Logicus,ab Averroë *inventionalis*. Hujus magnus eſt uſus in diſputationibus & diſciplinarum conſtitutionibus. Nam notiones ſecundæ Logicæ ſunt veluti normæ,quæ rebus ipſis ſunt applicandæ, ut illarum veritas inveniatur, vel certè aſſeratur.

Canones ejus ſunt duo :

1 Tot poſſunt eſſe quæſtiones, adeoq́3 concluſiones notionales,quot ſunt notiones Logicæ.

Exempli gratiâ : quæritur, an Deus ſit vox diſtincta vel ambigua, an ſit genus, an ſit definibilis &c. Item quæritur, an antichriſtus ſit futurus certum individuum,an genus ſyllogiſmi ſit oratio,an methodus poſſit obſervari in SS.Theologiâ?

2 Quæſtio notionalis probatur medio ſumto ex definitione & proprietatibus notionis ſecundæ, quam in ſe continet.

Exempli gratiâ : quæritur,an SS.Theologiæ ſyſtema methodicè poſſit proponi? Affirmatur ex definitione methodi: methodus eſt inſtrumentum dianoëticum,quo priora naturâ præponuntur. Intellige methodum doctrinæ. Jam accommodas hanc definitionē ad SS. Theologiam,& vides,Deum eſſe na-

esse naturâ priorem operibus suis, & concludis, methodum in eâ posse observari. Sic quæritur, an bona opera sint causa justificationis? Negatur ex illo canone: Nulla causa est posterior effectu. At bona opera sunt posteriora justificatione. Ergò. Ad summam: Si probanda sit quæstio notionalis, loco majoris sumitur definitio vel canon Logicus illius notionis, cujus mentio fit in ista quæstione tractanda.

Cap. 18. Syllogismus necessarius & contingens in genere.

E Materiâ determinatâ deinde syllogismus est verus vel apparens: *ut diximus cap. præced.*

Syllogismus verus est, cujus forma & materia bona est.

Estque necessarius, vel contingens.

Cùm hâc divisione fermè coincidit illa Philosophi, tradẽtis, syllogismum esse apodicticum, dialecticum & sophisticum. Sed de apparente seu sophistico agetur infrà *libro 9.*

De utroque conjunctim considerato sunt hi canones:

1 Ex falsitate universalis axiomatis affirmati, in materia necessaria & impossibili, sequitur falsitas particularis affirmati & veritas universalis negati:

Ut, Si falsum est, omnẽ bestiam esse rationalem, sequitur etiam falsum esse, quandam bestiam esse rationalem; & verum esse, nullam bestiam esse rationalem.

At in contingenti materia sequitur veritas particularis affirmati, & falsitas universalis negati:

Verbi gratiâ: Si falsum est, omnem hominem salvari; sequitur, verum esse, quendam hominem salvari; & falsum, nullum hominem salvari.

2 Ex falsitate universalis negati in materia necessaria & impossibili, sequitur veritas universalis affirmati, & falsitas particularis negati:

Ut, Si falsum est, nullum hominem esse risibilem; verum est omnem hominem esse risibilem; & falsum, quendam hominem non esse risibilem.

At in materiâ contingenti ſequitur veritas particularis affirmati, & falſitas univerſalis affirmati.

Ut, Si falſum eſt, nullum baptizatum eſſe regeneratum, ſequitur verum eſſe, quendam baptizatum eſſe regeneratum; & falſum, omnem baptizatum eſſe regeneratum.

3 Ex veritate particularis affirmati ſequitur falſitas univerſalis negati; ſed non particularis negati, niſi in materiâ neceſſariâ:

Ut ſi verum eſt, quendam hominem eſſe electum ad vitam æternam; ſequitur falſum eſſe, nullum hominem eſſe electum ad vitam æternam; ſed non ſequitur, quendam hominem non eſſe electum ad vitam æternam.

4 Ex falſitate particularis negati ſequitur veritas univerſalis affirmati, ſed non particularis affirmati niſi in materiâ neceſſariâ.

Ut ſi falſum eſt, quendam electum ad vitam æternam non ſalvari, ſequitur, verum eſſe, omnem electum ad vitam æternam ſalvari.

5 Ex veritate unius contrarii ſequitur falſitas alterius, ſed non contrà ex falſitate unius ſequitur veritas alterius, niſi in materiâ neceſſaria.

Ratio: quia duo contraria axiomata poſſunt eſſe ſimul falſa. e. g. Si verum eſt, omnem creaturã eſſe finitam, falſum eſt, nullam creaturã eſſe finitam. Sed non, ſi falſum eſt, omnẽ hominem ſalvari, verum eſt, nullum hominem ſalvari.

6 Ex falſitate unius ſubcontrarii axiomatis ſequitur veritas alterius ſubcontrarii; ſed non contrà ex veritate unius ſequitur falſitas alterius, niſi in materiâ neceſſariâ.

Ratio; quia duo ſubcontraria poſſunt eſſe ſimul vera. v. g. ſi falſum eſt, quendam lapidem eſſe cæcum, verum eſt quendam lapidem non eſſe cæcum.

7 Ex neceſſario nil niſi neceſſarium infertur: neceſſarium autem ex quolibet, ut ajunt, hoc eſt, ex neceſſario, & contingenti, & impoſſibili colligitur.

Neceſſa-

Necessarium ex necessario: ut, si homo est animal, est substantia. Necessarium ex contingenti: ut, si homo ridet, est animal. Necessarium ex impossibili: ut, si omnis lapis sentit, & omnis homo est lapis, etiam omnis homo sentit.

8 *Ex contingenti nunquam colligitur impossibile, sed vel necessarium, vel contingens: contingens autem nunquam ex necessario, sed vel ex contingenti, vel ex impossibili.*

Ex contingenti contingens: ut, Omnis Grammaticus est Logicus. Quidam homo est Grammaticus. E. quidam homo est Logicus. Ex contingenti necessarium: ut, Quidquid sentit, est animal. Omnis homo sentit. Ergò omnis homo est animal. Contingens ex impossibili: ut, Omnis lapis sentit: Omnis homo est lapis. E. omnis homo sentit. Et hæ sunt regulæ generales de syllogismo necessario & contingenti.

Cap. 19. Demonstratio.

Syllogismus necessarius est, in quo medius terminus cum alterutro extremo necessariò cohæret (*hoc est, immutabiliter*) ad pariendum in homine conclusionis scientiam.

Scientia conclusionis hîc dicitur firmus assensus. Dicitur scientia, hoc est, cognitio rei, putà conclusionis, necessariæ. Nam scientia propriè dicta, est rerum necessariarũ. Est autem conclusio in hoc tali syllogismo necessaria; quia medius terminus habet vim probandi necessariam, ita ut gignat vel unam vel utramque præmissam necessariam. Dicitur etiam συλλογισμὸς ἐπιστημονικὸς, *syllogismus scientificus.* **Scientia cõclusionis.**

Ejus canon est:

In syllogismo necessario vitetur transitus de genere disciplinæ in genus.

Græci vocant μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Sed hîc oportet accuratè distinguere conclusiones necessarias puras à mixtis. Quòd si conclusio sit pura, hoc est, constans ex terminis unius disciplinæ, ex unâ quoque disciplinâ petendum erit

mediũ:ut,homo eſt animal.Hæc eſt quæſtio pura puta phyſica. E. & medium erit ejusdem diſciplinæ. At verò ſi concluſio ſit mixta, h. e. conſtans ex terminis diverſarum diſciplinarum, medium poteſt ſumi ex diverſis diſciplinis. e.g. an panis eucharisticus eſt ſubſtantia, eſt quæſtio mixta, conſtans ſubjecto theologico,& prædicato metaphyſico. Poteſt igitur medium ſumi ex utraq; diſciplinâ. Tum ſiquidem nõ committitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, hoc eſt, *confuſio diverſarum diſciplinarum in eodem ſyllogiſmo.*

Syllogiſmus neceſſarius eſt vel apodicticus,vel non-apodicticus. *Illum vocare licet demonſtrativum, hunc monſtrativum, vel dicticum : illum primarium, hunc ſecundarium.*

Syllogiſmus apodicticus eſt ſyllogiſmus neceſſarius,cujus medium ex loco cauſæ externæ proximæ, vel effecti eſt deſumtum. *Uno vocabulo dicitur* ἀπόδειξις, demonſtratio *κατ' ἐξοχήν.*

Eſt autem cauſa proxima hoc loco, quæ unico gradu diſtat ab effectu. Ejus canones in genere ſunt quatuor; è quibus primus eſt de præcognitionibus,ut vocant;ſecundus de concluſionibus demõſtrabilibus,tertius de propoſitionibus demonſtrationis,quartus de medio demonſtrationis.

1 De tribus demonſtrationis terminis præcognoſcendum eſt, quid ſignificent, & an ſit *de ſubjecto quæſtionis & medio.*

Præcognitiones ante demonſtrationem. Logici peculiariter hoc in loco vocant præcognitiones, quas ante ſingulas demonſtrationes habere debet, qui diſcit. Et quidem de tribus demonſtrationis terminis præcognoſcendum eſt,quid ſignificent,ut ne diſputetur de ignotis: *an ſit* verò præcognoſcendum ſeu præſupponendum eſt de ſubjecto quæſtionis & medio, probandum de affectione. Fruſtra enim quis mecum ſic diſſeret, pygmæos eſſe cholericos, quia ſint parvæ ſtaturæ: ſi nobiſcum non convenit, pygmæos eſſe. Atque in eo ſæpe graviter peccatur in rebus maximis: ut ſi dicerem, Perfectè juſto debetur vita æterna. Qui implet legem,eſt perfectè juſtus.Ergò illi qui implet legem,de-

gem, debetur vita æterna. Hîc est error non in falsitate ullius propositionis, sed in temeritate præsuppositionis, quæ fit ante syllogismum, *Aliquis implet legem*, quam suppositionem adversarius non concedit.

2 *Illæ conclusiones sunt demonstrabiles, in quibus prædicatum est accidens proprium, cujus causa proxima potest assignari.* Quæ conclusiones sint demõstrabiles?

Ratio canonis petitur ex definitione demonstrationis. Confer hanc definitionem cum *lib. 2. canone 4. cap. 7. tit. de causâ immediatâ.* Itaque

1 *Substantiæ non demonstrantur:* ut, hominẽ esse corpus. Nam substantiarum causæ externæ necessariæ non dantur.

2 *Accidentia communia non demonstrantur:* ut, Equum esse album. Ea enim nec insunt necessariò, nec eorum est certa & perpetua causa.

3 *Accidentia inseparabilia, quæ non fluunt à formâ subjecti, & quorum certa causa non potest assignari, non sunt demonstrabilia:* ut, Bipedem esse in homine, album esse in cygno.

4 *Prima principia sunt ἀναπόδεικτα:* quia illis nihil est prius. Ea igitur duntaxat accidentia propria demonstrari possunt, quorum certa & proxima causa potest assignari, & quæ promanant à natura subjecti. Tales sunt hæ propositiones: Luna patitur eclipsin; stellæ scintillant; corpus Christi est locale; lineæ parallelæ nunquam concurrunt. Ex his patet, duo debere concurrere ad conclusionem demonstrabilem. 1. ut, prædicatũ sit accidens proprium, ἴδιον πάθος. 2. Ut ejus causa proxima possit assignari. Hîc incidit quæstio, an etiam demõstrationes perfectæ in theologicis supernaturalibus dentur? Quidã negant; & contendunt, exempla demonstrationũ scientificarũ in solis scientiis humanis dari; eò quòd in illis solis conclusiones propriè sciantur, in theologiâ autẽ conclusiones necessariæ credantur, ut & principia theologica. Hinc ajunt, in theologiâ non dari demonstrationes sciẽtificas propriè loquẽdo, sed potiùs persuasiones ex creditis ad creditũ. Sed hæc sententia est erronea. Nam sicut major est certitudo principiorũ theologicorũ quã philosophicorum: sic & demonstrationes multò certiores in theologiâ

An dentur demonstrationes in theologicâ arcanâ?

dantur, quàm in philoſophiâ. Sunt igitur ἀπαίδευτοι, qui patrocinantur huic ſententiæ, demonſtrationes perfectas in theologiâ non dari. Illorum error ἐπαγωγικῇ oſtenſione refellitur. Concluſio theologica eſt: Deus eſt omnipræſens. Μέσον omni exceptione & dubitatione majus: Quia eſt immenſus, infinitus. Objicis: at ita idem per idem probatur; quia attributa divina ſunt ταυτό. Reſpond. Sed unum eſt altero prius καθ' ἡμᾶς. Eſt & hæc concluſio theologica: In omnes homines mors tranſiit. Medium συνεχὲς, ſeu διότι: peccatum ἀρχικὸν ſeu radicale, ut vocant. Eſt & hæc concluſio theologica: omnes homines ſunt concepti in peccato originis. Argumentum διότι eſt offenſa ſeu inobegientia unius hominis. Per unius offenſam in mundum introiit peccatum, ait Apoſtolus, medium cum quæſito conjungens. Eſt denique & hæc concluſio theologica demonſtrabilis: Deus non eſt colendus imagine ipſi factâ. Ratio apodictica: Q. Deus hoc odit. Sed, inquiat aliquis, nondum ſolutus eſt nodus. Nam principia & concluſiones theologiæ ſupernaturalis ſeu arcanæ non ſciuntur, ſed creduntur. Reſp. Principia ſupernaturalia (ut & concluſiones) ſunt duûm generum; quædam duntaxat ſunt πιστὰ, ut Deus eſt unus & trinus, Chriſtus eſt θεάνθρωπος. Et hîc deſtituit nos demonſtratio ſcientiæ, ſufficit demonſtratio fidei. Quędam ſunt ita πιστὰ, ut etiam ſint ἐπιστητὰ, ut Deus eſt omnipræſens. Deus decrevit ab æterno &c. Dantur igitur in theologiâ ſupernaturali demonſtrationes ſcientificæ, quæ tamen omnes tandem reſolvuntur in hoc principium, *Deus dixit*. Et hæc eſt fidelibus μεγίστη καὶ ἀληθεστάτη ἀπόδειξις, *maxima & veriſſima demonſtratio*, ut ait *Juſtinus martyr apologiâ ſecundâ pro Chriſtianis*; &, ut ait *Clemens Alexandrinus libr. 2. ſtromatum*, ἡ ἀνωτάτω ἀπόδειξις, *ſuprema demonſtratio*. Hinc naſcuntur tales demonſtrationes: Quidquid ſacra Scriptura aſſerit, id credendum eſt. At unum tantùm eſſe Deum aſſerit in tribus perſonis: *1. Johan. 5. verſ. 7.* Ergò hoc credendum eſt. Item, Quemcunque ſacra Scriptura aſſerit unum mediatorem Dei & hominum, is eſt verus mediator. Atqui Jeſum Chriſtum eſſe talem mediatorem aſſerit ſacra Scriptura. Ergò Jeſus Chriſtus eſt mediator inter Deum & homines. Et hæ demonſtrationes etiam in philoſophiâ locum habent, ſi ibi aliquid pro-

quid probari possit testimonio divino. Non tamen hæ demonstrationes, quæ pro medio habent testimonium divinum, sunt syllogismi apodictici; sed dictici.

3 *Propositiones demonstrationis debent esse necessariò veræ, immediatæ & causæ conclusionis.*

Propositiones demonstrationis quî debeat esse comparatæ?

Videamus singula. Sint primò *necessariò veræ*, juxta tres necessitatis gradus, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον. Nam quod debet gignere cognitionem certam, id necessariò verum sit oportet. Deinde sint *immediatæ*, seu primæ & indemonstrabiles, hoc est, quarum prædicatum inhæreat subjecto, non mediante alio aliquo subjecto, cui primò insit, aut aliquâ intercedente causâ, propter quam prędicatum insit subjecto. Est igitur hîc immedietas duplex. Aliæ enim propositiones sunt immediatæ ex parte subjecti, quarum prædicatum convenit subjecto, non mediante alio subjecto: v.g. homini convenit τὸ *sentire* mediatè, mediante scilicet animali; animali verò immediatè & primò. Aliæ verò sunt immediatæ ex parte causæ, quarum non potest assignari causa: ut, triangulum habet tres angulos, homo est rationalis. Harum enim propositionum prædicata ita arctè cohærent cum subjectis, ut non possint ullo interjecto medio resolvi & demonstrari. Denique sint *causæ conclusionis*: non tantùm causæ consecutionis seu consequentiæ conclusionis (hoc enim fit in omni syllogismo, ut diximus suprà ad definitionem syllogismi) sed causæ tùm affectionis, seu prædicati conclusionis, tum cognitionis, seu causæ cognoscendi conclusionem. Hoc utrumque erit, si propositiones demonstrationis sint priores & notiores conclusione tum naturâ, tum nobis. Hoc quî fieri possit, acutè ostendit doctissimus *Molinæus lib.2.Logic.cap.2.*

4 *Medium demonstrationis est triplex; definitio accidentis proprii, causa proxima affectionis, & effectum proprium atque immediatum.*

Mediũ demonstrationis est triplex.

Duo quidem priora media locum habent in demonstratione perfectâ, ultimum in imperfectâ. Explicemus singula. Definitio accidentis proprii tribus constat partibus; genere, subjecto, & causâ; & demonstratio constat totidem parti-

bus, subjecto, affectione, & medio. Itaq; si subjectũ affectionis fiat subjectum conclusionis, genus verò fiat prędicatum, & causa medium, habebis ex definitione demonstrationem. e. g. sit hæc definitio mortis: *mors est destructio vitæ animalis, ex calidi extinctione.* Ex ea fiet demonstratio hunc in modum: *Cujus calor vitalis extinguitur, ejus vita necessariò destruitur. Animalis calor vitalis extinguitur. Ergò ejus vita extinguitur.* Deinde causa proxima affectionis potest esse medium demonstrationis; eaque tum efficiens, tum finalis. Efficiens, ut: Quod obumbratur à terra, deficit lumine. Luna obumbratur à terra. Ergò deficit lumine. Finalis, ut: Quodcunque omnia illuminat, est per se lucidum. Sol omnia illuminat. Ergò sol est per se lucidus. Interdum longa series demonstrationũ texatur necessum est, antequam ad immediata veniatur: ut, habitantibus sub æquatore aër est calidissimus, quia est tenuissimus: est tenuissimus, quia maximè disgregatur à Sole: rursus, maximè disgregatur à Sole, quia ejus radii ibi cadunt ad angulos rectos: radii ibi cadunt ad angulos rectos, quia Solem in æquinoctiis habent verticalem. Hîc oportet, ut quiescamus: quia medium hoc postremum, nempe habere Solem in æquinoctiis verticalem, est ipsa definitio habitationis sub æquatore. In hâc serie causarum seu mediorum totidem sunt demonstrationes, quot causæ, subjecto semper eodem manente in his demonstrationibus: ultima verò causa est primum principium, quia cæteræ ab ea pendent, in eâque novissimè quiescitur. Eadem series demonstrationum datur in causâ finali; in quibus primum principium est finis ultimus & summus, id est, per se expetendus, & non ob aliud: ut, animal habet pulmones, ut respiret; respirat ad refrigerationem cordis; animalis cor refrigeratur, ut servetur temperies caloris; servatur temperies, ad animalem vitam conservandam. Præterea effectum proprium potest esse medium demõstrationis. Cùm enim in omni demonstratione medium cum prædicato quęstionis cohęreat, ut causa cum effectu, & verò causa aliquãdo sit nobis notior effectu, aliquando etiam effectus notior causâ, manifestè sequitur, non solùm effectũ demonstrari posse per causam, sed etiam in quibusdã vicissim causam per effectum. Cæterùm dum di-

dum dicimus definitionem accidentis esse medium demonstrationis, non excludimus reliqua principia demonstrativa, sed includimus: quæ ut meliùs percipias, sic habendum est. Principia demonstrationis sunt vel axiomata, vel theses. Axiomata sunt principia per se nota, quæ sine expositione doctoris intelliguntur: ut, totum est majus suâ parte; Deus est bonus; felicitas est expetenda; unicuique suum est reddendum; omne bonum est faciendum, omne malum fugiendum. Theses sunt principia, quæ quidem doctoris expositione non egent, sed tamen axiomatis sunt inferiora claritudine. Suntque vel definitiones, de quibus modò diximus; vel hypotheses, quas supponit demonstrator, tanquam veras, quibus nemo sanus contradicat: ut, omnes anguli recti inter se sunt æquales; humana societas non stat, nisi quidam regant, quidam regantur; vel denique postulata, quæ Græcis dicuntur αἰτήματα, quæ sunt theses, quibus demonstrator fidem haberi postulat, licet quibusdam videantur absurdæ: ut, Solem esse majorem terrâ.

Demonstratio alia est τοῦ διότι, propter quid, alia τοῦ ὅτι, quòd sit. *Illa dicitur à priori, hæc à posteriori.*

Hæc distributio probatur ex iis, quæ modò dicta sunt ad ἐξήγησιν canonis quarti. Breviter rem totam attingemus. Omnis nostra cognitio à sensu incipit. Cùm igitur prisci homines effecta singularia sensibus obversantia viderent, nec satis assequerentur primo intuitu, multiplici meditatione causas investigarunt, itemque universalia ex similitudine observatâ in singularibus collegerunt. Et hæc discendi via satis fuit operosa. Sed post causas inventas via discendi facta est compendiosior. Nam à causis incipientes possumus ex iis effectorum scientiam acquirere methodo longè præstantiori. Nam qui ex effectu cognito causam quærit, cùm adeptus est, quod intendit, nondum cognoscit causam, cur sit id quod quærit, sed tantùm cognoscit illud esse: ut qui cognitâ inæqualitate pulsus, ex eo concludit esse febrem, nondum scit cur sit febris, sed tantùm scit esse febrem. Qui verò dicit, est febris: ergò est pulsus inæqualis; non solùm cognovit inæqualitatem istam esse, sed etiam cur

sit. Ex gemino hoc procedendi modo nascuntur duæ species, vel (ut alii volunt) gradus demonstrationis; videlicet διότι, à priori, & ὅτι, à posteriori; quarum illa perfectior, hæc imperfectior.

Demõstratio τὸ διότι.

Demonstratio διότι est, quâ cognoscimus causam proximam, cur res sit talis.

Hîc objici solet: Cùm quæritur, an res sit, est quæstio demonstrabilis, seu conclusibilis; cùm autem quæritur, cur res sit, non est quæstio demonstrabilis, sed explicabilis seu declarabilis simplici enunciato: ut, Cur Luna patitur eclipsin? Respond. Q. terra diametraliter interponitur inter ipsam & Solem. Sed tenendum. Hanc ob causam quidam rejiciunt illas voces τὸ διότι, & τὸ ὅτι in hâc doctrinâ. Sed respondetur à Philosophis, ambiguitatem esse in voce *cur*, vel διότι ut & τὸ ὅτι, *quòd.* Omnis demonstratio concludit quæstionem *quòd*, seu εἰ ἔστι. Sed demonstratio à priori dicitur τὸ διότι, quòd ipsam causam cognoscamus, propter quam res ita se habet. e. g. An Luna illo die patietur eclipsin? Hæc est quæstio demonstrabilis. Resp. Patietur: quia illo die terra diametraliter interponetur inter ipsam & Solem. Hæc vocatur demonstratio τὸ διότι, quia sic concludit quæstionem, ut simul causam indicet; cujus cognitio cùm sit nobilissima, ab illâ nomen sortitur hæc demonstratio.

Ejus canones sunt:

1 Positâ vel remotâ causâ proximâ & adæquatâ affectionis propriæ subjecti, ipsam affectionem poni vel removeri est necesse.

Vel, cuicunque tribuitur vel adimitur causa proxima & adæquata affectionis, ipsam quoq; affectionem ei tribui vel adimi necesse est. Unde sequitur à causa adæquata ad effectũ valere consequentiam affirmativè & negativè. Non igitur omnis demonstratio est affirmata; sed multæ quoq; sunt negatæ. v.g. Quidquid est ubique, est substantiæ infinitæ. Nulla creatura est substantiæ infinitæ. E. nulla creatura est ubique. Item: Omne rationale est risibile. Nulla bestia est risibilis. E. nulla bestia est rationalis.

2 In

2 *In demonstratione διότι tria sunt; ὑποκείμενον,* subjectum, πάθος, affectio *subjecti, ἀρχὴ,* causa. *exempli gratiâ:*

1. Subjectum. *2. Affectio.*
Homo est risibilis.
3 Causa.
Quia rationalis.

3 *Demonstratio διότι non solùm est universalis, sed etiam particularis.*

Hoc idem etiam verum est de demonstratione τοῦ ὅτι. Universalis est, quæ probat accidens inesse subjecto suo primo, universali, & proprio, sive sit effectum, sive causa. Particularis est, quæ probat accidens inesse subjecto secundo, sive sit effectum, sive causa. Sic v. g. homo est primum subjectum risibilitatis, Socrates verò secundarium: quia convenit homini, quatenus est homo; Socrati verò non quatenus est Socrates, sed quatenus homo. Sic

Sentit { Animal. Subj. 1.
Homo. Subj. 2.
Socrates. Subj. 3. }

Sentire convenit Socrati, quia est homo; homini, quia est animal; animali verò primò, & quatenus est animal. Sic vicissim uni subjecto tribuuntur multa prædicata: ut,

Homo { Loquitur: quatenus homo.
Sentit: quatenus animal.
Alitur: quatenus vivens.
Mensurabilis est: quatenus corpus.
Per se subsistit: quatenus substantia. }

Primum illud videl. τὸ loqui, convenit homini primò, & quatenus talis est, ideoque cum ipso reciprocatur: & cætera conveniunt ei secundariò, & propter aliud, nec cum homine convertuntur. Hinc igitur demonstratio alia dicitur universalis: ut, omnis justificatus pacem habet cum Deo. Omnis verè credens est justificatus. E. omnis verè credẽs pacem habet cum Deo: alia particularis: ut, Quicunq; verè credit, est electus ad vitam æternam. Quidam homo verè credit. Ergò quidam homo est electus ad vitam æternam.

4 Demonstratio ὅτι est prior ordine demonstratione διότι, sed posterior dignitate.

Prior ordine, scil. inventionis, itemq; cognitionis confusę. Priùs enim cognoscimus quòd res sit talis, quàm cur sit talis. At demonstratione τοῦ ὅτι probatur, quòd res sit, demonstratione διότι, cur sit, seu propter quod sit.

Demonstratio διότι sumitur à causâ proximâ tum efficiente, tum finali.

Num sit demonstratio à materiâ & formâ? Nam à causis internis, materiâ & formâ, sumi nequit. Nō à materia; quia mediū demonstrationis est causa affectionis seu prædicati; ut verò subjecti sit causa, nō requiritur. Materia verò prædicati seu affectionis aut est genus ipsius, uti coloris genus est qualitas patibilis; aut subjectū ejus, uti coloris materia est corpus. Illa dicitur materia interna, hęc externa à quibusdam. At neq; genus affectionis, neq; subjectū illius, possunt esse medium demonstrationis. Non genus; quia illud non est causa speciei. Non subjectū; quia subjectū conclusionis non potest esse medium. Falsus igitur Aristoteles, qui *2. post. c. 11.* tradit, materiam posse esse medium demonstrationis. Sed nec à forma sumitur medium demonstrationis, sicut idem d.l. asseruit. Ratio; quia si forma prædicati esset medium demonstrationis, cōmitteretur petitio quæstionis: ut, Animal rationale est homo. Socrates est animal rationale. E. Socrates est homo. Minor enim non est notior conclusione, imò idem, ut ait *Molinæus in Logicis*.

Demonstratio à causâ efficiente proximâ sumta est, quæ pro medio habet causam efficientem proximam prædicati.

Ejus canon est:

Positâ causâ efficiente proximâ & adæquatâ, necesse est effectum poni, & remotâ tolli.

Exempli gratiâ: Omnes libri immediatè divinitùs inspirati, sunt canonici. Omnes libri Prophetici & Apostolici, sunt immediatè divinitùs inspirati. E. sunt canonici. Item: Quidquid præditum est animâ rationali, illud est risibile. Omnis homo præditus est animâ rationali. E. omnis homo est ri-

est risibilis. Item: Quidquid suâ substantiâ est ubique, id immensæ & infinitæ est substantiæ. Corpus Christi non est immensæ & infinitæ substantiæ. E corpus Christi suâ substantiâ non est ubique. Hîc observá, mediũ hujus demonstrationis esse posse causam efficientẽ extrinsecam, h. e. talem, quæ non sit in eodem subjecto cum accidente: ut, Omnis stella, quæ patitur interpositionem terræ, deficit. Luna patitur interpositionem terræ. E. Luna deficit. Itaque

Demonstratio à causâ efficiente, est vel ab efficiente extrinsecâ, vel intrinsecâ.

Extrinseca efficiens hîc dicitur, quæ non est in eodẽ subjecto, ut modò diximus, cum effectu: uti terræ interpositio, aut aëris corruptio, sunt causæ extrinsecæ eclipseos & pestilentiæ. Intrinsecæ sunt, quæ sunt in eodem subjecto: quales sunt formæ specierum, quæ per emanationem continuàm producunt qualitates activas: ut, anima in animali est causa intrinseca efficiens sensus & motus; & forma magnetis est causa attractionis ferri. Hujus generis quoque sunt qualitates quædam activæ, quæ sunt causæ efficientes mediæ aliarum qualitatum: ut, esse carnis tenerrimæ, in homine est causa tactus acutissimi; & in auro densitas, causa summæ gravitatis. Exemplum causæ efficientis extrinsecæ est: Quibus aër est corruptior, ii frequentibus cum morbis conflictantur. Habitantibus in locis palustribus est aër corruptior. Ergò. Exemplum causæ efficientis intrinsecæ est: Qui amat Deum, amat Dei imaginem, hoc est proximum. Pii amant Deum. E. Item: Omne densissimum est gravissimum. Aurum est densissimum. Ergò.

Demonstratio διότι à causâ finali proximâ est, cujus medium est finis proximus prædicati in conclusione.

Ejus canon est:

Posito fine proximo & adæquato, ponuntur media; & remoto, tolluntur.

Exempli gratiâ: Omne sacramentũ, quod est à Deo institutũ in hunc finem, ut sit solennis receptio in Ecclesiam Dei;

debet cōmunicari omnibus hominibus,tam infantibus,quā adultis,ad quos fœdus Dei & receptio in ecclesiam pertinet. At Baptiſmus eſt tale Sacramentum.E.Hæc apodixis furori Anabapſtico opponi poteſt. Vide *Zachar.* U*rſinū*,Logicum abſolutiſſimum,*tract.theol.tom.1.*Sequēs demonſtratio opponatur Pontificiis Biblioſacrifugis: Quidquid legi debet in publico Eccleſiæ cœtu ad ædificationem omnium in fide & vitâ,id eſt linguâ omnibus cognitâ legendum. Atqui S. Scriptura legi debet in publico Eccleſiæ cœtu ad ædificationem omnium in fide & vitâ. Ergò.Hæc demonſtratio opponatur Copernico: Quidquid debet producere fruges, & animalia ſuſtinere,id debet eſſe immotum.At terra debet hoc præſtare. Ergò terra debet eſſe immota.

Demonſtratio τȣ̃ ὅτι eſt, quæ pro medio termino habet effectum vel deſtinatum,ut ex eo demonſtretur efficiens aut finis,vel etiam cauſam remotam.

Eſtque duplex,perfectior,vel imperfectior.

Perfectior eſt,quæ demonſtrat cauſam per effectum proximum:

Quod fit,cum medium eſt effectus, cauſa autem eſt prædicatum concluſionis.

Ejus canon eſt:

Poſito effecto proprio & immediato, ponitur cauſa efficiens, & ſublato,tollitur.

Valet igitur demonſtratio hæc affirmativè & negativè,ut etiam illa à priori.Exempli gratiâ. Quodcunque moritur,illius calor naturalis extinguitur. Vegetantia moriuntur.Ergò vegetantium calor naturalis extinguitur. Item: Quicunque manducat carnem Chriſti, is Chriſtum in ſe manentem habet. Infideles Chriſtum in ſe manentem non habent. Ergò infideles carnem Chriſti non manducant. Sic quoque deſtinato poſito ponitur finis, & ſublato tollitur: ut, Credit in Filium Dei. Ergò ſalvabitur. Habet bonum ingenium,& ſtudet diligenter.Ergò evadet doctus. Non diligenter ſtudet. E.nec evadet doctus.

Demon-

Demonstratio τοῦ ὅτι imperfectior est, quæ demonstrat effectum per causam remotam:

Quod fit, cùm effectum est prædicatum conclusionis, causa remota est medium.

Ejus canon est:

Positâ causâ remotâ, non necessariò ponitur effectus, sed illâ sublatâ tollitur.

Itaque demonstrationes à causâ remotâ sunt ferè negativæ: ut, Quidquid respirat, est animal. Nulla planta est animal. E. nulla planta respirat. Item: Omnis facilè calvescens est calidi temperamenti. Eunuchi non sunt calidi temperamenti. Ergò eunuchi non facilè calvescunt. Causa proxima, cur eunuchi nō facilè calvescant, est retentio humoris radicalis: remota, frigiditas, vel defectus caloris. Sic: Quodcunque inebriatur, bibit. Æsalones non bibunt. Ergò Æsalones non inebriantur. Hîc potare non est causa συνεχὴς seu proxima ebrietatis (talis enim est perturbatio spirituum animalium in cerebro à vaporibus vini) eâ tamen sublatâ tollitur ebrietas. Huc quidam referunt hoc exemplum, quo probant, etiam interdum demonstrationem negativam habere locum: Quæcunq; animam habent, nutriuntur & crescunt. Lapides animam non habent. Ergò lapides non nutriuntur & crescunt. Nam anima non est causa proxima nutritionis & incrementi, sed facultas vegetatrix. Hæc demonstratio admittit syllogismos secundæ figuræ, ut ex allatis paulò ante exemplis videre est. Ad extremum in doctrinâ de demonstratione notetur, quid sit *regressus demonstrationis*. Regressus iste seu reciprocatio demonstrationis, est, cùm demonstratio τοῦ διότι reciprocatur seu convertitur cum demonstratione τοῦ ὅτι. Cùm enim à causato, tanquam sensibus notiori, demonstratum est, causam esse; reciprocatione factâ causatum ex causâ facilè demonstratur. e. g. Luna est globosa; quia per vices crescit & decrescit. Hîc ex effectu causa ostensa est. Jam permutato medio per regressum, ex causâ demonstratur effectum: Quod corpus, luminosum sphæricum est & rotundum, id mutuatitio lumine crescit & decrescit. Atqui Luna est corpus tale. Ergò. Hoc exemplum vulgò adferunt: sed nobis non est ad salivam. Substituamus igitur

alia. Quod præditum est animâ rationali, illud est risibile. Omnis homo præditus est animâ rationali. Ergò. Hîc regredior sicpote: Omne risibile est rationale. Omnis homo est risibilis. Ergò omnis homo est rationalis. Item: Omnis justificatus pacem habet cum Deo. Omnis verè credens est justificatus. E. omnis verè credens pacem habet cum Deo. Hæc est demonstratio à priori. Hanc converto cum demonstratione ab effectu: Quicunque pacem habet cum Deo, est justificatus. Omnis verè credens pacem habet cum Deo. Ergò omnis verè credens est justificatus. Usus hujus reciprocationis est geminus. 1. Potest huic causa esse notior effectu, illi verò effectus notior causâ. Itaq; pro personis nunc hæc nunc illa fiat demonstratio. 2. Potest aliquis unâ eâdemq; commentatione & discursu primùm per effectum causam invenire; deinde per eandem causam eundem effectum cum fructu demonstrare. Vide magnum illum oratorem Gallicanum *Molinæum. l.2. Logic. cap.3.* eundemque disputatorem exercitatissimum.

Cap.20. Syllogismus necessarius non-apodicticus.

Syllogismus non-apodicticus, est syllogismus necessarius, cujus medium aliunde, quàm ex loco causæ externæ proximæ & effecti depromitur.

Potest vocari *dicticus*, ut & suprà monuimus. Nimirùm hoc medium peti potest ex omnibus locis inventionis præter locum causæ externæ proximæ, itemque effecti immediati. Hic enim locus suppeditat media demonstrationis, ut diximus cap. anteced. Necessum igitur erit hîc percurrere loca illa à nobis tractata suprà *lib.2.3.4.5:* & id quidem sine tautologiâ facere poterimus. Nam suprà explicavimus illorum locorum naturam, quid videl. & quotuplex sit causa, causatum &c. item indicavimus aptitudinem illam, quâ possint referri ad extrema quæstionis. Nunc hoc loco duntaxat de iis agimus, quatenus actu recipiunt relationem ad extrema quæstionis seu thematis conjuncti.

Medium

Medium igitur necessarii syllogismi non-apodictici sumitur ex argumentorum communium, ut vocavimus, classibus, è serie prædicamentali, definitione, & distributione.

Classes argumentorum communium constituimus decem, *sequentes methodum lib. 2.*

Hæ classes vocari possunt lumina argumentorum probantium seu demonstrantium.

Suntque 1. Causa & causatum. 2. Subjectum & adjunctum. 3. Antecedens, consequens & connexa. 4. Dissentanea. 5. Comparata. 6. Conjugata. 7. Notatio. 8. Totum & pars. 9. Genus & species. 10. Testimonium.

De his locis videamus canones, quo nimirum modo ex illis petantur media dictica.

Canones de causâ & causato.

1 *A remotione causæ remotæ & necessariò ad causatum requisitæ, ad remotionem causati necessaria est consequentia.* Probatio dictica è loco causæ & causati.

Verbi gratiâ, Non recipit speciem rei objectæ in oculum. Ergò non videt.

2 *Cujus causa procreans est bona vel mala, illud est bonum vel malum; & retrò.*

Verbi gratiâ, virtus moralis est bona; quia crebra exercitatio actionum honestarum est bona. Vitium morale est malum; quia crebra exercitatio actionum turpium est mala.

3 *A positione unius causæ per se subordinatæ, sive sit finis, sive efficiens, sive materia, sive forma, ad remotionem alterius non valet consequentia.*

Sic à positione causæ primæ ad remotionem secundæ, vel à positione causæ secundæ ad remotionem primæ non licet argumentari. Non enim, si Deus est causa hominis, v. g. Alexandri Magni, Philippus non est illius causa. Idem judicium esto de reliquis causis.

4 *Posito fine, ponuntur media ad finem:*

Ut, Quisquis Deum videbit, debet esse corde mundo. Electi videbunt Deum. E. debent esse corde mundo. At sublato fine, non necessariò tolluntur media: ut negatâ doctrinâ, non necessariò tolluntur libri.

5 *Positâ efficiente solâ sufficiente, ponitur effectus; & sublatâ, tollitur.*

Sic posito sole, ponitur dies; posito vitio, ponitur infelicitas. Sin verò ad effectum unum causæ plures requiruntur; non nisi positis omnibus causis, ponetur effectus. Ratio: quia omnes causæ junctæ, pro unâ ponuntur. Sic ad cædem patrandam voluntas & facultas; ad fertilitatem terræ, cœli clementia, soli tractabilitas, & cultura conveniens requiruntur. Sunt autem res humanæ ita comparatæ, ut ad bonum efficiendum oporteat multa concurrere; at malum ex unius boni defectu exurgat; non secus ac bona valetudo ex leviculâ causâ corrumpitur.

6 *Sublatâ efficiente remotâ, aut causâ sine quâ non, tollitur effectus:*

Ut, non est potatio apud Indos. Ergò nec ebrietas. Ratio canonis est: quia, etsi talis causa sola non sufficit, tamen sine eâ effectus esse non potest. Ergò conclusio duntaxat negans inde sequitur.

7 *Cui materia tribuitur vel adimitur, eidem & materiatum tribui vel adimi est necesse:*

Ut, anima hominis non constat ex quatuor elementis. Ergò non est mixtum corpus. Cometa est corpus mixtum: quia constat ex elementis. Vulgò sic efferunt hunc canonem: *De quo materia proxima & adæquata affirmatur aut negatur, de eo etiam materiatum affirmari aut negari est necesse.*

8 *Cui materia tribuitur, ei determinatam formam tribui oportet; & cui materia adimitur, ei & forma:*

Ut, Pygmæi habent corpus humanum. Ergò & formam. Aurum apparens non habet materiam auri. Ergò nec formam. Intellige canonem de formâ materiali, quæ non subsistit extra materiam. Hinc dicunt philosophi: *Sublatâ materiâ tol-*

teriâ tollitur forma materialis. Nam formæ ſeparatæ aut ſeparabiles à materiâ, ut animæ hominum, ſublatâ materiâ non tolluntur.

9 *Sublatâ materiâ tollitur compoſitum:*

Ut,Si non ſunt ligna,non eſt navis.Si apud Indos non eſt vinum,non eſt plena cœna Domini,ac proinde apud illos non eſt cœna Domini;quia cœna Domini non eſt mutila cœna. Ad affirmandum hic canon non valet: quia poſitâ materiâ,non ſtatim ponitur idcircò compoſitum.Non enim eſt conſequens:Ibi ſunt ligna.Ergò & navis.

10 *Qualis materia, tale materiatum:*

Ut,ſtatua eſt ex ligno carioſo.Ergò & ipſa carioſa eſt.

11 *Cui forma tribuitur vel adimitur, eidem & formatum:*

Ut,Pygmæi habent animam rationalem. Ergò ſunt homines.Metalla non habent animam vegetantem. Ergò nec ſunt corpora viventia.

12 *Cui forma tribuitur,eidem & determinata materia tribuitur;& cui illa adimitur,eidem & iſta:*

Ut, Pygmæi habent animam rationalem. Ergò & corpus humanum.

13 *De quo cauſatum (ſive finitum,ſive effectum,ſive materiatum,ſive formatum) affirmatur vel negatur,de eo etiam cauſam affirmari vel negari eſt neceſſe.*

Hic canon non ſolùm concludit de causâ proximâ,ſed etiam de propinquâ quavis & remotâ,cui nimirum proximè & eſſentialiter eſt ſubordinata. v. g. Quidam homines ſunt pii;quia ſalvantur. Quidam homines non ſunt pii;quia damnantur. Omnis cometa conſtat ex elementis;quia eſt corpus mixtum. Nulla ſtella conſtat ex quatuor elementis; quia non eſt corpus mixtum. Omnis planta habet animam vegetantem;quia eſt corpus vivens. Omnis creatura appetit eſſe; quia appetit ſui perfectionem. Ad hunc canonem refer iſtos. 1.*Poſito compoſito,poni materiam,neceſſarium eſt:* ut,ſi domus eſt,ſunt lapides, ligna &c. 2.*Poſito aut ſublato compoſito,ponitur aut tollitur forma:* ut,poſito homine ponitur anima rationalis. Sed ſublato homine,anima rationa-

lis non tollitur. Canon igitur verus est de formis inseparabilibus à materiâ; non de separabilibus, ut sunt animæ humanæ. 3. *Sublato effectu, tollitur efficiens:* ut calore, ignis; lumine, Sol. Canon hic verus est in causis, quæ agunt necessitate naturæ; non in iis, quæ voluntate; nec in iis, in quibus causa potest esse sine effectu: ut crapula sine morbo, philosophus sine scriptione. 4. *Sublatis mediis, tollitur finis:* ut, virtute sublatâ tollitur felicitas; diaphano, visus; cibo, vita animalis. At *positis mediis, non necessariò ponitur finis.* Ratio: quia in multis natura, aut voluntas destruit opus inchoatum. Vide *lib. 2. cap. 9. can. 1. & 2.* de finito.

Canones de subjecto & adjuncto.

Probatio dialectica è loco subjecto & adjuncto.

1 *Cui subjectum proprium tribuitur vel adimitur, ei etiam propria adjuncta tribui, vel adimi est necesse:*

Ut, Omne verum corpus est quantum & finitum. Corpus Christi est verum corpus. Ergò. Item: Nulla stella habet facultatem sentiendi; quia non est animal. Christus est Deus. Ergò omnipotens. Huc pertinet canon: *Negato subjecto, negantur accidentia:* ut, Purgatorium non est. Ergò nec calidum est.

2 *De quo adjunctum proprium affirmatur vel negatur, de eo etiam ipsum subjectum affirmari vel negari est necesse:*

V. g. Omnis planta est corpus vivens; quia habet facultatem nutriendi & crescendi. Deus non ducitur pœnitentiâ; quia non est homo. Alii sic efferunt hunc canonem: *Cui tribuitur vel adimitur accidens proprium, ei quoque subjectum tribui vel adimi est necesse:* Ut, Omne verum corpus est visibile. Corpus in pane latens, vel ex pane factum, non est visibile. E. nec est verum corpus.

3 *Cui tribuitur vel adimitur objectum adæquatum, eidem tribuitur vel adimitur adjunctum circa istud objectum occupatum; & cui adimitur vel tribuitur adjunctum circa objectum occupatum, eidem ipsum objectum adimitur vel tribuitur.*

Exempli gratiâ, versatur circa modum benè disserendi. Ergò est

Ergò est Logicus. Fundit pias preces. Ergò mentem convertit ad Deum, non ad creaturam. Christus est verus Deus. Ergò adorandus. Idolum non est adorandum. Ergò non est Deus.

4 *Positis vel remotis circumstantiis, ponitur vel removetur subjectum; & posito vel remoto subjecto, ponitur vel removetur circumstantia.*

Ut, Poma maturescunt. Ergò autumnus instat. Corpus est. Ergò locus est, in quo sit. Corpus Christi movetur localiter. Ergò est in loco.

5 *Posito signo necessario & proprio, ponitur signatum.*

Verbi gratiâ, Socrates pinguescit. Ergò bene nutritur. Vestigium lupi hîc apparet. Ergò lupus hîc fuit. Sic & *remoto signo necessario & proprio, tollitur signatum:* ut, non febricitat. Ergò non laborat pleuritide. Sol nondum est ortus. Ergò necdum est dies. Quidam hunc canonem de signo referunt ad locum antecedentis &c.

Canones de antecedente, consequente, & connexis.

Probatio dictica è loco antecedentis, consequentis & connexi.

1 *Posito vel sublato necessario antecedente, ponitur vel tollitur ejus consequens.*

Sic, est crepusculum matutinum. Ergò dies erit. Edit bona opera ex fide. Ergò salvabitur. Arbor non floret. Ergò fructum non feret.

2 *Posito consequente necessario, ponitur antecedens.*

Sic, juvenis est. Ergò puer fuit. Christus verè sepultus est. Ergò verè mortuus. Mulier peperit. Ergò gravida fuit.

3 *Posito vel sublato connexo necessario, alterum quoque ponitur vel tollitur.*

Exempli gratiâ, Deus est summè sapiens. E. & summè bonus. Homo est capax vitii moralis. E. & virtutis moralis. Non est capax virtutis moralis. E. nec vitii. Homo habet facultatem ridendi. E. & flendi. Bestia non habet facultatem ridendi. E. nec flendi. Hinc quia causa efficiens per se & finis,

itemq; materia & forma ſunt connexa neceſſaria, ab efficiente per ſe ad finem, à materiâ ad formam, & vice versâ valet conſequentia. Quidquid enim habet efficientem per ſe, habet etiam finem, & viciſſim. Item, quidquid habet materiam, habet etiam formam, & viciſſim. Similiter, quia ex effectis, ſubjectis & adjunctis, totis & partibus, quædam ſunt connexa neceſſaria: hinc ab uno ad alterum, neceſſaria eſt conſequentia affirmativè & negativè.

Canones de diſſentaneis.

Probatio dictica è loco diſſentaneorum.

1 *A poſitione unius oppoſiti ad remotionem alterius neceſſaria eſt conſequentia.*

Solent hunc canonem etiam ſic efferre: *De quo unum oppoſitorum verorum affirmatur, de eo non poteſt affirmari alterum, ſervatis omnibus legibus veræ oppoſitionis.* v. g. Deus non eſt author peccati; quia eſt ſummè bonus. Nullus verus Chriſtianus damnatur; quia ſalvatur. Irus non eſt dives; quia eſt pauper. Nullus homo eſt beſtia; quia non eſt non homo. Nullus verus Chriſtianus eſt filius Diaboli; quia Diabolus non eſt pater ejus.

2 *Oppoſitorum immediatorum uno negato, alterum affirmari neceſſe eſt.*

Prior canon verus eſt de omni oppoſitorum genere; hic de immediatis duntaxat: ut, Nos aut meritis noſtris juſtificamur coram Deo, aut merito Chriſti. At non meritis noſtris. Ergò.

3 *Oppoſitorum, quatenus talia ſunt, oppoſita ſunt attributa.*

Itaque ſi unum oppoſitorum ſequitur ad unum, etiam alterum ſequitur ad alterum: ut, Si virtus eſt expetenda, vitium eſt fugiendum. Si peccata Deo diſplicent, bona opera Deo placent. Si pius ſalvatur, impius damnatur. Vulgò dicitur argumentum *à contrario ſenſu.* Vide l.2.cap.21.

4 *Si datur unum oppoſitorum, datur etiam alterum.*

Ratio; quia oppoſita, in quantum oppoſita, ſunt ſimul naturâ. v. g. ſi datur ſumma felicitas, datur etiam ſumma miſeria; ſi datur virtus, datur etiam vitium. Obj. 1. Datur ſummum bonum, & tamen ſummum malum non datur. 2. Ante

lapſum

lapſum erat felicitas,itemque virtus,& nulla tum erat miſeria,nullum vitium. Reſp.ad 1.Summum bonum tranſcendentale datur: at ſummum malum tranſcendentale non datur tanquam poſitivum quid. Datur autem ſummum malum morale.Ratio eſt;quia ens & bonum convertuntur. E. etiam ſummum ens & ſummum bonum. Sicut autem enti opponitur non-ens:ita bono opponitur malum. Sic vides,quòd ſummum malum ſummo bono opponatur contradictoriè. 2. Ante lapſum felicitas & virtus non conſiderabantur tanquam oppoſita miſeriæ & vitio,ſed tanquam affectiones creaturæ rationalis.

5 *Poſito uno contradicentium removetur alterum:*

Ut,Gratis juſtificamur.E. non operibus.Nam eſt contradictio,ſi quis dicat,ſe gratis juſtificari,& operibus. Ubiquitas eſt propria divinæ naturæ. E. non eſt communis humanæ naturæ Chriſti. Hic canon fundatur in illo principio, quod eſt ſummum omnium axiomatum totius philoſophiæ: *Contradicentia non poſſunt de eodem ſimul vera eſſe,* Seu,*neceſſarium eſt, contradicentium alterum cuilibet rei convenire,alterum non convenire.*

6 *Uno relato poſito aut remoto,alterum ponitur aut removetur:*

Ut,Deus eſt pater æternus. E. habet Filium coæternum. Chriſtus ſemper eſt caput. E. ſemper habebit Eccleſiam. Non eſt cliens. E.non habet patronum. Non eſt pupillus. E.non habet tutorem. Nec tamen iccircò probatur concluſio per æquè ignotum:quia etſi relata ſingula pariter nota ſunt,ſunt tamen notiora ſimul ſumta quàm ſeorſim. Iccircò unum affert lucem alteri.

7 *Poſito uno contrariorum in gradu excellenti,removetur alterum:*

Ut,Paries eſt albiſſimus.E.non eſt niger.Deſperavit.E.nihil habuit conſolationis.

8 *Omne ſubjectum,quod ſuſcipit unum contrarium, poteſt etiam ſuſcipere alterum: & ſubjectum,quod non eſt ſuſceptivum unius contrarii,nec eſt ſuſceptivum alterius.*

Objicis: Ignis est calidus. Ergò etiam potest suscipere frigus. Resp. Error est ex ignoratione, quid sit suscipere. Suscipere, verbi gratiâ, calorem dicimus, non id quod calidum est, sed quod calefit. Si igitur ignis posset de novo suscipere calorem, cùm antè non haberet; posset etiam recipere frigus.

9 *Si duo sunt bona, majoris boni contrarium erit majus malum.*

Sic divitiæ & valetudo sunt bona. Si valetudo est majus bonum divitiis, morbus erit majus malum paupertate: Et, si amare est melius, quàm prodesse; odisse erit majus malum, quàm nocere.

10 *Uno ex privativis posito, removetur alterum; & uno remoto, ponitur alterum:*

Ut, Cæcus est. E. non videt. Indutus est vestimentis. E. non est nudus.

11 *A quocunq; removetur disparatum, ab eo removentur omnia, quæ disparato insunt:*

Ut, Quicunq; perseverant in impœnitentiâ usq; ad finem vitæ, ii sunt reprobi. Electi non sunt reprobi. E. electi non perseverant in impœnitentiâ usq; ad finem vitæ.

Probatio diætica è loco comparatorum.

Canones de comparatis.

1 *Quæ in uno aliquo tertio inter se sunt eadem, illa non simpliciter, sed secundùm quid sunt eadem:*

Ut, Non sequitur, homo & bestia sunt eadem genere. E. simpliciter inter se sunt eadem.

2 *A pari ad par valet consequentia:*

Ut, Judæi sunt puniti ob idololatriam. E. & Christiani ob eandem punientur. Deus exaudivit Davidem precantem. E. & nos precantes exaudiet. Si pater non est contemnendus, nec mater. Si Abraham fuit fide justificatus, etiam omnes ipsius filii spirituales fide justificantur. *Paria* enim *paribus conveniunt: &, de paribus est idem judicium.*

3 *Cujus causa, effectum, subjectum, adjunctum, partes, conjugata, definitio &c. sunt præstantiora, vel deteriora, illud ipsum est præstantius, vel deterius.*

Hic ca-

Hic canon est generalis, & complectitur multos speciales ab Aristotele traditos *lib.3.topicorum.*

Canon de conjugatis.

Probatio dialectica è loco

Si unum conjugatorum verorum de uno conjugato affirmatur vel negatur, etiam alterum de altero.

1. Conjugatorum.

Conjugatorum enim sunt conjugata consequentia, & duorum conjugatorum contrariorum conjugata sunt contraria. v.g. si albedo est color; ergò album est coloratum. Si cæcitas & visus sunt privativè opposita, etiam cæcus & videns. Si fortis est probus; fortitudo est probitas. Si opulentus non est felix; opulentia non est felicitas.

Canones de notatione.

2. Notationis.

1 De quo notatio vera & propria affirmatur, de eo etiam notatum affirmatur vel negatur, & vice versâ.

V.g. Est magni animi. E. est magnanimus. Est locuples. E. locis abundat. Non est locuples. E. locis non abundat. Hinc vulgò dici solet: *A notatione, quæ notato est adæquata, valere consequentiam affirmativè & negativè.*

2 De quo notatio vera & communis negatur, de eo etiam ipsum notatum negatur: sed non contrà, de quo affirmatur, de eo etiam notatum affirmatur.

V.g. Non est mentis testatio. E. non est testamentum. Hæc argumentatio valet. At non valet ista: Est mentis testatio. E. testamentum. Hoc est quod l.2.cap.25. monuimus: *A notatione, quæ latior est notato, valet consequentia tantùm negativè.*

3 Quod de notatione propriè affirmatur vel negatur, id etiam de notato affirmatur vel negatur; & vice versâ:

Ut, Philosophia est expetenda; quia studium philosophiæ est expetendum. Theologia est discenda; quia est doctrina de Deo. Quòd verò quidam existimant, inter vocem & rem, nullum esse necessitatis nexum, falsum esse vel ex eo apparet; quòd nomina divinitùs imposita suppeditent firmum medium probandi: ut, Christus est Jesus. E. servabit populum suum à peccatis.

Canones de toto & parte.

1 *Posito aut remoto toto, necesse est poni, vel removeri partes:*

Ut, Tota cœna pertinet ad laicos. E. & calix. Magistratus est custos totius legis divinæ. E. & primæ & secundæ tabulæ. Alii sic enunciant canonem hunc:

Probatio dialectica è loco totius & partis.

De quo totum affirmatur vel negatur, de eo etiam omnes partes, vel aliquam affirmari vel negari est necesse:

Ut, Nullum metallum constat corpore organico & animâ vegetante: quia non est corpus vivens. Socrates est homo. E. constat corpore organico & animâ rationali.

2 *De quo omnes partes affirmantur vel negantur, de eo necesse est totum affirmari vel negari:*

Ut, Omnis planta est corpus vivens; quia constat corpore organico & animâ vegetante. Nullum metallum est corpus vivens, quia non constat corpore organico & animâ vegetante.

3 *Quod convenit vel non convenit toti homogeneo, id etiam convenit vel non convenit parti:*

Ut, aqua est humida. E. & quælibet gutta est humida. Terra est sicca. E. & quævis illius particula. Excipe illa, quæ de toto dicuntur, ut totum est.

4 *A remotione unius partis essentialis ad remotionem totius essentialis necessaria est consequentia:*

Ut, Non habet corpus animatum. E. non est homo.

5 *Destructâ unâ parte integrali principali destruitur totum integrale:*

Ut, Non habet caput. E. non est homo. Hoc ædificium non habet tectum. E. non est domus. Cœna Domini apud Indos non habet vinum. E. non est cœna Domini. Cœna Domini apud Brasilienses non habet panem. E. non est cœna Domini.

Probatio dialectica è loco generis & speciei.

Canones de genere & specie.

1 *Quidquid universaliter de genere affirmatur, vel negatur,*

negatur, id etiam de specie affirmari vel negari est necesse:

Ut, Omne corpus vivens habet facultatem nutriendi. E. & animal. Metallum non est corpus vivens. E. nec aurum. Excipe ea, quæ prædicantur de genere ut genus est: putà, esse universalius specie, esse materiam in definitione. e. g. Animal est genus. Socrates est animal. Ergò Socrates est genus. Et in tali syllogismo major non est universaliter vera. Est enim quoddam animal, quod non est genus, nempe singula animalia. Alii sic enunciant canonem: *Quodcunque prædicatur de genere, prædicatur etiam de specie & individuo:* Et, *quod non convenit generi, non convenit speciei.*

2 Cui tribuitur genus, eidem & species tribuatur oportet, sed indeterminatè:

Ut, Est animal. Ergò est vel homo, vel brutum. Est peccatum. Ergò vel originale, vel actuale. Adjeci regulæ limitationem hanc, *sed indeterminatè.* Aliâs enim à genere ad speciem tantùm negativè ducitur argumentum, juxta canonem: *A genere ad speciem non valet consequentia affirmando:* ut non sequitur, si est animal, est asinus: si est habitus, est ars.

3 Remoto genere removentur species:

Ut, Nulla opera justificant. E. nec monastica. Papa ne episcopus quidē est. E. nec catholicus seu generalis episcopus.

4 Positâ specie ponitur genus:

Ut, Est homo. E. est animal. Vulgò dicunt: *De quo species affirmatur, de eo etiam genus affirmari necesse est.* Alii dicunt: *A specie ad genus valet consequentia affirmando.* Nam remotâ specie, non statim removetur genus: ut, Simia non est homo. Ergò non est animal. Logica non est scientia. Ergò non est habitus.

5 De quo omnes species negantur, de eo etiam genus negari necesse est:

Ut, Nullum metallum est corpus vivens; quia neque est planta, neq; animal. Sacramentum N. T. est vel baptismus, vel S. cœna. Extrema unctio nec est baptismus, nec S. cœna. Ergò.

6 Quod de specie affirmatur vel negatur, id etiam de genere particulariter affirmari vel negari est necesse.

Ut, Quidam morbus est incurabilis; ut podagra inveterata, quam poëta vocat nodosam. Quidam affectus suâ naturâ est vitiosus; quia invidia. Effertur & sic canon iste: *Quodcunque convenit alicui speciei, convenit etiam generi ex parte.*

Probatio dictica è loco testimonii.

Canones de testimonio.

1 Qualis est testis, tale est testimonium.

Si testis est verax, testimonium etiam est verum. Si testis est mendax, etiam testimonium est falsum. Hic tamen canon patitur exceptionem: ut, Diaboli testimonium fuit verum, cùm dixit Jesum esse Filium Dei.

2 A testimonio necessario ad testatum necessaria est consequentia:

Ut, Vidi te in campo. Ergò ibi fuisti.

3 A testimonio divino rectè intellecto, & apposité allegato, ad testatum necessaria est consequentia, tàm negativè, quàm affirmativè, in rebus ad salutem pertinentibus:

Ut, Scriptura testatur, fore judicium universale. Ergò certò erit. Scriptura nihil habet de ubiquitate corporis Christi glorificati. Ergò illud dogma est commentitium.

4 Quod natura omnes docet, id verum est:

Ut, Esse aliquod Numen; Pro patriâ esse pugnandum.

5 Quod omnium sanorum consensu tenetur, & semper receptum fuit, id verum est:

Ut, Animam esse immortalem.

6 Quod sensus interni vel externi omnibus hominibus dictant, id verum est:

Ut, Parentes esse colendos; Ignem urere. Per testimonium sensus interni intellige testimonium conscientiæ.

7 Testimonium fidei est infallibile.

Ratio: Quia Spiritus sanctus testatur unà cum spiritu nostro. Sic ergò firmiter concludit fidelis: Credo me propter

pet Christum esse in numero salvandorum. Ergò non confundat.

Sequuntur canones de medio dictico è prædicamentali serie. Probatio dictica è prædicamentis.

1 *Positâ substantiâ propriè dictâ, ponuntur accidentia, & vicissim.*

Ratio 1. Quia substantia propriè dicta est creata; & quia creata, composita; & quidem composita è subjecto & accidente. 2. Quia accidentia nullo modo esse possunt extra subjectum inhærentiæ. Procedit igitur consequentia: Alexander est substantia. Ergò præditus est accidentibus. Et: Alexander est præditus accidentibus. E. est substantia. Item: Maxima in illâ civitate vitia grassantur. E. & ibi sunt homines. At non valet: Deus est substantia. E. illius omnipotentia est accidens. Ratio: quia Deus dicitur substantia analogicè, καθ' ὑπόληψιν ἡμῶν.

2 *Quidquid ex entibus absolutis recipit contrarietatem, item magis & minùs, est vel qualitas, vel actio, vel passio.*

Ratio canonis est: Quia nulla substantia, nulla item quantitas recipit contrarietatem, vel magis & minùs: sed sola qualitas, & actio, itemque passio, per & propter qualitates. Sic calefactio & frigefactio sunt actiones contrariæ, quia calor & frigus sunt contraria. Et aliquid magis vel minùs calefacit, prout magis vel minùs calet, seu calidum est. Rectè igitur sic disputo: Eruditio recipit magis & minùs. Ergò est vel qualitas, vel actio, vel passio. Item: Binarius non recipit magis vel minùs. Ergò est vel substantia, vel quantitas. Item: Homini nihil est contrarium, quatenus est homo. Ergò est vel substantia, vel quantitas.

3 *De quo dicitur aliquid relativè, de eo dicendum est, quòd sit etiam ens absolutum.*

Ratio: Quia relatio fundatur in absoluto aliquo. Hinc rectè colligo: Istud est pater. Ergò vel substantia, vel accidens absolutum.

6 Quod de ſpecie affirmatur vel negatur, id etiam de genere particulariter affirmari vel negari eſt neceſſe.

Ut, Quidam morbus eſt incurabilis; ut podagra inveterata, quam poëta vocat nodoſam. Quidam affectus ſuâ naturâ eſt vitioſus; quia invidia. Effertur & ſic canon iſte: *Quodcunque convenit alicui ſpeciei, convenit etiam generi ex parte.*

Probatio dictica è loco teſtimonii.

Canones de teſtimonio.

1 Qualis eſt teſtis, tale eſt teſtimonium.

Si teſtis eſt verax, teſtimonium etiam eſt verum. Si teſtis eſt mendax, etiam teſtimonium eſt falſum. Hic tamen canon patitur exceptionem: ut, Diaboli teſtimonium fuit verum, cùm dixit Jeſum eſſe Filium Dei.

2 A teſtimonio neceſſario ad teſtatum neceſſaria eſt conſequentia:

Ut, Vidi te in campo. Ergò ibi fuiſti.

3 A teſtimonio divino rectè intellecto, & appoſitè allegato, ad teſtatum neceſſaria eſt conſequentia, tàm negativè, quàm affirmativè, in rebus ad ſalutem pertinentibus:

Ut, Scriptura teſtatur, fore judicium univerſale. Ergò certò erit. Scriptura nihil habet de ubiquitate corporis Chriſti glorificati. Ergò illud dogma eſt commentitium.

4 Quod natura omnes docet, id verum eſt:

Ut, Eſſe aliquod Numen; Pro patriâ eſſe pugnandum.

5 Quod omnium ſanorum conſenſu tenetur, & ſemper receptum fuit, id verum eſt:

Ut, Animam eſſe immortalem.

6 Quod ſenſus interni vel externi omnibus hominibus dictant, id verum eſt:

Ut, Parentes eſſe colendos; Ignem urere. Per teſtimonium ſenſus interni intellige teſtimonium conſcientiæ.

7 Teſtimonium fidei eſt infallibile.

Ratio: Quia Spiritus ſanctus teſtatur unà cum ſpiritu noſtro. Sic ergò firmiter concludit fidelis: Credo me pro-

pter

pter Christum esse in numero salvandorum. Ergò non confundar.

Sequuntur canones de medio dictico è prædicamentali serie.

Probatio dictica è prædicamentis.

1 *Positâ substantiâ propriè dictâ, ponuntur accidentia, & vicissim.*

Ratio 1. Quia substantia propriè dicta est creata; & quia creata, composita; & quidem composita è subjecto & accidente. 2. Quia accidentia nullo modo esse possunt extra subjectum inhærentiæ. Procedit igitur consequentia: Alexander est substantia. Ergò præditus est accidentibus. Et: Alexander est præditus accidentibus. E. est substantia. Item: Maxima in illâ civitate vitia grassantur. E. & ibi sunt homines. At non valet: Deus est substantia. E. illius omnipotentia est accidens. Ratio: quia Deus dicitur substantia analogicè, καθ' ὑπόληψιν ἡμῶν.

2 *Quidquid ex entibus absolutis recipit contrarietatem, item magis & minùs, est vel qualitas, vel actio, vel passio.*

Ratio canonis est: Quia nulla substantia, nulla item quantitas recipit contrarietatem, vel magis & minùs: sed sola qualitas, & actio, itemque passio, per & propter qualitates. Sic calefactio & frigefactio sunt actiones contrariæ, quia calor & frigus sunt contraria. Et aliquid magis vel minùs calefacit, prout magis vel minùs calet, seu calidum est. Rectè igitur sic disputo: Eruditio recipit magis & minùs. Ergò est vel qualitas, vel actio, vel passio. Item: Binarius non recipit magis vel minùs. Ergò est vel substantia, vel quantitas. Item: Homini nihil est contrarium, quatenus est homo. Ergò est vel substantia, vel quantitas.

3 *De quo dicitur aliquid relativè, de eo dicendum est, quòd sit etiam ens absolutum.*

Ratio: Quia relatio fundatur in absoluto aliquo. Hinc rectè colligo: Istud est pater. Ergò vel substantia, vel accidens absolutum.

Probatio dictica è loco definitionis.

Videamus canones de medio dictico è loco definitionis.

1 *De quo definitio affirmatur vel negatur, de eo necesse est ipsum definitum affirmari vel negari:*

Ut, pygmæus est animal rationale. E. homo. Transgressio legis est peccatum. Avaritia est legis transgressio. E. peccatum. Alii sic efferunt canonem: *Cui competit definitio, eidem & definitum; & contrà.* Item, *Cui non convenit definitio, eidem non convenit definitum.* Locum à definitione *Aristoteles* & *Zabarella* non magnifaciunt; eò quòd omnis hæc argumentatio principium petat; cùm definitio & definitum idem sint. Vide *Zabar. de med. demonst. cap. 5. & ad cont. 105. l. 5. post. & l. 1. de materiâ cap. 2.* Sed potest hæc talis argumentatio admitti saltem καθ' ἡμᾶς. Nobis enim definitio est notior definito; & iccircò nobis aliquid notificat & probat de definito.

2 *Quod de definitione affirmatur vel negatur, id etiam de definito affirmari vel negari necesse est, & vice versâ:*

Ut, Ars benè disserendi modum tradens, homini est necessaria. Ergò & Logica. Ars benè disserendi modum tradens, non est negligenda. Ergò nec Logica. Solent hunc canonem sic enunciare: *Quod convenit definitioni, vel non convenit, id etiam definito convenit, vel non convenit.* Excipe ea, quæ conveniunt definitioni, quatenus definitio est: ut, Animal rationale sunt duæ voces. Homo est animal rationale. Ergò &c.

Probatio dictica è loco distributionis.

Canones de medio dictico è loco distributionis sunt hi.

1 *De quo distributum affirmatur vel negatur, de eo etiam distributio affirmatur vel negatur, & vice versâ:*

Ut, Est corpus animatum. Ergò est vel planta, vel animal. Non est corpus animatum. Ergò neque planta, neque animal. Stella neque est homo, neque bestia. E. non est animal.

2 *Sublatis omnibus divisi membris, tollitur divisum:*

Ut sublato homine & bruto, tollitur animal.

Cap. 21.

Cap. 21. Syllogiſmus contingens.

SUpereſt ſyllogiſmus contingens,qui ex medii termini incertitudine probabilem tantùm vim habet probandi concluſionem ad pariendum in homine opinionem. *Vulgò dicitur* ſyllogiſmus dialecticus,topicus & probabilis.

Medium hujus ſyllogiſmi ducitur è locis fermè iiſdem,è quibus medium ſyllogiſmi dictici ducitur,ſed alio modo; *nimirum juxta ſequentes canones.*

Canones de causâ & cauſato.

1 Quod de causâ affirmatur vel negatur,id non neceſſe eſt de cauſato affirmari vel negari, & retrò. **Mediũ contingens è loco cauſæ & cauſati.**

Fundamentum hujus canonis eſt in explicatione illius canonis; Qualis cauſa,tale eſt cauſatum. Vide ſupra lib. 2. Non igitur valet: Pictor eſt deformis. E. etiam pictura. Vinum eſt bonum. E. etiam ebrietas.

2 Poſitâ causâ efficiente remotâ (longinquâ) aut ſublatâ,probabile eſt effectum poni aut tolli:

Ut, Nubes coguntur. E. pluet. Habet multos libros. E. doctus evadet. Hinc illud. *A poſſe ad eſſe non valet conſequentia*: quia poſſe eſt cauſa remota actus.

3 Cujus cauſa corrumpens eſt bona,illud eſt malum; & cōtrà, cujus cauſa corrũpens eſt mala,illud eſt bonum.

Verbi gratiâ: virtutis moralis cauſa corrumpens eſt mala,nimirum malæ actiones. E. virtus moralis eſt bona.Item vitii moralis cauſa corrumpens eſt bona, nimirum actiones probæ. E. vitium morale eſt malum. Hic canon eſt contingens,non neceſſarius.Sæpe enim artifex corrumpit rem bonam; ut & in ſphærâ activitatis naturæ, ut loquuntur,videre eſt; ubi corrumpitur res bona, ut generatio alterius ſubſequatur.

4 Poſitâ causâ impellente aut remotâ, contingens eſt effectum poni aut removeri:

Ut,Amat illam. E.ducet. Pulchra eſt. E.procum inveniet.

Incessit illum convitiis. E. vapulabit. Duxit illam. E. amavit. Procum invenit. E. pulchra fuit.

5 *Positis aut remotis instrumentis contingentibus, probabile est effectum poni, vel tolli; & contrà posito effectu vel sublato, probabile est instrumenta esse posita vel sublata:*

Ut, Utitur medicamentis. E. convalescet. Habet multos libros bonos. E. doctus evadet. Deus convertit hunc hominem. E. usus est ministris Ecclesiæ.

6 *Positâ vel sublatâ materiâ communi, probabile est poni vel tolli materiatum, & contrà:*

Ut, In Germaniâ sunt multæ sylvæ. E. multæ naves. In Hungariâ sunt multi aurei. E. multæ aurifodinæ.

7 *A fine voluntario ad media arbitraria probabilis est illatio:*

Ut, Cogitat Francofurtum. E. conducet rhedam. Diligenter incumbit in studium theologiæ. E. adspirat ad gradum Doctoris.

8 *Ab effecto contingenti ad causam probabilis est illatio:*

Ut, Evasit doctus. E. habuit multos libros.

9 *Quod convenit composito, convenire etiam materiæ probabile est:*

Ut, Glacies est frigida. E. & aqua.

Mediũ contingens è loco subjecti & adjuncti.

Canones de subjecto & adjuncto.

1 *Posito vel remoto subjecto communi, probabiliter ponitur vel removetur adjunctum contingens:*

Ut, Est mater. E. diligit liberos. Est mulier. E. garrula. Est Cretensis. E. mendax. Est senex. E. querulus.

2 *Posito vel remoto adjuncto communi, probabiliter ponitur aut removetur subjectum:*

Ut, Est nigra avis. E. est corvus. Splendidè vestitus est. E. est dives. Gladiatus & cristatus est. E. est aulicus. Non amat puerum. E. non est ejus mater.

3 *Posi-*

3 *Posito objecto contingenti, probabile est poni adjunctum occupatum; & remoto, tolli.*

Ut, Hîc nulli sunt ægri. E. nulli medici. Multi sunt hîc ægri. E. multi medici. Narrat de ventis. E. est nauta. Versatur circa arma. E. non est puella.

4 *Posito adjacente aut circumstantiâ loci vel temporis, probabile est poni id, cui solet accidere; & remoto, removeri:*

Ut, Laureatus est. E. est poëta. Incedit nitidiùs solito. E. est spõsus. Martius est. E. ciconię advenerũt. Hora octava matutina est. E. nõ est ebrius. Noctu versat⁹ est circa ędes. E. fur est.

5 *Posito signo contingenti vel communi, probabiliter ponitur signatum; & remoto, removetur:*

Ut, Luna pallet. E. pluet. Febricitat. E. laborat pleuritide. Non habet lac. E. non peperit. Non gestat telum cruentum. E. non designavit homicidium. Habet frontem parvam & depressam. E. est stupidus.

Canones de antecedente, consequẽte & connexis. **Mediũ contingens è loco antecedentis, consequentis & connexi.**

1 *Posito antecedente contingenti, probabiliter ponitur consequens:*

Ut, Vitulus est. E. erit vacca. Ver est. E. ęstas sequetur. Puer est. E. erit juvenis.

2 *Posito consequenti contingenti, probabile est fuisse antecedens; & remoto eo, probabile est, non fuisse:*

Ut, Cœlum est jam serenum. E. heri circa vesperam fuit rubicundum.

3 *De quo unũ connexũ contingens affirmatur vel negatur, de eo alterũ probabiliter affirmatur vel negatur:*

Ut, Mendax est. E. etiam fur. Non est fur. E. nec mendax.

Canones de dissentaneis. **Mediũ contingens è loco dissentaneorum.**

1 *De quo unum diversorum negatur, de eo non necesse est alterum negari:*

Ut non sequitur, Ulysses non fuit formosus; quia facundus fuit; nisi contingenter. Nam utrumque potest uni & eidem subjecto tribui.

2 *De quo unum oppositorum verorum negatur, de eo*

non necesse est affirmari alterum. Ideoq; à remotione unius ad positionem alterius non est consequentia necessaria, nisi ambo sint immediata.

Verbi gratiâ, non valet necessariò. Paries non est albus. E. est niger. Lapis non est cæcus. E. videt. At necessaria est illatio. Hypocrita non est verus Christianus. E. est falsus Christianus. Verus Christianus non est injustus. E. est justus. Vulgò dici solet: Contrariorum immediatorum uno negato, necessariò ponitur alterum, in eo, cui competunt, subjecto: at contrariorum mediatorum altero negato non necesse est affirmari alterum in eo, cui competunt, subjecto.

3 *Quod de uno relatorum affirmatur vel negatur, non necesse est de altero affirmari, vel negari:*

Ut, Pater est improbus. E. & filius. Uxor est casta. E. & maritus.

Canones de comparatis.

Mediũ contingẽs è loco comparatorum.

1 *Quod uni parium tribuitur, etiam alteri tribuitur probabiliter.*

Scilicet, hic canon loquitur de paritate probabilitatis, non rei. De hâc enim accipiendus est canon. 2. cap. anteced. titul. de comparatis. Exempla canonis hujus sunt: Error fertur in cæteris, ut humanum quid. E. etiam in philosopho ferendus est. Sic Æneas à pari probat, sibi fas esse descendere ad inferos; cùm licuerit Herculi, Theseo, Orpheo. Sic si Demosthenes fuit orator, etiam Cicero.

2 *Cui unum ex paribus convenit vel non convenit, ei etiam alterum convenit, vel non convenit:*

Ut, Si parentes sunt amandi, sunt etiam honorandi: si virum sapientem decet incessus gravis, etiam oratio gravis: si improbus non est amandus, neque est honorandus. Alii sic efferunt canonem: *De quo unum æquè probabilium affirmatur vel negatur, de eo etiam affirmatur vel negatur alterum.*

3 *De quo minus negatur, de eo multò magis negatur majus:*

Ut, Dia-

Ut, Diabolus non potest lędere corpus hominis sine permissione Dei. E. multò minùs animam lædet. Diabolus non potest producere pediculum suâ vi. E. nec hominem. Vulgò sic effertur hic canon: *Si τὸ magis non est, etiam non erit τὸ minus.* Vel: Si id quod magis videtur inesse, non inest, multò minus inerit id, quod minus videtur inesse.

4 *Quod de minori affirmatur, id probabile est multò magis de majori in eodem genere affirmari:*

Ut, Homo potest remittere de suo jure quantum vult. E. multò magis Deus. Sed cautus sis in hujusmodi arguměta tione, ut ne Socini dogmatis patrocineris. Nam ille per consequentiam hanc extruit hanc sententiam: Itaque non opus fuit mittere mediatorem. Sed falsa est hæc collectio: quia in antecedente propositi enthymematis præsupponitur voluntas justa, hoc sensu: homo potest remittere de suo jure, quantum vult, scilicet, voluntate justâ. Nam si contra leges aliquid velit remittere de suo jure, jam non licebit. At, ais, Deus est supra legem, &, ut loquuntur alii, exlex. At, inquam ego, Deus ipse sibi lex est, hoc est, ita agit Deus, ut convenit ipsius justitiæ. Sed de his obiter. Potest & hic canon sic formari: *Si quod minus probabile est, verũ est, multò magis verum erit, quod magis probabile est.*

5 *Quod de majori negatur, id probabile est multò magis de minori negari, servatâ eâdem analogiâ:*

Ut, Si Christus ipse, quamdiu in his terris vixit, non fuit liber ab ærumnis & miseriis, multò minùs discipuli ipsius erunt. Angeli non sunt puri coram Deo. E. nec homo. Huc pertinet illud vulgatum: *A majore ad minus argumentum affirmativè non valet:* quod licet in operationibus seu effectis verum sit: tamen in passionibus non semper valet. Nam ibi etiam affirmativè licet concludere: ut, Mundus Christum afflixit. E. & ejus discipulos affliget. Angeli sunt lapsi. E. etiam homines possunt labi. Sic & illud: *A minori ad majus non valet argumentum negativum*; limitatè verum est, hoc sensu: Si minus non potest aliquid, non sequitur, majus etiam illud non posse: ut non sequitur; Centum milites non possunt expugnare hanc urbem. E. nec tria millia possunt. Comes non potest alere hunc exercitum. E. nec princeps vel rex potest.

6 Quod de uno similium affirmatur vel negatur, id probabile est de altero etiam affirmari vel negari:

Ut, Si Demosthenes ob eloquentiam est laudãdus, etiam Cicero. Thebanis malè cessit bellum cõtra vicinos. E. etiam Atheniensibus malè cedet. Vulgò dici solet: *Quod uni similium convenit, vel non convenit, id etiam alteri convenit, vel non convenit.* Item: *De similibus idem est judicium.* Excipe 1. Si individua non sint ejusdẽ generis. Nec enim valet argumẽtatio ab individuo extraordinario ad commune: ut, Elias 40. dies jejunavit. E. & nos poterimus. 2. Si individuorum actiones sint malæ: ut, David commisit adulterium. E. & mihi licet. Hîc locum habet regula: *Non exemplis, sed legibus & regulis judicandum.*

7 De quo unum similium affirmatur vel negatur, de eo probabile est alterum affirmari, vel negari:

Ut, Si Christus est cibus noster spiritualis, est etiam potus noster spiritualis.

8 Similia similibus conveniunt. Itaque cui unum similium convenit aut non convenit, ei etiam alterum convenit aut non convenit.

Verbi gratiâ, Si grex ovium non est cõmittendus rei pecuariæ ignaro, neq; ecclesia est committenda rerum divinarum ignaro. Amicus verus rebus adversis probatur; quia aurum probatur igne.

9 Dissimilia dissimilibus conveniunt. Itaq; quod uni dissimilium convenit, quatenus dissimile est, id probabile est alteri non convenire.

Verbi gratiâ, Pastor bonus non deserit oves suas veniente lupo; quia non est instar mercenarii. Magistratus non debet crudelis esse erga subditos; quia nõ est instar lupi. Deus mũdum à se conditũ perpetuò conservat; quia non est similis architecto, qui domũ constructã non ampliùs curat. Huc pertinet vulgatus canon: *Quæ analoga non sunt, iis nec analoga attributa conveniunt:* seu, *Quæ proportionata non sunt, iis nec proportionalia attributa conveniunt.*

Canones de conjugatis.

1 *Quod de uno conjugatorum verorũ affirmatur vel negatur, id probabile eſt de altero affirmari vel negari:* Mediũ contingēs è loco conjugatorum.

Ut, Religio contemnitur: quia religioſi contemnuntur. Omnis literatus eſt honorandus; quia literæ ſunt honorandæ. Sed hîc cauto opus eſt. Vide lib. 2. caput de conjugatis.

2 *De quo unum conjugatorum verorum affirmatur vel negatur, de eo etiam probabile eſt alterum affirmari vel negari:*

Ut, Eſt verus Chriſtianus; quia Chriſtianè vivit. Non eſt verus Chriſtianus; quia non vivit Chriſtianè.

Canones de toto & parte.

Totius & partis.

1 *Poſito toto, probabile eſt hanc vel illam partem contingentem poni:*

Ut, Eſt domus. E. habet cellam. Eſt vir adultus. E. habet barbam.

2 *Poſitâ aliquâ parte integrali vel remotâ, probabile eſt totum poni vel removeri:*

Ut, Vidimus aliquot domos ibi. E. eſt pagus. Eſt ibi fundamentum. E. domus.

Canones de teſtimonio humano.

Teſtimonii humani.

1 *A teſtimonio humano, præſertim particulari, non valet argumentatio negativè:*

Ut, Ariſtoteles nihil ſcripſit de methodo in ſuo Organo. E. de methodo in Logicâ non eſt docendum. Galenus nihil ſcripſit de aquarum deſtillationibus, & magiſteriis Chemicis. E. de his in medicinâ non eſt tradendum.

2 *Teſtimonia publicorum ſigillorum, Grammatica, practica* (ut ethica de honeſto, turpi &c.) *hiſtorica probatorum authorum, theoretica rationibus munita, ſunt firma.*

Hæc igitur rejicere eſt arrogantiæ, & ſtoliditatis.

3 *Teſtimonium vetus eſt dignius novo; & teſtimoniũ ſapientum plurium præferendum eſt teſtimonio unius.*

Ratio canonis eſt manifeſta.

Canon de deſcriptione.

Descriptionis.

A descriptione contingente, seu ex quibusdam communibus, ad descriptum probabilis est illatio:

Ut, Non est frutex major rubo, robustis virgultis, habens baccas rubras. E. non est cynosbatus.

Canon de distributione.

Distributionis.

Quod de distributo affirmatur vel negatur, non necesse est de distributione affirmari vel negari; & vice versâ.

Verbi gratiâ, nō valet: Risibilitas inest homini. E. vel corpori ipsius, vel animæ. Animal est rationale vel irrationale. E. & homo est rationalis vel irrationalis. Neque corpus, neque anima hominis moritur. E. nec homo moritur.

Satis de nobilissimo illo instrumento Logico, quod quidam tanti faciunt, ut statuant universæ Logicæ finem syllogismum. De apparente dicetur libro 9. Nunc libri septimi χηματισμὸν paucis adjiciamus.

TYPUS

TYPUS LIBRI SEPTIMI

De SYLLOGISMO.

Syllogismi considerantur
- Partes
  - Materia. cap. 1.
  - Forma. cap. 2.
- Communes affectiones. cap. 3. (sintque)
  - Consequentia syllogistica
    - formalis
    - materialis.
  - potentia syllog.
    - Reductio.
    - Expositio.
    - Probatio [illegible] per impossibile
      - perfecta.
      - imperfecta.
  - Crypsis syllogistica
    - Defectus syllogistic.
    - Redundantia syllog.
    - Inversio syllogis.
- Species, eæque
  - Formales; unde syllogismus est
    - Perfectus
      - Categoricus, figuræ
        - Primæ. cap. 4.
        - Secundæ. cap. 5.
        - Tertiæ. cap. 6.
      - Hypotheticus
        - Connexus. cap. 7.
        - Disjunctus. cap. 8.
    - Imperfectus
      - Deficiens
        - Enthymema. cap. 9.
        - Inductio. cap. 10.
        - Exemplum. cap. 11.
      - Redundans
        - Dilemma. cap. 12.
        - Sorites. cap. 13.
      - Inversus. cap. 14.
  - Materiales; sumtę ex materiâ
    - Indeterminatâ; unde syllogismus
      - 1. Affirmatus, Negatus — cap. 15.
      - 2. Communis, Proprius — cap. 16.
    - Determinatâ; unde syllogismus
      - 1. Purus, Mixtus — cap. 17.
      - 2.
        - Verus; cōsideratur in
          - Genere. cap. 18.
          - Specie, est
            - Necessarius
              - Apodicticus. cap. 19.
              - Non-apodicticus. cap. 20.
            - Contingens. cap. 21.
        - Apparens. vid. lib. 9.



LOGICORUM LIBER OCTAVUS, De METHODO.

Cap. I. Methodus inventionis.

SEquitur methodus, quæ est instrumentũ dianoëticum, quo res diversæ secundùm prius & posterius ordinantur, ad rerum cognitionem in suo genere perfectam adipiscendam.

Vocabulum methodi explicatum. In hâc definitione considerabimus definitũ, genus, & differentiam. *Definitum* est Grçcũ, quod si interpreteris, transitum ab uno ad aliud significabit. Aliter autẽ à Rameis, aliter à Peripateticis accipitur. Rameis quidem methodi vox à syllogismi voce distincta est. Quibus iisdẽ & ordo à methodo distinguitur. Methodus enim est propter ordinem, ut ex *c.17. lib.2. Dial. Rami* colligitur. Methodus nimirum est ipsis præceptũ, pro ordine in disciplinis efficiendo. *Talæus ad d.l.* Itaq; methodus efficientis rationem, ordo autẽ effecti subit: vel methodus mediũ, ordo finis est, pro diversâ cõsideratione. Interim ordinis vox & Rameis non infrequẽter pro methodo capitur. *Talæus d.l.* Peripateticis autem methodi vox duobus accipitur modis; generatim & speciatim. *Zabar. 1. de meth. c.2.3.* Generatim accepta methodus nihil est aliud, quã transitus ab uno ad aliud, ad rerum cognitionem adipiscendam. *Idem d.l.* Et ita ordinẽ, & methodum in specie sic vocatam comprehẽdit. *Ibid.* Ordinis officiũ est, unum ex alio deducere sine ullâ vi syllogisticâ. *Idem l.2. de meth. c.18.* Methodi autẽ officium est ratiocinari, & nihil aliud quàm syllogismus. *Id. d.l.* Confer *Creliiũ in isag. Logic. part. propr. l.1. c.12.* ubi inter alia sic scribit: *Quia methodus dicitur respectu scientiarum, & contemplantis philosophiæ, cui tota Logica mancipata est (in hâc enim propriè transitus ille fit, qui vim demonstrandi habet) iccircò peculiari ratione & per excellentiã demonstrativo syllogismo convenit.* Sic ille. Cæterùm ordo cum methodo

methodo seu syllogismo cōjunctus, inferendi robore seu potestate munitus est. *Zabar.l.2.de meth.c.18.* Icircò ordini inferendi virtus est accidētalis, methodo essentialis. *Averroës*, qui κατ᾽ ἐξοχὴν commentator dicitur, *lib. qui vocatur colliget.* Hinc *ordo methodic⁹* dicitur Peripateticis, ut distinguatur ab ordine generatim accepto; ubi velut in transcursu notabis, ordinis nomen Græcū esse. Dicebant militibus tribuni: Hactenus tibi licet: hîc consistes: eò progrediere: huc revertere: ὅρον δῶ: inde ordo. *Scal.l.1.de caus.ling.Lat.c.35.* In militiâ igitur primùm nata hęc vox; unde pòst in civitatē, & disciplinarum albū subsumta. *Scal.ibid.* Nos methodū & ordinem instrumentalē consideramus, ideoq; pro synonymis habemus. Et ideò methodi *genus* fecimus instrumentum, non discursum ordinativum. Ratio est: quia ordo logicè consideratus non est dispositio, sed disponēdi modus, & ratio, seu regula. *Piccol.in comit.polit.* In disciplinis autē & reb. est dispositio, nō disponēdi modus. Ordo ille, ut in disciplinis est & rebus, non est Logicæ, sed Metaphysicæ considerationis. Cujus n. est docere res universas, ejus quoq; est docere rerum inter se ordinem & connexionem, tanquā necessariam affectionem. Res sic habet. Ordo consideratur 4. modis. 1. Originaliter in mente divinâ. 2. Radicaliter in naturâ, seu rebus. 3. Exemplariter in scientiis & artibus. 4. Instrumētaliter in Logicâ. Vide *Piccol.introd.civil.philos.c.12.* Qui in mente divinâ, est causa & principium ejus, qui in rebus. Qui in mente divinâ & reb. causa est ejus qui in disciplinis. Qui in mente divinâ, qui in reb. & disciplinis, causa est ejus, qui in instrumentali disciplinâ. Hinc rectè *Piccol.com.polit.part.4.s.2.* tradit, quòd nullus esset ordo instrumentalis, nisi is extitisset antè in rebus & disciplinis: & quòd nullus esset ordo disciplinæ, nisi esset ordo naturæ rerum. Hinc & illud colligitur, ordinem instrumentalem esse posteriorem ordine in scientiis & rebus, & priorē eodem. Posteriorem, quatenus acceptus est à rebus & disciplinis: priorē, quatenus adhibetur tanquā idea, vel etiā causa instrumētalis, ad disciplinas meliusculè ordinādas & constituendas. Præterea in genere definitionis additur, *dianoëticū.* Ordo igitur logicè acceptus est nobis instrumentū dianoëticum. Dianoëticū finimus, quo unum ex alio deducimus. Et hoc methodo est cum syllogismo commune. Sequitur *diffe-*

Genus methodi quodnam?

Methodi objectum, forma & finis.

rentia sumta ab objecto, formâ & fine. Objectū methodi sunt res variæ seu diversę inter se ordinādæ. Nec enim solùm versatur circa axiomata, ut interpretes Rami colligunt è definitione methodi Rameâ; sed etiam circa themata simplicia, & argumenta, quibus illa themata explicantur. Ex his autem axiomata cōstituuntur. Hinc rectè *Polanus* tradit *l.2.syntag. Logic.* in omnibus disciplinis, in quibus disponēdis ordo requiritur, duo esse themata & argumēta eorum. Quid? Ordo axiomatum pendet ab ordine thematum & argumentorū. Forma methodi consistit in ordinatione priorum & posteriorum. Hinc *Fonseca 5. Metaph. c.1. q.3. s.3.* Ordo, ait, omnis in priori & posteriori consistit veluti formâ & essentiâ. Sublato igitur priori & posteriori, ordo tollitur. Sed & hæc forma est finis methodi internus. Externus *finis* methodi vel ultimus est, putà meliùs & faciliùs res cognoscere; vel subordinatus, vitare confusionem, itemq; rerum inter sese convenientiam judicare; & denique illas memoriâ complecti. Cùm enim methodus sit instrumentū, necessum est habeat finem aliquē. Omne enim instrumentū alicujus finis gratiâ est inventum, à quo etiam illius natura pendet. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, duo colligere possumus, videl. methodi difficultatem & præstantiam. Difficultas illius tanta est, ut maxima subtilitatis pars in libris sapientum, œconomia seu dispositio dicatur subtilitatum professori; *exerc.303.s.9.* Præstantiam ostendūt necessitas & pulchritudo. Necessitas tanta, ut nulla mētis actio seu operatio difficilior & arduior sit, quàm illa, quæ in ordinis executione se ostendit. Compositio & divisio simpliciū difficilis, difficilior discursus syllogisticus, difficillimus discursus methodicus, ajunt Logici. Et Rameis in ore est cōsimile: Labor invētionis est simplex; dispositionis axiomaticæ duplex; syllogisticæ triplex; methodicæ multiplex. Ideò & instrumentum, quod talem actionem seu ordinationem adjuvat & dirigit, omnium difficillimū & præstantissimum esse necessum est. Ordinatio enim exerceri non potest sine mentis omnibus operationibus, sine inveniendi theorematib. & axiomatis, & syllogismi operâ. *Talæus ad h. loc.* Itaq; in ordinatione omnes mētis operationes concurrunt, & ipsa ordinatio omniū ultima & perfectissima est. Atq; hinc consequitur, eandē quoq; pulcherrimā esse. Videmus enim

Encomium methodi.

mus enim nullum excellenter pulchrum esse inordinatum, ita ut ordo & pulchritudo se mutuò quasi amplexētur. Cùm itaq; Aristoteles in Organo suo nihil præcipiat de hoc nobilissimo instrumento Logico, ideò mancũ & mutilum illud esse contendimus. *Zabar. l. 4. de meth. c. 22.* Illa enim disciplina instrumentalis perfecta esse nequit, quæ perfectissimum instrumētum, cujusmodi methodus est, omittit. Nullum siquidem totum sui aliquâ parte principe sublatâ, verè totum, sed mutilum est. Sed claudamus hanc commentatiunculam canone;

Methodus requirit, ut à priorib. notiorib. & faciliori-bus, ad posteriora, ignotiora & difficiliora progressus fiat.

Hic canon sumtus est è definitione methodi, adeoque ipsius formâ & fine.

Methodus alia est inventionis, alia doctrinæ. **Methodus invētionis.**

Qui nullam agnoscunt methodũ inventionis, plus quàm stupidi sunt. Non enim fieri potest, ut eâdem methodo disciplinæ inveniantur & doceantur. Deinde duobus modis res cognoscimus in disciplinis propositas, vel per inventionem, vel per doctrinam. Cùm igitur cognitio sit duplex, etiam methodus cognitionis erit duplex, ita ut alia in inveniendis & constituendis disciplinarum præceptis, alia in iisdem docendis & tradendis adhibeatur.

Methodus inventionis est methodus præceptis artiũ faciliùs indagandis & constituendis inserviēs.

De hâc sunt canones:

1 ***Methodus inventionis est difficilior methodo doctrinæ.***

Difficilius enim est invenire aliquid, quàm inventa docere.

2 ***Methodus inventionis requirit, ut à sensibilibus ad intelligibilia, à singularibus ad universalia, à specialibus ad generalia, ab infimis per intermedia ad suprema progressus fiat.***

Ratio canonis est: quia disciplinæ sunt inventæ per inductionem. At inductionis virtus est ascensiva, ut loquuntur; hoc est, Inductio à singularibus tanquam infimis ascēdit ad

universalia tanquã suprema. Cæterùm illa inductio præsupponit tria, nimirum sensum, observationem & experientiã. Quare si ita placet, dicas methodum inventionis adhibere quatuor instrumenta, è quibus primum est simplex, videl. αἴσθησις, reliqua tria sunt composita, videlicet observatio, experiẽtia & inductio. Sensus, philosopho αἴσθησις, licèt ratione sit imperfectior; tamẽ eâ est prior, quoad eum cognoscendi ordinem, qui homini accommodatus est, ut meritò philosophi approbent illud acroama: *Nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu.* Et verò est omninò magna certitudo notitiæ sensualis, ita ut quidquid homo sensu bene affecto & incorrupto percipiat, id ratũ & firmũ habere possit, ut philosophus præclarè testatur *3. de gen. anim. c. 10.* ἡ αἴσθησις, inquit, δύναμιν ἔχει ἐπιστήμης; *sensus habet vim scientiæ*, hoc est, adminiculo sensuum certam rerum externarum notitiam humana mens percipere potest, si convenienti ordine ascendat à sensibus ad rationem. Inter sensus autẽ præcipui sunt visus & auditus; quibus tanquam exquisitissimis homo rerum variarum & excellentium in naturâ differentias percipit. Observatio est quædam sensualis notitiæ collectio, quam philosophus vocat ἱστορίαν. Nec enim satis est nos videre aut audire, nisi observemus, hoc est, mente retineamus, quæ semel atque iterum vidimus, audivimus, aut aliis sensibus hausimus. Quæ quidem observatio, cùm magnum sit sciendi adminiculum, ἱστορία vocatur *2. post. cap. ultim.* & inter philosophiæ insignia & luminosa principia reponitur. Experiẽtia est plurium observationum collectio, & ad certum usum applicatio. Huic tantum tribuit philosophus *1. Metaph. cap. 1.* ut dicat expertos majus aliquid & amplius in disciplinâ consequi, quàm eos, qui præcepta sine experientiâ sectantur. Hæc Græcis dicitur ἐμπειρία. Hâc de re præclara est sententia Rami *lib. 7. schol. dial. c. 14.* *Utinam literis aureis*, ait, *atq; amplis & illustribus, pro foribus scholarum omnium, vel potius firmâ & stabili intelligentiâ memoriaq; in mentibus magistrorum, duo ista verba scripta essent,* ἘΜΠΕΙΡΊΑ, ἹΣΤΟΡΊΑ; *ut quoties ea legerent & meminissent, omniũ verorũ dogmatũ causam atq; originẽ legerent & meminissent; quæ præcepti originem veram demonstrent, quæ præcepti usum certum declarent.* Et ibidem Ramus

Quatuor instrumenta methodi invẽtionis.

Ramus annotat, locum illum apud Aristotelem diligenter animadvertendum esse, qui sic habet; *Principia itaque uniuscujusq; rei constituere, est experientiæ & usus. Sic ἀστρολογικὴ ἐμπειρία, astrologica experientia, astrologicæ scientiæ principium est. Similiter reliquarum omnium artium & disciplinarum experientia, ipsarum principium est. Itaque si usu percepta sint, & experimento cognita, quæ sunt in rebus, licebit hinc sanè demonstrationes facilè promtéque exprimere. Etenim si nihil κατὰ τὴν ἱστορίαν, inquisitionem observationemq; omissum sit eorum, quæ certò ac verè rebus insunt, facilè cujusque rei demonstrationem comperiemus.* Hic, inquam, locus (sunt verba Rami) non negligenter legendus, sed diligenter attenteque cognoscendus. Procreatrix & parens omnium artium ἐμπειρία καὶ ἱστορία est: verissimè dictum est. Porrò inductio est mentis actio, quâ ex plurium observationum & experientiarum collectione universalis conclusio in intellectu efformatur, & velut regula quædam extruitur. Quatuor igitur sunt instrumenta inveniendarum & constituendarum disciplinarum, hoc ordine; αἴσθησις, ἱστορία, ἐμπειρία, ἐπαγωγή. Sumamus exemplum. Est præceptũ physicum; homo est animal rationale. Hoc à priscis sapientiæ conditoribus hunc in modum est inventum. Viderũt sapientes illi mira hominis effecta, & audiverunt ipsum disputantem, loquentem, & similia tractantem. Hoc idem observarunt. Sed quia dubitarunt, an omne individuum sic se habeat, in pluribus imò omnibus hoc observarunt. Hinc per inductionẽ ex pluribus observationibus & experiẽtiis constituerunt primùm hoc axioma, homo est animal; dehinc illud, est animal rationale.

3 Methodus inventionis nihil importat in res, sed ex iis exportat omnem suam potestatem.

Ratio dicta est in exegesi definitionis methodi: quia nimirũ ordo in reb. est archetypus, at ordo instrumẽtalis est ectypus. Jam nihil debet esse in typo, quod non est in prototypo. Invenit autẽ philosoph⁹ res vel necessarias, vel contingẽtes. Necessariæ sunt, quæ ita sunt, ut immutabiliter sese habeant in naturâ suâ. Circa has videt philosophus sibi ita versandũ, ut illas contẽpletur. Res cõtingẽtes sunt, quę ita sunt, ut pendeãt ab hominis operatione. Has philosophus sic considerandas

esse statuit,ut non solùm cognoscātur, sed etiam efficiantur. Atq; sic constituit duo summa disciplinarum genera,videl. theoreticas & practicas;ubi sub practicis,latè accepto vocabulo,comprehendimus poëticas.Sicut igitur antegressus canon docuit inventionem singulorum præceptorum: ita hic docet inventionē limitum & finium, quibus continentur illa pręcepta.Hos limites vocamus potestatem,secuti *Rogeriū Baconem Anglum*,qui scripsit de potestate mathematicâ,itē physicâ &ç. Sic vocat ipsas scientias. Philosophi igitur potestas,quam in rebus invenit, est alia theoretica, alia practica. Cum dato canone illud philosophi *3. de anim.cont.38.* convenit: τέμνεται γὰρ ἡ ἐπιστήμη ὡς τὰ πράγματα. Cùm igitur τὰ πράγματα sint vel θεωρητὰ, vel πρακτὰ, etiam potestas philosophi duplex erit,videl.contemplandi & operandi.

Cap. 2. Leges methodi doctrinæ.

Methodus doctrinæ est methodus faciliori rerum doctrinæ inserviens. *Alio nomine dicitur* methodus didascalica.

Estque alia perfecta,alia imperfecta.

Illa dicitur acroamatica,exquisita,& sapientiæ: ista exoterica,popularis,& prudentiæ. Keckermannus vocat illam artificialem, istam inartificialem: alii illam necessariam,istam arbitrariam appellant.

Methodus perfecta est,quę juxta rerum naturā, & artis Logicæ normam dirigit tractationem.

Ejus ocurrūt tum leges,tum divisio seu species.

Leges methodi acroamaticæ.

Leges methodi sunt, quę inter varias res doctrinæ gratiâ propositas ordinem moderantur.

Duo sunt in disciplinis, & quâvis legitimâ tractatione videlicet res, & ordo rerum.Leges,quæ moderantur ipsas res, sunt axiomaticæ, nimirum illæ, quæ docent discernere necessaria à contingentibus, & quæ docent tres necessitatis gradus,videl. κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ,& καθόλου πρῶτον; de quibus suprà, *lib.6.c.3.*Ordinem rerum moderantur leges methodicæ. Vulgus Logicorum quorundā tres duntaxat leges axiomati-

axiomaticas,quas modò recenſuimus,ſtatuunt,& totidem methodicas. Verùm hæc ſententia non eſt ſimpliciter vera, ſi quidem velimus ἀκϱιβολογεῖν. Tres duntaxat ſunt leges axiomaticæ, ſi ſpectemus axiomata neceſſaria affirmata; ſed quia etiam axiomata neceſſaria ſunt negata,item multa ſunt contingentia,& verò non ſolùm illa,ſed etiam iſta & hæc in diſciplinis locum habent (illa quidem plurimùm, iſta & hæc interdum) neceſſum eſt ut etiam aliæ ſint præter illas tres. Has nos dicimus leges prudentiæ,ita ut hæc ſit vera ſententia: Leges axiomaticæ ſunt vel ſapientiæ,vel prudentiæ. Leges ſapientiæ ſunt,quæ in exquiſitiſſimis tractationibus obſervantur,ut illæ tres modò dictæ. Leges axiomaticæ prudentiæ ſunt,quæ moderantur axiomata neceſſaria negata,& contingentia. Hæ ſunt anonymæ;quia ſcil. non ita ſunt excellentes,ut priores. Sunt autem duæ, 1.Axiomata neceſſaria negata etiam locum habent in diſciplinis. 2.Axiomata vera contingentia per ſe etiam locum habent in diſciplinis. Ratio hujus eſt:quia diſciplinæ ſunt ἐκτυπώσεις,ut ita dicam,rerum. Quales itaq; ſunt res,ſive ſint incomplexæ,ſive complexæ,tales debent eſſe diſciplinæ. At res omnis eſt vera. Nam verum & ens convertuntur. Ergò & omnia axiomata in diſciplinis erunt vera.Sed res vera eſt talis vel neceſſariò,vel contingenter. Ergò & ſic ſe habebunt axiomata diſciplinarum. Porrò res neceſſaria eſt talis vel neceſſitate poſitivâ, vel negativâ. Ergò & axiomata diſciplinarum ſunt talia. Ad extremum res contingens eſt talis vel per ſe,vel per accidens. Quæ per accidens eſt talis,non habet locum in diſciplinâ;ſed res contingens per ſe poteſt inibi habere locum. Sic v. g. eſt axioma neceſſarium negatum; Deus non eſt author peccati. Et hoc eſt theorema theologicum. Aut igitur in theologiâ docendum,aut non. Si hoc; theologia erit manca: quia res theologica ab illâ exulat. Si illud; obtinuimus quod intendimus. Excipis:affirmatio eſt menſura negationis. Rectè, inquam; ſed ideò non excluditur negatio. Quid? Multa ſunt ita comparata, ut potiùs negativè ſint docenda, quàm affirmativè. Sic & hoc axioma: Evangelium hominibus eſt odor vitæ ad vitam: in theologiâ proponitur, & tamen non eſt neceſſariò verum. Vide *lib.6. cap.3.* ſed hæc (ut & antè protestati ſu-

mus) non ita accepta volumus,quaſi temerè in diſciplinis ponenda ſint negata neceſſaria,& contingentia per ſe. Minimè. Hoc volumus. Si poſſint obſervari tres leges de gradu triplici neceſſitatis, utiliter obſervantur; ſi non poſſint, inutiliter adhibentur. Præterea & hoc adjiciendum censemus, nos niti hâc hypotheſi, præcepta diſciplinarum non debere eſſe nudas definitiones & distributiones; ſed etiam regulas illis addendas,quæ in diſciplinis theoreticis vocari poſſunt theoremata,in practicis canones. In definitionibus & distributionibus ferè ſemper adhiberi poſſunt tres illæ decantatæ leges: in regulis non ſemper. Huic rei vel illud vulgatum fecerit fidem: *Nulla fermè eſt regula, quæ non patiatur exceptionem.* Dixi,in definitionibus & distributionibus ferè ſemper poſſe obſervari leges illas:quia interdum negativis terminis cogimur uti in definitionibus & distributionibus; qua de re vide *l.4. cap.4. can.8. & lib.5. cap.3. can.8.* Si cui hæc videantur inepta,per me licet ſuo abundet ſenſu. Nunc videamus,an etiam tres duntaxat ſint leges methodicæ,videlicet homogeniæ,generalitatis ſeu anteceſſionis & conſecutionis,& denique colligationis,ut vocant. Nobis placet negativa. Quamvis enim tres iſtæ ſint præcipuæ & principales;tamen minùs principales non ſunt excludendæ. Quare ſic ſtatuimus.

Leges methodi ſunt principales, vel minùs principales.

Principales ſunt tres, videl. lex homogeniæ, generalitatis & colligationis.

Lex homogeniæ.

Lex homogeniæ exigit, ut ſingulæ doctrinæ partes,quæ ſub methodicā diſpoſitionem cadunt, ſint cognatione aliquâ inter ſe junctæ,ob ſubjecti & finis,ad quæ reſpiciunt,identitatem. *Ideoq; prohibet,ne heterogenea eis admiſceantur.*

Homogeneitas in Logicis quid ſit?

Hîc duæ quæſtiones ſunt decidendæ.1. Quid ſit homogeneitas Logica?2. An hæc lex duntaxat in methodo diſciplinæ alicujus ſit obſervanda? Reſp. ad 1. Omnia axiomata ordinata homogenea eſſe oportet. Sed hæc homogeneitas non eſt neceſſe,ut ſit præceptorum ejusdē diſciplinæ. Confer *Piccol. in Phyſ.*

in Phyſ.introduct.c.12. Poteſt enim etiam eſſe in præceptis diſciplinarum diverſarum, ſi nimirum diſciplinæ ſint ſubalternæ. Subalternatio illa triplex; nimirum vel ratione principiorum, vel ratione ſubjecti, vel ratione finis. Subalternatio ratione principiorum eſt propria, vel impropria. Propria eſt, cùm diſciplina ſuperior demonſtrat principia inferioris oſtenſivè: quo modo medicina & geometria ſubalternantur phyſicæ; illa quidem ſubalternatione totali, hæc partiali. Impropria eſt, cùm diſciplina ſuperior demonſtrat principia inferioris deductione ad impoſſibile: quo modo Geometria ſubalternatur Arithmeticæ, & Metaphyſicæ omnes inferiores diſciplinæ. Subalternatio ratione ſubjecti eſt vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid talis. Illa quoq; propria, hæc impropria dici poteſt. Illa locum habet in Mathematicis, ut monet *Zab. de trib. præcognitis c.12:* hæc in Metaphyſicis & Phyſicis. Ibi; quatenus Metaphyſica probat principia inferiorum diſciplinarum. Hîc; quatenus phyſica ſpecialis ſumit ſua principia ex phyſicâ generali. Primo illo ſubalternationis modo Muſica ſubalternatur Arithmeticæ. Deniq; ſubalternatio ratione finis eſt, cùm finis diſciplinæ inferioris eſt ſub fine ſuperioris. Et hæc eſt vel propria, ſicut polemica ſubalternatur politicæ; vel impropria, ſicut ethica phyſicæ: quâ de re videris *Fonſecam in 4. metaph. cap. 1. quæſt. 2. ſect. 2.* & *philoſophiam noſtram reſtitutam pag. 415. 418.* Quòd ſi ſpectes hanc ſubalternationem, præcepta diverſarum diſciplinarum poſſunt eſſe homogenea, non omnia quidem, ſed illa duntaxat, quæ reſpiciunt illam ſubalternationem. Hòc ipſum quoque ſtatuendum eſt de SS. theologiâ. Nam in illâ traduntur præcepta naturalia & ſupernaturalia; quæ nõ ſunt heterogenea, ſed maximè homogenea, idq; reſpectu utriusque principii, quod eſt in theologiâ, videl. naturæ & gratiæ. Ideò diximus in definitione hujus legis, quòd homogenea ſint inter ſe conjuncta ob ſubjecti & finis, quæ reſpiciunt, identitatem. Hæc probè probeque obſervanda ſunt, ut ne temerè judicemus de μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος ἐπιστήμης. Reſpon. ad 2. Homogeniæ lex non ſolùm in diſciplinâ methodicè tractandâ ſuum imperium exercere debet, ſed in quâvis methodo doctrinæ perfectâ. Sic ſi velim explicare quæſtionem alicujus diſciplinæ accuratè, debeo id dare

Subalternatio diſciplinarum triplex.

operam,ut homogenea adferam. Hîc iterum cauto opus est. Sunt enim quædam themata mixta;quæ si tractentur è diversis disciplinis,nullo modo violatur lex ὁμογενείας. Sed hâc de re in libris superioribus aliquoties diximus. Ad summam: Illa sunt homogenea,quæ faciunt ad thematis principalis declarationem vel demonstrationem. e. g. doctrina de literis homogenea est in Grammaticâ;quia facit ad definitionis (hæc enim consideratur tanquam propositio,ut ita dicam,totius operis,juxta illud scitum:quod in oratione est propositio, in arte est definitio artis) Grammaticæ vel explicationem,vel,si ita vis,demonstrationem. Definitio enim Grammatices est hæc: ars benè seu purè loquendi. At doctrina literarum facit ad benè loquendum. Ergò in Grammaticâ est homogenea. Quare severa lex methodi est;ne quid Logicum in Grammaticis,vel Physicum inEthicis tractetur. Quòd si in disciplinâ subalternatâ aliquid doceatur, quod in subalternante est propositum, hoc fit alio modo,ut notum est. Præterea hæc lex non est extendenda ad commentarios & tractationes incidentarias in disciplinis.Nam sæpè usuvenit v. g. in theologiâ,ut ex philosophiâ aliquid pro necessariâ explicatione sit adducendum in commentarii vicem. Idem in aliis disciplinis fieri videmus. Quare videndum,ne nimis calidè authorem aliquem arguamus ταυτολογίας & ἑτερογενείας. Ad extremum hîc oportet distinguere inter rem consideratam & modum considerationis. Regula hujus loci est: *Quod in unâ arte est homogeneum,in alterâ est heterogeneum:* sed cum limitatione accipienda est. Vera scil. est, si spectes modum considerandi; falsa, si rem consideratam. Nam res considerata potest esse communis multis disciplinis;at modus considerandi in aliâ disciplinâ est alius.Sic homo consideratur in physicis,quâ corpus naturale est;in theologicis,quâ civis ecclesiæ est; in ethicis,ut probè vivere debet. Summa: omnes fermè disciplinæ tractant de homine.Talia adduci possunt plurima. Nec tamen in unâ eâdemq; arte potest tractari de unâ re in diversis locis. Sic enim vel eadem res eodem modo traderetur,vel diverso. Si illud,esset tautologia. Si hoc, duplex esset modus considerandi unius rei in unâ disciplinâ: id quod pugnat cum unitate disciplinæ specificâ. Ex his patet multos huic

legi

legi facere vim quadruplicem;dum alii non diſtinguunt diſciplinas ſubalternatas à non ſubalternatis;alii reſtringunt hanc legem ad diſciplinas;alii non diſtinguunt præcepta à commentariis;alii denique confundunt rem conſideratam, tanquam materiam,cum modo conſiderationis,tanquam formâ.

Lex generalitatis.

Lex generalitatis præcipit, ut ea in docendo præcedant, ſine quibus ſequentia intelligi non poſſunt,& quæ ſine ſequentibus intelligi poſſunt. *Dicitur etiam lex* collocationis, *&* coordinationis, *item* anteceſſionis *&* conſecutionis.

Unde ſumenda ſit methodi doctrinæ ratio?

Hîc obiter decidenda eſt quæſtio in utramque partem agitata à Zabarella & Piccolomineo;unde nimirum ſumenda ſit ratio methodi doctrinæ,num ex naturali rerum antecedentium & conſequentium ordine,an verò ex noſtrâ meliori & faciliori cognitione? Reſpondemus per diſtinctionem,magiſtram conciliationis,quòd ex utroque. Nam methodus doctrinæ conſideratur vel ratione ſui fundamenti, vel ratione ſui finis. Fundamentum ipſius eſt ordo rerum ſeu diſciplinarum,ut *cap.1,hujus libri* diximus.Finis ultimus methodi eſt noſtra facilior cognitio. Sed & hîc alia oritur concertatio. Nam quæritur,an ordo doctrinæ primariò debeat duci à naturali rerum ordine,ſecundariò verò conformari ad noſtram faciliorem cognitionem; an verò contrà doctrinæ methodus perfecta (de hâc enim agimus) ſit ſumenda primariò ex noſtrâ faciliore cognitione,ſecundariò ex naturali rerum ordine? Prius vult *Keckermannus in cap.1. de meth.can.2. methodi artificialis:* poſterius defendit *Timplerus l.4. Logic.c.8.q.11.* Sententia Timpleri videtur verior. Rationem hanc damus. Methodus doctrinæ in diſciplinis eſt ordo partium doctrinæ. Proinde duo,ut in omnibus aliis relatis,ita & in ordine illo diſtinguenda ſunt,nimirum materiale & formale.Materiale methodi ſunt res ordinatæ; formale eſt unio ſeu connexio partium. Hæc connexio reſpicit finem ultimum tanquam menſuram. Pendet igitur à fine ultimo.Sicut in regno,quod & ipſum ordo quidam eſt, diſtinguitur materiale,videl.pars imperans itemq; ſubjecta, à formali,quod eſt unio partium iſtarum; & ſicut præterea

unio illa mensuram habet finem ultimum, videl. actionem publicam virtutum moralium: ita in methodo finis ultimus, qui est facilior nostra cognitio, habet ratione mensuræ. Cur igitur, inquiat aliquis, methodum doctrinæ perfectam sub initium hujus capitis ita finisti: *quæ juxta rerum normam & artis Logicæ &c.* Resp. Sic omninò fuit finienda, ut distingueretur à methodo prudentiæ. Oportet autem finem ultimum in definitione methodi *cap.1.* expressum hîc subintelligere. Et hæc etiam est sententia *Zabarellæ l.1. de meth. cap.6. & 16. & cap.3. & 4. l.1. apologiæ contra Francisc. Piccolomineum*, qui contrariam sententiam defendit *cap.17. introductionis in gradus morales, & part.5. comitis politici.* Objicitur, quòd ars naturam imitetur, & scientiæ sint mensuræ non mensurantes res, sed à rebus mensuratæ. Resp. Hoc nihil facit πρὸς ἔπος, Nec enim hîc disputatur de fundamento methodi, sed de fine; quod sic ostendo. Instrumenti mensura est vel prima, vel ultima. Mensura prima est res seu materia, ex quâ constat; ultima est finis, ad quem dirigitur. Sic cultri ferrei mensura prima est ferrum, cujus naturam tanquam mensuram respiciat artifex oportet. Sed ultima ejusdem mensura est finis seu usus. Hunc nisi respiciat cultrarius, producet instrumentum incommodum, h.e. instrumentum non-instrumentum. Hoc ipsum cogita de methodo, quam diximus instrumentũ Logices principale. Quòd si hæc sententia non placet, per me licet dicas, in methodo doctrinæ ex æquo seu pariter spectari ordinem rerum & nostram cognitionem. Nam sicut se res habet in essendo: ita & in cognoscendo; si scil. intelligas cognitionem perfectam. Quod igitur primum est secundùm naturam, id etiam ferè primum est secundùm cognitionem distinctam. Porrò hîc quæritur, quænam in methodo doctrinæ præcedere debeant? Respondetur uno verbo, *priora naturâ.* Prius autem naturâ, vel prius est, ut causa essendi posterioris: vel ut antecedens tantùm, sed tamen etiam causa cognoscendi. Omne prius, quod continet causam essendi posterioris, continet etiam causam ejusdem cognoscendi. Unde enim res habet ut sit, inde etiam ut primò cognoscatur, ut scriptum legimus *2. metaph. c.1.* Tales sunt quatuor causæ; ut finis, efficiens, materia & forma. Ad materiam referri potest genus, ad formam differentiæ essentiales, aut pro essentiali-

ſentialibus acceptæ. Subjectum autem nullum, quâ ſubjectum, eſſendi principium eſt, eſt tamen cauſa cognoſcendi: quia antecedens eſt notificans. Non enim omne antecedens eſt naturâ prius, ſed tantùm antecedens ut cauſa cognoſcendi. Sic, verbi gratiâ, thema præcedit argumentum, nec tamen naturâ prius eſt: ut cauſatum & totum, quatenus induunt rationem thematis, ſemper antecedunt ſuas cauſas & partes; tametſi cauſæ & partes priores ſint cauſato & toto. Cauſa igitur cognoſcendi duas poſtulat conditiones. 1. ut ſit naturâ prior. 2. ut in alterius cognitionem nos invehat. Hinc etiam generalia hîc definiuntur, quæ ſine ſequentibus intelligi poſſunt, & ſine quibus ſequentia intelligi non poſſunt: ſeu, quæ ſequentibus lucem adferunt, & quibus à ſequentibus nulla lux adfertur: ut, Doctrina de literis in Grammaticâ eſt generalior, quàm doctrina de ſyllabis; quia illa ſine hâc intelligi poteſt, hæc ſine illâ non item, juxta regulam: *Omne definiens eſt prius definito.* Nam definitio eſt ex notioribus. Alii ſic expediunt hanc rem: Semper ab eo, quod parit cognitionem diſtinctam, non confuſam, incipiendum eſt: ut cognitio cauſæ parit cognitionem diſtinctam effecti. Ergò à cauſâ incipiendum, non ab effecto. Hîc enim non attenditur τὸ γνωριμώτερον ἡμῖν, ſed τὸ γνωριμώτερον φύσει. Quamvis igitur effectum ſit notius cauſâ nobis & ſecundùm ſenſum; tamen non eſt notius ſeu prius naturâ. Verùm eſſe naturâ prius, eſt phraſis ambigua. Quare paucis illam liberemus ab ambiguitate. Eſt autem tripliciter aliquid naturâ prius. 1. Ratione exiſtentiæ realis, quod priùs in naturâ extitit, ſi non ſemper tempore, tamen generatione: ſic elementa ſunt priora mixtis, & mixta animalibus, item domus civitate. 2. Ratione exiſtentiæ intentionalis, & inſtituti ſcopi. Sic naturâ prius dicitur, non quod prius in naturâ extitit, ſed quod prius à naturâ intenditur. Hoc modo quod præſtantius eſt & perfectius, & compoſitius alio, id quoq; ipſo naturâ prius dicitur, juxta regulam: *Poſteriora generatione, ſunt priora naturâ.* Sic rurſus civitas ordine naturæ intendentis prior, quàm familia. Unde patet & totum partibus eſſe prius, & partes priores toto. Huc etiam pertinet regula: *Quod generatione*

Prius naturâ dicitur trib. modis.

est ultimum, perfectione & instituto est primum; & *quod instituto & perfectione est primum, generatione seu existentiâ est posterius*. 3. Ratione præstantiæ essentialis vel accidentalis. Sic visus dicitur naturâ prior cæteris sensibus. *2. de ort. & interit. contex. 7.* His ita constitutis quatuor quæruntur. 1. An semper ab universalibus ad particularia, à generalibus ad specialia sit procedendum in methodicâ tractatione? 2. An semper ab imperfectis ad perfecta, & à simplicibus ad composita sit procedendum? 3. An semper à facilioribus ad difficiliora, à dignioribus ad indigniora sit procedendum? 4. An semper progrediendum à consentaneis ad dissentanea, ab absolutis ad respectiva, ab essentialibus ad accidentalia? Resp. ad 1. affirmatè. Quamvis enim particularia sint notiora universalibus secundùm sensum & confusam cognitionem: tamen non sunt secundùm rationem & distinctam cognitionem. Objicis: At omnia disciplinarum præcepta sunt universalia? Ajo: At dantur gradus generalitatis. Hinc dicimus, quòd in methodicâ tractatione sit progressus à generalissimis per subalterna ad specialissima seu infima. Deinde universalia non hîc dicuntur eo sensu, quo axiomata diximus universalia, quæ signum universale habent additum; sed eo modo, ut paulò antè diximus in definitione generalium. Resp. ad 2. distinguendo inter methodum perfectam disciplinarum, & thematum seorsim tractandorum: & rursus inter methodum disciplinarum syntheticam & analyticam. In methodo syntheticâ procedimus à simplicioribus; in analyticâ à compositis. In methodo thematum seorsim h. e. extra systema disciplinæ tractandorum procedimus à composito ad simplicius. v. g. à causato vel toto ad causam vel partes. Si enim thema tractandum, sit causatum; necesse est ut primo loco consideretur, quamvis sit compositum & perfectum. Resp. ad 3. A facilioribus & dignioribus tum demum est incipiendum, cùm illa faciunt ad difficiliorum & indigniorum claram & distinctam cognitionem. Nam sæpè digniora sunt obscuriora intellectu, & singularia sunt faciliora universalibus, si spectes cognitionem sensualem. Resp. ad 4. affirmando. Nam consentanea dissentaneis, absoluta respectivis, & essentialia accidentalibus sunt priora & notiora naturâ.

Lex col-

Lex colligationis exigit ut ſingulæ doctrinæ partes benè inter ſe cohæreant, & transitionum vinculis, ſi longior interſit explicatio, colligentur. *Ideoq; hiatum & diſſolutionem doctrinæ prohibet.* Aliâs *dicitur lex connexionis.* Lex colligationis.

Eſt autem *transitio* alia perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* eſt, quæ repetit breviter ea, quæ tractata ſunt, & indicat breviter ea, quæ deinceps tractanda ſunt: ut, Hactenus de Deo: nunc de operibus Dei. Transitio *imperfecta* eſt, quæ vel repetit tantùm ſummam doctrinæ præcedentis; vel proponit tantùm, quâ de re ſequatur. Illius exemplum eſt: Satis de felicitate: Virtus eſt habitus cum rectâ ratione electivus. Iſtius exemplum eſt: Sequitur de vitâ æternâ. Transitio iſta ſummoperè recreat ac reficit; non ſecus ac ſi viatori in hermâ ſeu mercuriali ſtatuâ inſcriptum eſſet, quantum itineris confeciſſet, & quantum conficiundum ipſi reſtaret. Cæterùm utraq; transitio in methodo perfectâ locum habere poteſt. Nec enim ideò dicitur perfecta vel imperfecta, quòd locum habeat in methodo perfectâ vel imperfectâ: ſed quia illa duobus membris, hæc uno ſolùm conſtat.

Leges methodi minùs principales ſunt duæ, videl. lex brevitatis, & panarmoniæ.

Lex brevitatis exigit, ut ne pars aliqua neceſſaria doctrinæ deſit, neq; non-neceſſaria ſuperſit. Lex brevitatis.

Ideoq; tàm mutilationem, quàm inanem redundantiam doctrinæ, tanquam peſtes methodi, prohibet. Mutilatione quidem nihil eſt malignius, quia fit ad fraudem doctrinæ & ingenii humani, cui non proponuntur res neceſſariæ. Redundantiâ verò nihil eſt odioſius; quia tempus, cujus ἀνάλωμα πολυτελέστατον, hominibus quaſi furatur; dum nimirum illi intenti prolixis tractationibus, eadem ter, quater, & ampliùs legunt, neceſſaria negligunt magno ſuo malo. Sed hîc duo præcipitia cavenda. 1. Imperfectio non eſt habenda pro brevitate. Nam brevitas conveniens eſt, quæ rebus tractandis eſt adæquata, ita ut nullam earum partem omittat. At imperfectio affectata in artibus non eſt brevitas, ſed Diaboli filia germana. Hoc perpendant omnes illi novi ho-

mines compendiographi (monstrosis rebus monstrosa quærenda sunt vocabula) qui laborifugæ adolescentiæ corticem præceptorum & superficiem proponunt, nucleo neglecto, & corpore intacto. Audite hoc omnes, qui boni estis: Ars naturam immutare non potest, sed sequi debet. Quod igitur est in re tractandâ, hoc idem sit in methodicâ tractatione, & cogitetur ille tritus versiculus:

Non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis.

Hæc non eò dicta velim, ut compendia bonarum literarum studiosæ juventuti è manibus excutiam, aut ut talium compendiorum authores traducam. Absit à me quàm longissimè pruritus ille calumniandi, morbus epidemicus, ô dolor! nostri ævi. Hos, hos, inquam, noto, qui aliis persuadent, compendia esse plena systemata. Compendium ego nihil aliud esse statuo, quàm præparationem tenellulorum ingeniorum ad plena systemata majori cum fructu legenda. Posteaquam enim ideam præceptorum semel menti impresserunt, mirum dictu, quàm magnâ cum alacritate quasi sitibundi properent ad plena systemata tanquam fontes. 2. Tautologia non omnis vitiosa. In præceptis ταυτολογεῖν est plenum ἀμεθοδίας. At verò in commentariis ταυτολογεῖν interdum non solùm licet, sed etiam oportet. In iis enim ταυτολογία nihil est aliud, quàm repetitio necessaria, quæ tantùm abest in vitio ut ponatur, ut potiùs arguat maturum artificis judicium, & benè merendi de juventute, quam sibi formandam sumit, studium. Ad summam notetur illud: *Quod commodè potest fieri per pauciora, ne fiat per plura.*

Lex panarmoniæ.

Lex panarmoniæ flagitat, ut singulæ doctrinæ partes harmonicè inter se consentiant.

Ideoque prohibet, ne una alteram per ἀντιλογίαν, *contradictionem*, evertat. Hæc lex vocatur nobis minùs principalis, ut & modò dicta brevitatis lex: non quòd minùs principaliter in usu sint observandæ, sed quòd è tribus suprà positis velut sequantur. Cæterùm παναρμονία seu συμμετρία methodica est, quâ partes doctrinæ ita inter se

conspi-

conſpirant, ut quaſi concentum & muſicam olympicam, Platonicâ illâ multò jucundiorem, efficiant. Quid enim jucundius illo concentu, quo verum vero conſonat? Quid ſuavius illâ harmoniâ, quâ diverſæ partes ita inter ſeſe aptantur, ut congruum ſonum reddant omnes? Atque hinc eſt illa methodi cognatio, quam cum intellectu & memoriâ hominis intellectivâ habet; quâ de re *Keckermannus cap.1. de methodo ad can.3.* pulchrè ait; *quòd ordo ſit mater & lumen intellectus, & memoriæ; quia cùm omnia, velut in catenâ annuli, inter ſeſe cohæreant, & partes inſtar fluctuum marinorum altera alteram velut impellat, ut ſeſe memoriæ & recordationi offerat; ideò nullum præſentius memoriæ ſubſidium, quàm apta rerum diſpoſitio ac tractationis regulatus ordo.*

Cap.3. Methodus ſynthetica & analytica in genere.

DIviſio methodi perfectæ eſt, quâ alia eſt univerſalis, alia particularis. *Vide* Zabarell.lib.2. de meth.

Methodus univerſalis eſt, quæ ſyſtema integræ alicujus diſciplinæ diſponere docet.

Eſtque ſynthetica, vel analytica. *Illa dicitur alio nomine* ordo componens, *item* compoſitivus; *hic,* reſolvens & reſolutivus.

Petrus Ramus l.2. Dialect. cap.17. unicam tantùm doctrinæ methodum eſſe docet, quæ ex Ariſtotelis ſententiâ ab univerſalibus ad ſingularia, ſeu à generalibus ad ſpecialia progrediatur. Sed hæc ſententia eſt erronea. Ratio 1. Quia methodus doctrinæ alia eſt ſapientiæ, alia prudentiæ: quam diviſionem & ipſe innuere videtur, quando docet de crypticis methodi. Certè ſi ſyllogiſmus rectè dividitur in perfectum & imperfectum; etiam methodus ſic rectè diſtribuetur. Par enim utrobique ratio. Sicut enim ſyllogiſmus perfectus dicitur, quia

An methodus ſit unica?

crypſin nullam admittit, & imperfectus, quia admittit: ita & methodus alia perfecta, alia imperfecta dici debet. 2. Quia methodus alia eſt univerſalis, alia particularis; quæ diſtributio ſic probatur. Ordo inſtrumentalis ſeu Logicus eſt imago ejus qui eſt in rebus. Res autem conſiderantur vel ut in diſciplinis ſunt ordinatæ, vel,ut extra diſciplinas ſunt ordinatæ. Ibi totalis eſt ordo,hic partialis. Sic igitur ex his fundamentis diſputo. Res aliqua complexa extra diſciplinam conſiderata aut eſt ordinata,aut inordinata. Non hoc. Ergò illud. Probatur aſſumtio;quia confuſio non eſt in rebus (omne enim ens ordinatum) ſed ab intellectu hominis diſtorto. Si igitur res conſiderata extra diſciplinam eſt ordinata, neceſſe fuerit, ut ſit methodus Logica,quæ moderetur tractationem iſtius rei. Quid? Si res tractanda extra compagem diſciplinæ ſit confuſa, lumine methodi opus erit. Excipis, unam eandemque eſſe methodum tractandi res in diſciplinis & extra illas. Scilicet hoc heri perſuaſeris ſapientibus, totum eſſe partem, vel affectionem totius eſſe affectionem partis. Sed hæc res infrà appoſitione exemplorum dilucidior reddetur. 3. Quia methodus univerſalis alia eſt ſynthetica, alia analytica. Hoc ſic probatur. Cùm natura ſit ordinis fundamentum, ut aliquoties dictum eſt, arctè teneo accurateque defendo illud acroama: Ordo in diſciplinis petendus eſt ab ordine rerum, qui eſt in naturâ; quod Averroës ſic enunciat: Ordo noſtri intellectus ſequitur ordinem rerum. *3. diſputat. quodlibet. 18. dub. 2. Confer Scaliger exercitat. 2.* Omninò quemadmodum in axiomatibus tenemur conjungere, quæ naturâ ſunt conjuncta; & ſejungere, quæ naturâ ſejuncta: ſic & in ordine eandem naturam ſequi debemus. Itaque ſi contrà molimur in diſciplinis, ordinem naturæ invertimus;& in artem, cujus natura fundamentum eſt, impingimus. Ex his ſuppoſitis extruo majorem: Ordo, qui eſt in rebus & diſciplinis radicaliter,debet tradi in Logicâ inſtrumentaliter. Jam ſubſumo:Atqui in rebus & diſciplinis eſt ordo duplex.Ergò & in Logicâ duplex erit. Minorem probo:Finis ordinis,ut ſuprà vidimus, eſt cognitio. Cognitio autem duplicis eſt generis. Aut enim propter ſe expetitur, quam adepti acquieſci-

quieſcimus; aut propter operationem. Duplex autem illa cognitio pendet à naturâ rerum & diſciplinarum. Nam res ſunt vel neceſſariæ, vel contingentes; de illis tractant diſciplinæ theoreticæ, de his practicæ. Sicut ergò cognitio, cujus causâ ordinem adhibemus, gemina eſt: ita & ipſe ordo geminus. Sed hinc, ais, non efficitur, ordinem in rebus eſſe duplicem. Ajo: Maximè verò hoc efficitur è dictis; quod ſic oſtendo. Duplex eſt cognitio. Ergò & duplex ordo in naturâ. Ratio conſequentiæ eſt: quia cognitio recta eſt ordo, vel ſaltem ordine fit. Sive illud, ſive iſtud admittas, neceſſe habes fateri verum eſſe illud decantatum, etiam à nobis vel ſepties: Sicut ſe res habet in eſſendo, ita in cognoſcendo, & viciſſim: vel, modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. At modus cognoſcendi eſt duplex. Ergò & modus eſſendi. Probatur major: modus cognoſcendi vel eſt proportionatus naturæ, vel non. Si hoc, vitioſus eſt, vitio videlicet intellectus, qui ordinem rerum illarumque naturam per inſcientiæ nubeculam ſæpiſſimè non aſſequitur. Si illud, firmum eſt philoſophema allatum. Probatur minor prioris ſyllogiſmi: Homo ordine perfecto aliquid cognoſcens, debet primò cognoſcere id quod prius eſt naturâ. At illud duplex. Dicitur enim aliquid prius naturâ, vel ratione exiſtentiæ realis, vel ratione exiſtentiæ intentionalis & inſtituti ſcopi. Nam, id quod prius eſt ratione præſtantiæ eſſentialis vel accidentalis, in methodo locum non habet, ut diximus cap.2. Planiùs dicam: Omne principium ſolem intelligendi (ut loquitur *Guilielmus Urſinus part.1. diſputat.16. aphor.52.*) in principiatum ejaculatur. Id autem principium eſt duplex. Aut enim realiter præexiſtit in naturâ, & cauſa cognoſcendi eſt; aut intentionaliter in naturâ præexiſtit, & item cauſa cognoſcendi eſt. Intentionale principium eſt finis, & quidquid finis habet rationem, veluti totum. Omne enim totum priùs intenditur. Eſt enim id cui intenditur opus & apparantur partes. *Scaliger exercitat.307. ſect.21.* Hoc principio dum utitur natura, reſolvit. Reale principium eſt omne illud, quod reverâ antè exiſtit, & cauſa cognoſcendi eſt: quo dum utitur natura, componit. Naturæ igitur ordo eſt talis. Primò procedit

ab ente intentionali, veluti fine, ad media. Secundò mediis acceptis & erutis principiis, ad finem generandum aut consequendum festinat. Semper igitur natura à fine aliquo incipit, & in fine acquiescit, quem sibi per media idonea conciliat. A fine progrediens ad media resolvit; à mediis ad finem adeptionis componit. Resolutio autem & compositio reipsâ & formis differunt. A compositione unus ordo compositivus, à resolutione alter resolutivus nuncupatur. Duplex autem & essentialiter distinctus; quia compositio & resolutio distinguuntur realiter. Proinde uterque ordo non potest in quâvis disciplinâ legitimè conscribendâ conjunctim observari, ut vult *Piccol. comit. polit. & philos. moral.* Objicis: At natura, ordinis Logici fundamentum, in quovis opere perficiundo utrumque ordinem enixè persequitur. Ergò & in quavis disciplinâ legitimè conscribendâ utramque methodum conjunctim observare oportebit. Respon. Negatur antecedens. Non enim fieri potest, ut natura eo ipso quo componit, resolvat, & contrà. Ratio in prioribus est dicta: quia compositio & resolutio differunt realiter. Breviter, quæ diffusè diximus, colligamus. 1. In naturâ est duplex ordo. E. & in arte. 2. Distributio methodi sumta ex fine, est adproba. At hæc est talis. E. 3. Distributio sumta ex objecto, est bona. At hæc talis. E. Omnia sunt probata in antecedentibus. At, inquiũt, semper ab universalibus progredimur. E. unica methodus. Respon. Hæc est communis utriq; methodo conditio, à notioribus, ideoq; universalibus exordiri & progredi; sed aliter tamen synthetica, aliter analytica methodus ab illis progreditur. Synthetica progreditur à primis ad ultima; analytica abultimis ad prima transit, non tamen sub ratione ultimitatis (ut ita dicam) sed quatenus quod est ultimum in executione, primum est in intentione: qualis est finis, qui nomen causæ meretur. Cæterùm observa ambiguitatem in vocabulis. Synthesis hîc in specie significat ordinem, qui tradendis disciplinis contemplativis inservit: analysis ordinem significat, qui à notione finis incipit, & solis disciplinis practicis & poëticis tradendis convenit. Latè verò synthesis & analysis capiuntur pro duabus exercitationis Logicæ primariis speciebus, ita ut genesis & synthesis significent u-

num, vi-

num, videl. proprii operis constitutionem, analysis verò operis ab alio constituti resolutionem. Verùm satis disputatum est de methodi divisione. Res tota huc redit: Distinctio specierum non tollit unitatem generis. Unica igitur est methodus, respectu progressus illius, qui semper est à generalibus ad specialia, & in omni disciplinâ observatur, quatenus illi opponitur processus à specialibus ad generalia. Sed hæc unitas non tollit distributionem methodi, quæ unica manens distinguitur ratione termini à quo, itemque ratione finis & objecti, ut alia dicatur synthetica, alia analytica; alia universalis, alia particularis. Vide virum judicio magnum Rodolphum Goclenium in problematis Logicis, problem. 1. de methodo.

Methodus synthetica & analytica quædam habent communia.

Methodus synthetica habet quædam communia cum analyticâ.

De quibus hi sunt canones:

1 Methodus synthetica observat progressum à generalibus ad specialia; eundemq; observat analytica.

Hic canon probè notandus est, ne statuamus methodum syntheticam ab analyticâ eo differre, quòd altera observet progressum à generalibus, altera à specialibus. Res ita non habet. Methodus doctrinæ unica est, si spectes progressum ab universalibus. At duplex est, si progressus istius determinationem & specificationem, ut sic dicam, consideres. Pendet autem illa specificatio à distinctione disciplinarum in theoreticas & practicas, inter quas est permagnum discrimen, sed ita, ut nihilo tamen minus sit convenientia. Hoc sic ostendo. Methodi syntheticæ ultimus finis est cognitio seu scientia. At cognitio solida à principiis primis seu remotissimis per minùs remota seu propinqua ad proxima, quibus res demonstratur, progreditur. Cùm enim scire sit rem per causas cognoscere, omninò necessarium est, ut scientiæ, hoc est, disciplinæ contemplatrices non ab ultimis, sed à primis principiis initium faciant. Sed methodi analyticæ ultimus finis est opus seu operatio. Necessum igitur est, ut à notione istius operis exordiatur. Alioqui tota tractatio vana esset, & incertum, quâ de re ageretur. Sic de arte ædificandi

præcepturus, primò omnium de fine sive domo cogitare debet, eamque bifariam prænoscere, & quid sit, & quòd fieri possit: deinde à fine ad principia; hoc est, partes, ut sunt parietes, tecta; ab his tandem ad lateres, cæmenta &c. quæ remotissima illius artis elementa sunt, transire debet: in quibus ars docens desinit, & operans incipit. Sicut igitur in disciplinis contemplatricibus principia sunt generalissima: sic in operatricibus finis est generalissimus; quippe qui mediis conciliat amabilitatem, ordinem, & mensuram.

2 *Commune utriq; methodo, syntheticæ & analyticæ, est, conferre ad cognitionem.*

Sed illa confert ad cognitionem tanquam ad ultimum finem: ista ad cognitionem, quæ non sit finis ultimus, sed quæ in operationem, tanquam ultimum finem postea dirigatur, confert. Hinc methodus synthetica vocatur demonstratio propter quid, seu à causis: analytica autem demonstratio ab effectu, quatenus nimirum finis qui est primus in intentione, est ultimus in generatione seu executione.

3 *In utrâque methodo, syntheticâ & analyticâ, primo loco ponitur definitio disciplinæ; secundo loco illius distributio: tum subalternæ definitiones & distributiones: tandem specialissimæ definitiones & distributiones ponuntur.*

Præclarus locus è Ramo.

Hâc de re adscribam præclarum locum è *Dial. Petri Rami. lib. 2. cap. 18. Quibus* (scilicet artibus) ait, *quamvis omnes regulæ generales sint & universales, tamen earum gradus distinguuntur: quantoque unaquæque generalior erit, tantò magis præcedet. Generalissima loco & ordine erit prima, quia lumine & notitiâ prima est: subalternæ consequentur, quia claritate sunt proximæ: atque ex his naturâ priores præponentur, minùs notæ substituentur, tandemq; specialissimæ constituentur. Definitio itaque generalissima prima erit: distributio sequetur: quæ si multiplex fuerit, præcedet in partes integras partitio, sequetur divisio in species: partesq; ipsæ & species eodem ordine sunt rursus tractandæ, ac definiendæ, quo distributæ fuerint:*

& transi-

& transitionum vinculis si longior inter eas intersit explicatio, colligandæ sunt. Id enim auditorem reficit ac recreat. Hâc suam sententiam illustrat ibidem familiari exemplo. *Omnes definitiones,* inquit, *distributiones, regulæ Grammaticæ repertæ sint, atque unaquæque sigillatim judicata: omniaq; hæc documenta variis tabellis inscripta, unà confundantur & conturbentur in hydriâ aliquâ, ut in Ollæ ludo fieri solet. Hîc si quæras, quæ pars Dialecticæ te doceat has regulas ita confusas disponere & in ordinem redigere: primò locis inventionis nihil opus est, cùm sint omnia reperta: neque primo axiomatis judicio, cùm unumquodq; axioma probatum & æstimatum sit: neque secundo syllogismi judicio opus, cùm sint omnes singularum rerum controversiæ his de rebus disceptatæ & conclusæ: sola methodus superest. Dialecticus igitur lumine methodi artificiosæ, seliget in hâc urnâ definitionem Grammaticæ* (id enim est generalissimum) *& primo loco statuet:* Grammatica est doctrina bene loquendi. *Tum requiret in eâdem urnâ partitionem Grammaticæ, & collocabit secundo loco:* Partes Grammaticæ duæ sunt, Etymologia & Syntaxis. *Deinceps in eodem vase definitionem Etymologiæ de vocibus separabit, & tertio gradu antecedentibus adjunget; tum vocis partes in literis & syllabis, speciesq; in vocibus numeri & sine numero requiret, exituumq; transitiones suis locis collocabit. Atque ita omnium etymologiæ partium definitiones, distributiones, colligationes, exempla deniq; specialissima in singulis disponet. Idemq; in syntaxi faciet. Hanc viam omnes artes sibi proposuerunt.* Hactenus Ramus in dicto capite, profectò præclarè; cujus capitis sensum benè pauci ipsius sectatores cognitum habent. Quibusdam tamen emunctæ naris philosophis non placet illa hypothesis de præceptis in urnam collectis & confusis, & postea per ordinem disponendis: eò quòd ista hypothesis statuat, necessariò præcepta jam antè in ordine quodam fuisse, & inde postea exemta, & inter se conturbata. At non est quæstio, inquiunt illi, quomodo præcepta ex ordine ejecta in ordinem redigenda sint, sed quomodo ea, quæ nunquam in ordine fuerunt, ordine componenda. Rami hypothesin (sunt verba τῶν δεῖνα) vel septennis puer, præceptis ipsius instructus, persequatur; sed ordinem eorum facere, quæ nun-

quam ordinem habuere, tãtæ est difficultatis, ut meritò hîc omnes philoſophi difficultatem ſentiant graviſſimam. Sed de hâc cenſurâ nihil habeo nunc dicere: duntaxat inſigni ſententiæ Rami hoc addo; mirum in modum tum ſcribentem, tum legentem juvare, ſi methodus tabulâ aliquâ velut repræſentetur. Nam ſicut in architectonicis modellus, ut vocant, ſive ſciagraphia, infinitas habet utilitates: ſic & tabula aliqua ſynoptica, ſeu ſynopſis tabellaris, in omnibus tractationibus, non ſolùm in diſciplinis, ſed etiam extra eas, innumera adfert commoda, quæ hoc loco percenſere longum foret. Itaque jubemus quemlibet hujus rei periculum facere.

5 *In utrâq; methodo, ſyntheticâ & analyticâ ſit triplex claſſis. Prima claſſis complectatur definitiones & diſtributiones unà cum exemplis. Secunda contineat regulas, putà theoremata, & canones, unà cum exemplis. Tertia claſſis complectatur commentaria, quæ addantur tùm definitionibus & diſtributionibus, tùm regulis; & contineant rationem methodi, ſi ſit dubia; explicationem item & quæſtionum controverſarum tractationem.*

Ad ſummam: In quâvis diſciplinâ ſint pręcepta, exempla, & commentaria; ubi ſub præceptis complector definitiones, distributiones, & regulas. Ratio canonis eſt. Longum eſt iter per pręcepta, breve & efficax per exempla, ut ait Stoicæ philoſophiæ princeps, Seneca. Itaq; præceptis addantur exempla, tanquam vates & vades. Quia verò circa præcepta ſuboriri poſſunt dubia, opus eſt commentariis, non illis, quę ſunt ſex jugera longa, ut quidam facetè ait, ſed ſuccinctis & perſpicuis. Quòd verò quidam eliminant regulas è ſerie præceptorum, id omni caret ratione: cùm hominis ingenium plus alatur & judicium formetur expeditiùs regulis quàm nudis definitionibus & distributionibus. Neque valet χρηστφύγελον, regulas in definitionibus & distributionibus implicitè contineri, ideoque eruendas eſſe ab interprete. Nam primò falſum eſt, omnem regulam implicitè contineri in definitione vel distributione alicujus rei, ut è Grammaticis vi-

ticis videre est. Deinde ut maximè concedamus, regulas implicitè in definitionibus & distributionibus contineri; hinc tamen non efficitur, illas in arte nõ habere locum. Ars enim versatur circa cognitionẽ claram & distinctam, non obscurã & confusam. Quare omnibus illis, qui regulas fastidiosè despiciunt, quiq; in ore habent illud σκόλιον σκύλιον, quo bonis viris, bonarum literarum illustratoribus, objiciunt obscuritatem, illis, inquam, meliorem mentem precor.

Cap. 4. Methodus synthetica.

Methodus synthetica est methodus universalis, quâ cujusq; contemplatricis disciplinę partes ita disponuntur, ut posito subjecto adęquato tradãtur principia ejus prima, passiones (*seu proprietates & cõmunes affectiones*) & species; ut rei subjectæ cognitionem quàm facillimè assequamur. Methodus Synthetica.

Exemplum evidens est in physicâ; ubi primò docetur de subjecto, quod est corpus naturale: secundo loco de ipsius principiis: tum de cõmunibus affectionibus; dehinc de speciebus ipsius, ut puta corpore simplici & mixto &c. Eodem modo metaphysica & mathematicæ disciplinæ traduntur. De SS. theologiâ difficilior est quęstio, utrâ methodo illa sit docenda? Hanc alibi à nobis tractatam vide.

Canones hujus loci sunt:

1 Partes methodi syntheticæ tres sunt; subjectum, principia, & affectiones.

Vide *Arist. 1. post.* ubi asserit, omnem disciplinam contemplativam in tribus versari; in subjecto, de quo demonstrationes fiunt: in ejus affectionibus, quæ in ipso inesse demonstrantur: & in principiis, ex quibus illæ demonstrantur. Hîc observa, subjectum disciplinæ theoreticę esse vel totale, ut in physicis est corpus naturale; vel partiale, ut sunt omnia ipsi subordinata, quæ dicuntur subjecta particularia. Utrumque subjectum intelligitur in proposito canone. Hinc dicũt, methodum syntheticam procedere à subjecto contemplationis universali ad particularia.

2 Unitas disciplinæ contemplatricis pendet ab unitate subjecti.

Hæc vocatur unitas collectionis & universalitatis: quia subjectum est veluti radix & basis omnium eorum, quæ in scientiâ tractantur.

3 Subjectum, principia & affectiones unius scientiæ, quoad rem consideratam, possunt esse ipsi communia cum aliis; sed quoad modum considerationis sunt propria.

Subjecti partes duæ sunt in quâvis scientiâ, videlicet, res considerata, & modus considerandi. Illa potest pluribus disciplinis esse communis, ut suprà probavimus. Iste est veluti forma, quæ cujusque scientiæ est propria. Et ab hâc ratione formali omnia tum principia, tum affectiones, oriuntur, tanquam à communi radice. Quòd si subjectum est radix principiorum & affectionum; sequitur, principia & affectiones imitari naturam subjecti. Itaque sicut subjectum diversimodè acceptum, est commune & proprium: ita etiam principia & affectiones diversis modis considerata, sunt propria illius scientiæ, in quâ traduntur, & etiam pluribus scientiis sunt communia quoad materiale seu radicale suum esse: id quod evidentissimum est in disciplinis subalternatis subalternatione propriissimâ, qualis datur in mathematicis; ubi disciplina subalternata à subalternãte accipit subjectũ, principia & affectiones. Sic. v.g. Musica ex Aritmethicâ, accipit subjectũ suum, videl. numerum, sed alio modo consideratum. Ipsa n. numerum considerat concretè, quatenus sonorus est. At Arithmetica eundẽ considerat νοητῶς *abstractè*. Sicut autem subjectum sumit ex Arithmeticâ, ita etiam principia & affectiones subjecti, sed alio considerationis modo, qui solet exprimi per voculam *quâ* vel *quatenus*: ut, Musica est scientia de numero sonoro, quatenus sonorus: Arithmetica est scientia de numero, quatenus est numerus.

4 Tres partes disciplinæ contemplatricis oportet præcognoscere, subjectum affectiones & principia.

Subjectum quidem præcognoscitur secundùm sex suas conditiones. 1. Ut sit per se ens, non pendens à cogitatione vel operatione humanâ. 2. Ut sit præcognitum, & quid nomen significet, & quòd sit. Nam quid sit, declarat definitio

essentialis

essentialis è propriis causis. Itaque sic non debet præcognosci. 3. Ut habeat proprias affectiones. 4. Ut sit unum, unitate collectionis & universalitatis. 5. Ut consideretur tanquam fundamentum eorum, quibus substernitur, non ut alteri inhæret. verbi gratiâ, corpus naturale in physicis habet multa se superiora in arbore substantiæ, sed in loco (ut loquuntur) consideratur tanquam primum. 6. Ut habeat duas partes, rem consideratam, & modum considerandi. *Affectio* præcognoscitur secundùm tres suas conditiones. 1. Consideretur tanquam inhærens subjecto. 2. Consideretur tanquam per se & essentialiter inhærens, & essentiam subjecti propriam consequens. Nam est etiam communis essentia subjecti; ut, corpus naturale habet essentiam propriam, quâ corpus est; & communem, quâ est substantia. 3. Prænoscitur, quid nomen ejus significet. *Principia* præcognoscuntur secundùm duas conditiones suas; nimirum quòd sint, & quid significent nomina.

5 Disciplina contemplativa non probat vel constituit suum subjectum, nec probat principia sua: sed illud ab aliâ superiore constitutum, ista lumine alicujus superioris scientiæ demonstrata accipit.

Ratio canonis est. Subjectum consideratur in scientiâ, cujus est subjectum, ut aliis substans, non ut aliis inhærens. At demonstratio non est nisi illorum, quæ alteri inhærent. Ratio: quia id, quod demonstratur, alteri inesse demonstratur. Itaque subjectum scientiæ nec à priori, nec à posteriori demonstrari potest. Dissentit *Scotus*. Principia scientiæ quod attinet, illa sunt vel complexa, vel incomplexa. Complexa nullo modo demonstrari possunt in suâ scientiâ. Ratio; quia nihil est illis prius in illa scientia. Et ideò vocantur principia cognitionis; quia nihil est illis notius, per quod demonstrari possint. Principia autem incomplexa, quæ vocantur principia essendi, sunt ignota, ideoq; demonstrabilia; non tamen à priori, sed à posteriori, ex effectu aliquo notiore.

6 Disciplinæ contemplatricis definitio & distributio sumtæ ex objecto, sunt exquisitissimæ.

Ratio hujus est: quia subjectum est fundamentum o-

mnium, quæ in ſcientiâ traduntur. Itaque definitio & diſtributio ex illo ſumtæ, ſunt adæquatæ; proinde omnibus numeris abſolutæ.

Cap. 5. *Methodus analytica.*

Methodus analytica.

METHODUS analytica eſt methodus univerſalis, quâ ita diſponuntur partes cujusq; diſciplinæ operatricis, ut procedatur à fine ad principia ſeu media, per quæ ad finem illum pervenitur (*ſeu, per quæ finis in ſubjectum introduci poteſt*) ut cognitionem ejus ad operationem dirigamus.

Exemplum evidens hujus methodi ab Ariſtotele proponitur in Ethicis, ubi libro 1. à fine, videl. felicitate, progreditur ad ſubjectum, nempe hominis intellectum & voluntatem, & tandem ſequentibus libris tradit media, per quæ finis introduci poſſit.

Canones ejus ſunt:

1 *Partes methodi analyticæ tres ſunt, finis, ſubjectum & media.*

Finis quidem, quatenus introducendus; ſubjectum verò, in quod ille finis introduci debet; media denique ſeu principia, per quæ finis in ſubjectum introduci poteſt.

2 *Unitas diſciplinæ operatricis pẽdet ab unitate finis.*

Ratio: quia ſicut ſubjectum eſt fundamentum diſciplinæ theoreticæ; ita finis eſt fundamentũ diſciplinę practicæ. Hoc ita patet. Finis eſt primũ operationis principium. Proinde & mẽſura mediorũ. Quare cùm in diſciplinis operatricibus finis ultimus ſit operatio; neceſſum eſt, ut finis, tanquã menſura omnium mediorũ, quæ in tali diſciplinâ docenda ſunt, primo loco cognoſcatur. Neq; enim mens noſtra poſſet diſtinctè cognoſcere media, niſi finẽ eorum, per quem ſunt, ꝙ ſunt, præcognoſceret. Itaq; rectè dictũ à philoſophis: Intellectus operationis (barbari vocant operativũ, Gręci πρακτικὸν καὶ ποιητικὸν) incipit à fine. Et hinc patet, etiã in methodo analyticâ obſervari progreſſum ab univerſalib. ad particularia.

3 *In diſciplinâ operatrice præcognoſcimus finem ſolummodò & ſubjectum.*

Finis

Finis præcognoſcitur, quòd ſit, h. e. quòd produci poſſit; & quid ſit. Finis habet duplicia accidentia; inventionem mediorum, & finis poſſeſſionem. Ea, quę pertinent ad inventionem mediorum, ex quibus finis produci debet, præcognoſci debent: at ea, quæ pertinent ad finis poſſeſſionem & conſervationem, non debent præcognoſci. *Subjectum* præcognoſcitur tribus modis, quòd ſit, quòd finis capax ſit, & quòd habeat accidentia, quæ proximè ad finem pertinent. Media non præcognoſcuntur, ſed tractantur progrediendo ab univerſalibus ad particularia.

4 *Definitio diſciplinæ operatricis & diſtributio è fine ſumtæ, ſunt exquiſitiſſimæ.*

Ratio petitur è canone 2. hujus capitis, collato cum can. 6. cap. anteced. Interim etiam haberi poteſt ratio ſubjecti, ſed ſecundariò; at finis in conſiderationem venire debet primariò. Confer hæc cum iis, quæ diximus ſuprà ad lib. 1. cap. 1.

Cap. 6. Methodus particularis.

Methodus particularis eſt, quæ partem aliquam diſciplinæ reſpicit.

Eſtque vel ſynthetica, vel analytica. *Hîc alio ſenſu accipiuntur iſta vocabula, ut monuimus ad cap. 3.*

Synthetica eſt, quâ aliquid noſtro ductu componimus.

Eſtq; thematis ſimplicis, vel conjuncti.

Thematis ſimplicis tractatio progreditur ab explicatione vocis ad explicationem rei; & in hâc à definitione & diſtributione ad conſentanea, ab his ad diſſentanea & comparata; ſingulis adjiciens teſtimonia.

Thematis conjuncti tractatio ꝓgreditur à quęſtionis determinatione ad argumenta; in quorum ſerie primũ proponit ea, quæ ſunt ab authoritate, ſi quęſtio ſit vel theologica, vel juridica, vel grãmatica, quibus addit reliqua artificialia, prout unum

altero eſt generalius: at in quæſtionibus aliarum diſciplinarum argumenta artificialia pro naturæ ſuæ claritate præponit inartificialibus.

Methodus analytica eſt, quâ aliquid ab alio compoſitum reſolvimus; primùm indicando ſcopum authoris; ſecundo loco partes, videlicet, thema & argumenta.

Hîc obſerva, authores quoſdam per ſcopum intelligere ipſum thema, ſeu quæſtionem. Sed minùs accuratè. Sed de his in Logices parte ſpeciali copioſiùs docebitur.

Cap. 7. Methodus imperfecta.

Methodus imperfecta jam ſequitur ultimo loco, quæ ab artis Logicæ normâ recedit, ac pro prudentiâ & arbitrio docentis accommodatur captui diſcentium.

Eſtque vel minùs, vel magis imperfecta.

Minùs imperfecta eſt, quæ ſic accommodatur diſcentium captui, ut nullam interim admittat crypſin.

Ejus canon eſt:

Summa lex prudentia eſto, quæ ſe rebus ſic accommodat, ut tamen fugiat nimiam accurationem.

Suprà percenſuimus leges methodi accuratæ: ſed omnibus iſtis præeſt alia, quam modò diximus. De me hanc, & illæ ſuprà expoſitæ tollent libertatem methodicam, quam vocant. Qualem verò, inquiat aliquis, tu hîc legem fingis? Non fingo, inquam ego, legem iſtam, ſed è naturâ elicio. Principium naturæ eſt: τὸ λίαν ἀκριβὲς λυπεῖ, item τὸ λίαν ἀκριβὲς ψεῦδος. Hoc ipſo monemur noſtræ imperfectionis. Itaque quoties in methodo alicujus rei enucleatè tradendâ verſamur, hæc lex nobis ſuccurrere debet, ut ſapientiam prudentiâ temperemus; & ita ſtatuamus, nos non poſſe ordinem ſatis accuratum invenire. Hæc lex, ais, eſt Ethica.

Quid

Quid igitur Logica illã sibi curatio est? Ajo quòd non sit Ethica, sed Logica. Rationẽ assertionis do illam. In methodo crypticâ dominatur etiam prudẽtia; neq; tamen illa ob id Ethicæ infertur. Idem cense de hâc methodo minùs imperfectâ, quæ in disciplinis omninò locum invenit. Sed quid illud sibi vult, quòd hæc talis methodus nullam dicitur admittere crypsin? Sanè nullam. Duntaxat recedit à normâ præceptorum Logicorũ de definitione & distributione suprà *l. 4. & 5.* traditorum. e. g. lex definitionis est: definitio affirmata esto, item à priori. Sed methodus minùs imperfecta etiam admittit negatam, & à posteriori, in casu (ut loquuntur) necessitatis. Nulla igitur in illâ est crypsis, prout vulgò crypses methodi recensentur, ut paulò pòst audies.

Methodus magis imperfecta est, quę sic accommodatur discentium captui, ut admittat crypsin. *Et hæc in arte non habet locum. Dicitur aliâs* cryptica.

Estque vel defecta, vel redundans, vel inversa.

Est enim triplex crypsis, hoc est, recessus à methodo perfectâ; videl. defectus, redundantia & inversio. Nam tribus hisce modis recedimus à legibus methodi perfectæ. Prima illa lex, de methodo minùs imperfectâ, solùm recedit à legibus horisticis & meristicis.

Methodus defecta est, quæ omittit quędam homogenea & in docendo necessaria.

Methodus redundans est, quæ aliquid præter homogenea tractat; *sive id fiat repetitione homogeneorum, sive heterogeneorum additione.*

Nam etiam repetitio homogeneorum est heterogenea in disciplinis. Huc igitur pertinent amplificationes & digressiones.

Methodus inversa est, quæ ordinem partium doctrinæ immutat.

Quod fit, dum quæ priori loco tractari debebant, posteriori tractantur, aut contrà. Vulgò dicitur ὕστερον πρότερον, ὑστέρωσις, ὑστερολογία. item πρότερον ὕστερον.

Canon hujus loci est unicus:


Crypses methodi vel singulæ seorsim, vel duæ, vel omnes conjunctim adhibentur.

Hâc de re pulchrè monet Ramus, *lib. 2. Dial. cap. 20. Hac igitur*, ait, *in variis axiomatis homogeneis suoq; vel syllogismi judicio notis methodus erit, quoties res perspicuè docenda erit: at cùm delectatione motúve aliquo majore, in parte aliquâ fallendus erit auditor, homogenea quædam rejicientur; ut definitionum, partitionum, transitionumq; lumina: quædam assumentur heterogenea; velut digressiones à re & in re commorationes; sed præcipuè rerum ordo initio invertetur, antecedentiaq; nonnulla consequentibus postponentur. Itaque ad illam perfectæ methodi regulam hæc alicubi imperfectior forma, non solùm detractis rebus mutila est, vel superadditis redundat, sed ordinis sui quibusdam gradibus inversis præpostera est.* Sic ille. Nimirum hoc voluit dictum: oratoria & poëtica à methodi præceptis sæpè quidem, sed licitè discedunt: quia eis non tàm propositum est, cognoscere rerum ordinem, quàm delectare, & admirationem & quasi stuporem animis audientium injicere. Hîc observa, quod dixi, licitè discedere oratores & poëtas à normis methodi perfectæ. Nec enim sub titulo methodi prudentiæ, confusio & perturbatio est fovenda. Aliud enim est deambulare animi causâ, & in amœnam silvam secedere; aliud ruere in deserta, & extra omnem humanitatis cultum evagari.

Atque hęc etiam de methodi doctrinâ, elegantiâ, necessitate, naturâ & proprietatibus à nobis dicta sunt; ex quibus ferè omnes controversiæ circa hanc doctrinam intelligentur & decidentur. Superest, ut breviter adumbremus methodum illam brevem in loco de methodo observatam.

TYPUS

TYPUS LIBRI OCTAVI DE METHODO.



LOGICORUM LIBER NONUS, De FALLACIIS.

Cap. 1. Fallacia in genere.

ADhuc de instrumentis veris: sequitur de instrumento apparēte seu falso, quod fallit sub specie veri: *unde & fallacia dicitur.*

Vocabulum elenchi explicatum.

Aliâs dicitur *elenchus*: quæ vox est in polysemis. Nam significat indicem, quomodo librorum elenchos appellamus; & argumentum seu argumentationem denotat. Et hoc sensu alius elenchus est verus, philosophicus & logicus, alius sophisticus & captiosus, quem philosophus vocat ἐριστικὸν καὶ ἀγωνιστικὸν, *litigiosum & rixantem*, quidam Logici παρέξελεγχον elegāter. Nam παρέξ significat extra, q. d. extra elenchi requisita vel leges. Præterea elenchus significat redargutionem seu reprehensionem, unde signa ἐλεγκτικὰ philosopho in Rhetoricis dicūtur, quæ refutari facilè possunt, & opponuntur illis, quæ vocat in analyticis δεικτικά. Hinc sophistici elenchi sunt sophistarū redargutiones, voce elenchi sophistici sumtâ tum activè, tum passivè. Activè significat redargutionem veram, quâ sophistarum fraudem detegimus: passivè significat redargutionem apparentem, quâ sophistæ videri volunt nos cōvincere. Et hoc modo posteriori accipitur per synecdochen pro captioso syllogismo; & per aliam synecdochen pro certâ syllogismi captiosi specie, quæ dicitur peculiariter ignoratio elenchi. Nos hoc loco accipimus elenchum pro instrumēto Logico apparenti, quod opponitur instrumento Logico vero; unde tot illius species cōstituimus, quot recensuimus species instrumentorum verorum. Dici etiam potest *sophisma*; quod vocabulum, ut & *fallacia*, κατ' ἐξοχὴν, strictè accipitur pro syllogismo apparenti. Sed nos ampliamus, vel potiùs sensum generalem istarum vocum

vocum attendimus. Poteſt igitur hæc Logicæ pars vocari *ſophiſtica* & *elenctica*; & tot illius conſtitui claſſes, quot ſunt inſtrumentorum Logicorum. Primam claſſem diximus antehac athematicam, ſecundam & tertiam acategoreticam, quartam anoriſticam, quintam ameriſticam, ſextam anaxiomaticam, ſeptimam aſyllogiſticam, octavam amethodicam; novis quidem vocabulis, ſed tamen ita confictis, ut verè ſint didactica.

Canones in genere notentur iſti.

1 ***Logica non docet fallacias, ut fiant, ſed ut deprehendantur & vitentur.*** An de fallaciis in Logicâ docendum?

Hinc ſolvitur objectio: Vitium in arte eſt heterogeneũ. E. & doctrina fallaciarum in Logicis eſt heterogenea. Reſp. ad antecedens, Vitiũ, quâ vitium, omninò heterogeneum eſt in arte; ſed quatenus eſt apparens virtus, h. e. induit ſpeciẽ virtutis, larva illi detrahenda eſt; id quod fieri non poteſt, niſi illius natura in arte explicetur, ſimulque ratio monſtretur apparentiam illam detegendi. Ergo & præcepta malè diſſerendi, & præcepta ſolvendi hîc tradenda ſunt.

2 ***Rectum per ſe eſt menſura recti, per accidens verò obliqui.***

Id ſic patet. Rectum quod eſt, mẽſurare poteſt aliud, ꝙ eſt rectũ: quia nimirũ rectum recto congruit. Et hęc eſt menſura poſitiva ſeu affirmativa. Sed & idem rectũ menſurare poteſt obliquum; ſed per accidens, & negativè; quatenus obliquum non eſt rectum, ſed ab eo diſcrepãs. Quare ſi quis accuratè velit obliquũ cognoſcere, neceſſe habet illud opponere recto. Sic enim cõtraria juxta ſe poſita clariùs eluceſcent. Hinc ſolvitur objectio: Si rectum eſt index ſui & obliqui, de fallaciis non fuerit docendũ in Logicis. Ratio conſequentiæ nulla eſt: quia ſcil. licet falſi cognitio aliquo modo pendeat ex cognitione veri: tamẽ falſi cognitio mirũ in modum illuſtrat cognitionem veri juxta canonem illum modò dictum: Cõtraria juxta ſe poſita clariùs eluceſcunt. Accedit, quòd ingenium hominis non ita acutùm videt, ut poſſit ſtatim fucũ deprehendere. Nam falſum ſæpe ſpecie & apparentiâ veri ſic occultatur, ut ſubinde illi, qui ſibi videtur Argi & totus oculus, decipiatur. Itaq; quatenus obliquũ occultatur apparen-

tiâ recti, ex vero simpliciter cognosci & dijudicari non potest, nisi ratio detegendi fucum sit perspecta.

3 *Doctrina de fallaciis est finita, & certis terminis circumscripta.*

Vulgò dicunt, & rectè dicunt, ψεῦδος πολυειδὲς καὶ ἄπειρον. Sed hinc quidam minùs rectè colligunt, doctrinam de fallaciis esse infinitam & incertam, ideoq; in arte non tradendam. Nam consequentia nulla est in istâ collectione: quia licèt fallaciæ sint infinitæ si spectes individuum; non tamen si spectes genera & classes illarum; quæ disponuntur ratione instrumentorum verorum.

Cap. 2. Fallacia thematis.

Fallacia est vel noëtica, vel dianoëtica.

Fallacia noëtica est, quæ opponitur instrumento disserendi vero noëtico.

Estque vel termini, vel axiomatis.

Fallacia termini est vel thematica, vel categoretica.

Fallacia thematica est, quæ circa thema committitur.

Estque vel circa thematis communes affectiones, vel circa ejus species.

Fallacia circa thematis communes affectiones est μωρολογία.

Μωρολογία Μωρολογία est fallacia, quâ thema ineptum proponitur; nimirũ vel impium, vel alio modo noxiũ.

Huc pertinent omnia illa themata, quæ sunt cõtra pietatem, bonos mores, sensum, experientiã universalẽ, & prima atq; cõmunissima principia. Hæc solvũtur increpatione seu objurgatione, apodioxi seu rejectione, & ἐξουθενισμῷ, *nihili æstimatione*. Talia sunt sat multa apud Scholasticos quosdã. Quoties illa videmus tractari, uti poterimus his formulis: *Est disceptatio de lanâ caprinâ; est blasphemũ, quod proponitur;* est σκιαμαχία, quę dicitur fallacia, quâ sophista cum suâ ipsius

ipsius umbrâ colluctatur, vel etiã disputat de asini umbrâ, ut de re nihili. Quâ de re est apud Plutarchum, hanc in sententiam. Adolescens æstatis tempore asinũ mercede conduxerat, ut eo ab urbe (Athenis) Megaram proficiscens uteretur. Porrò meridiè, cùm Sol acriter æstuaret, & conductor & locator cupiebat sub asini umbram succedere. Verùm alter alterum arcebat: cùm hic diceret, asinum conductum esse, non umbram: rursus alter qui conduxerat, se plenum habere jus responderet. Huc etiam pertinet proverbium, *de fumo disceptare*. Sed multi sunt nimiùm delicati, qui quamvis fermè subtilitatem damnant titulo curiositatis. Quare ne erres, nota illam regulam: *Themata non sunt proponenda, quæ nec scienti prosunt, nec ignoranti nocent.*

Fallacia circa thematis species est vel circa thema verbale, vel circa reale.

Fallacia circa thema verbale est, quæ in verbis consistit. *Aliâs dicitur* fallacia dictionis, *item* fallacia verbalis.

Hæc vulgò traduntur in doctrinâ de paralogismo seu syllogismo sophistico, contra legem methodi, quę jubet, ut generalia generaliter doceantur.

Estq; vel fallacia obscuritatis, vel ambiguitatis.

Fallacia obscuritatis est, cùm vel vox aliqua simplex, vel integra phrasis est obscura.

Eaq; oritur vel ex insolentiâ & vetustate, vel ex novitate, vel ex improprietate vocum.

Ex insolentiâ; qualis est in vocabulo *meriti*, apud Patres orthodoxos, cui Papistę affingunt novam significationẽ. Patres siquidem *mereri* accipiũt pro *consequi*, quando loquuntur de vitâ ęternâ. *Ex novitate*; qualis est in vocibus quibusdam docendi discendiq; causâ excogitatis. *Ex improprietate*; qualis est in multis vocabulis tropicis.

Fallacia ambiguitatis est, cùm vox aliqua est ambigua.

Estque vel homonymiæ, vel amphiboliæ.

Fallacia homonymiæ est, cùm vox aliqua simplex est ambigua.

Ejus exempla quędam colligamus. Voces ambiguę sunt, *sanctus, ante, vivens, expectare, κόρη*. Hinc existunt fallaciæ tales. Legati sunt sancti. E. Labienus Cæsaris legatus est sanctus. In antecedente *sanctus* ponitur pro inviolabili, seu eo, qui liber est jure gentium ab omni injuriâ. In consequente ponitur pro eo, qui sceleris purus. Sic; Si nulla vacca parit ante, omnes pariunt simul. At nulla parit ante. E. omnes pariunt simul. Vox *ante* in propositione notat tempus, & idem est quod priùs. In assumtione partem anticam corporis significat. Item: Nonnisi vivens obiit. Imperator Matthias est vivens. E. Imperator Matthias obiit. Est homonymia in voce vivens; quæ in propositione significat eum, qui vivebat: in assumtione eum qui vivit. Potest & ad hoc sophisma sic respōderi. Assumtio non assumitur è propositione. Sunt igitur scopæ dissolutæ. Nam sensus propositionis est: Is qui obiit, tum obiit, cùm esset vivēs. Hinc oriuntur 5. termini. 1. Is qui obiit. 2. Obiit vivens. 3. Imperator Matthias. 4. Vivit. 5. Obiit. Sic Proculejus querebatur de filio, quòd expectaret mortem patris. Respōdebat autem filius: Ego verò non expecto, id est, non inhio morti tuæ. Ibi pater: Imò rogo ut expectes, hoc est, ne acceleres mortē meam. Ita κόρη apud Græcos significat & virginem, & oculi pupillam. Hinc Diogenes, cùm Didymon, qui vulgò audiebat adulter, curaret oculū virginis, dicebat: Vide ne corrūpas κόρην. In hujusmodi fallaciis solvendis locū habet jocus. Nam lusus lusu solvi potest. Sic cùm Diogeni aliquis ita objiceret: Quod ego sum, tu nō es. Ego sum homo. E. tu non es homo: ille facetè regessit: Incipe à me, & vera fuerit conclusio: Quidquid tu Diogenes es, ego nō sum. Tu Diogenes es homo. E. ego nō sum homo. Fallacia homonymiæ est in voce *sum*, vel in voce *quod*, quæ accipitur vel universaliter pro *Quicquid*, vel singulariter, pro *Illud individuum quod ego sum. Oritur autē homonymia 1. Ex multitudine significationis*; ut cùm bona opera dicuntur justificare. *2. Ex Orthographiâ*; ut si veritas & feritas confundantur. *3. Ex Etymologiâ*; ut populus pro multitudine hominum & pro arbore. *4. Ex Prosodiâ*; ut si quis léporem & lepórem confundat.

Fallacia amphiboliæ est, cùm integra phrasis dubium sensum admittit.

Dicimus

Dicimus potiùs amphibolia quàm amphibologia. Nam veteres Græci dixerunt tantùm ἀμφίβολον & ἀμφιβολία, à verbo ἀμφιβάλλω. Nam ἀμφιβολία ex eo dicitur, quòd oratio in duas quasi ſententias conjiciatur. Alii exiſtimant amphiboliam ſic dici, quòd duæ voces, quæ tertiam aliquam ambiunt ſeu circumſtant, alia in locum alterius trajiciatur: ut,

Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.

Hìc vox *te*, & vox *Romanos*, circumſtant vocem *poſſe vincere:* & utraq; earum poteſt vel ante, vel poſt illam collocari. Verùm nos latiùs extendimus vocabulum hoc, ſecuti non ignobiles Logicos. Cæterùm hæc *fallacia eſt in conjunctis verbis, & oritur vel ex vocum obſcuritate & ambiguitate, vel ex vitioſâ compoſitione & diviſione, vel ancipiti conſtructione & diſtinctione.* e. g. Vulgo dicitur: Res ſacræ in bonis nullius ſunt. Hìc phraſis eſt ambigua *nullius eſſe.* Non eſt hic ſenſus, quòd res ſacræ ſint omnium, ſeu communes: ſed quòd non cadant ſub commercium humanum & uſum privatum. Sic amphibolia eſt *Act. 3. v. 21. quem oportet cœlum capere.* Græcus textus ſic habet: ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, id eſt, δεῖ ἵνα ὁ οὐρανὸς δέξηται αὐτὸν, τὸν Χριστόν. Eſt itaque inverſio conſtructionis in pronomine relativo. In illo: Binarius & ternarius ſunt numerus par & impar: Quinarius eſt binarius & ternarius: Ergò quinarius eſt numerus par & impar: eſt fallacia compoſitionis & diviſionis. Eſt enim alia ſententia in verbis disjunctim ſumtis in majore, alia in conjunctim ſumtis in minore. Huc pertinet & illud, quo filius parenti rudi volebat perſuadere ſex ova eſſe appoſita, cùm duntaxat eſſent tria: Hìc ſunt tria ova, & unum, & duo. Ergò ſunt ſex. Hìc etiam locum habet ſolutio jocularis & aculeata, qualem pater ille dedit filio. Ego, inquiebat, cum matre tuâ tria illa, quæ gallina peperit, ova comedam. Reliqua tria tu tibi habeto ſolus. Eſt tamen etiam fallacia compoſitionis & diviſionis in rebus, de quâ infrà. Hùjus loci eſt ſolùm illa, quæ eſt in verbis. Amphibolia ex neglectâ diſtinctione ſyntacticâ eſt in illo, οὐδεὶς κακὸς μέγας ἰχθύς, quo Porpis Rhodius citharœdus fuit notatus. Hìc niſi inter voces ſingulas commata interponas, ſententia videbitur dicta in piſcem; cùm tamen dicta ſit in citharœdum,

qui erat *nullus*,hoc est,nihili homo,*malus magnus*,hoc est, ingenti corporis mole ,*piscis* , hoc est , mutus instar piscis. Aliis dicitur *amphibolia ex syntaxi*; ad quam refer pleraq; oracula seu responsa dæmonis: ut, Ibis redibis nunquam peribis. Huc quidam referunt illud: Quò vidisti Titium percuti,eò percussus est. Atqui oculus est,quo vidisti Titium percuti;vel,oculis vidisti eum percuti. Ergò Titius oculo percussus est,non gladio. Sed hoc exemplum referri debet ad homonymiam; ita ut dicatur vocula *quo* aliter accipi in propositione & assumtione.

Fallacia circa thema reale est,quæ in rebus consistit.

Estq; vel falsitatis,vel ἑτεροζητήσεως,vel πολυζητήσεως.

Fallacia falsitatis est, cùm falsum thema affertur:

Ut cùm Papistæ in verbis cœnæ,Hoc est corpus meum, per pronomen *hoc* dicunt demonstrari vagum individuum: alii Papistæ aliud. Novem enim sunt discrepantes illorum interpretationes.

Fallacia ἑτεροζητήσεως est, quando thema alienum affertur,*h. e. tale,quod nihil ad rem facit.*

Dicitur etiam *elenchus alieni*,quem qui committunt,habentur bis ridiculi. Hâc de re Lucianus intelligendus est, dum refert,quòd Demonax conspectis duobus philosophis pariter indoctis,quorum alter ridiculas quæstiones proponeret, alter aliena, neque quicquam ad rem facientia responderet,dixerit: Quid,amici? Annon horum alter hircum mulgere videtur,alter cribrum supponere?

Fallacia πολυζητήσεως est,cùm diversa themata confunduntur.

Possunt quidem themata multa proponi,verbi gratiâ, tria in unâ concione;sed cavendum est,ne confusio sequatur velut à tergo incautum.

Cap.3. Fallacia argumentorum consentaneorum.

FAllacia categoretica, vel ſi malis, categorica eſt, q̃ circa categorias (*ſive argumenta*) cõmittitur.

Dicitur vulgò *fallacia non argumenti ut argumenti*, item, *elenchus ſeu paralogiſmus falſi argumenti.*

Eſtq;, circa argumenta ſimplicia, vel complexa.

Fallacia circa argumenta ſimplicia, eſt vel circa argumenta communia, vel circa propria.

Noluimus fallacias immiſcere præceptis de inſtrumentis veris: quia nos docuit experientia, meliùs imprimi diſtinctis impreſſionibus præcepta de inſtrumentis veris & de apparentibus.

Fallacia circa argumenta communia eſt vel conſentaneorum, vel diſſentaneorum, vel comparatorum, vel ortorum, vel teſtimonii.

Fallacia conſentaneorum eſt cauſæ, cauſati, ſubjecti, adjuncti, antecedentis, conſequentis & connexorum.

Fallacia cauſæ conſideratur vel in genere, vel in ſpecie.

In genere fallacia cauſæ eſt cùm pro causâ ponitur, quæ cauſa non eſt. Fallacia cauſæ.

Dicitur fallacia τ̃ ἀναιτίου ὡς αἰτίου, h. c. *non cauſa ut cauſa.*

1 Elenchus ſeu fallacia finis eſt, cùm pro fine ponitur qui non eſt:

Ut, Deus fruſtra invocatur; quia ſcit etiamſi nos non precemur, quibus indigeamus. Falſus hic eſt finis precum; cùm ſint alii veri, videl. Dei gloria, noſtra proximiq; ſalus. Talem elenchum committunt Papiſtæ, cùm dicunt, Eccleſiam à Deo in terris eſſe conſtitutam, ut ſit judex ſupremus controverſiarum religionis.

2 Fallacia efficientis eſt, cùm pro efficiente ponitur quæ non eſt. *Sic eſt elenchus cauſæ*

Procreantis, quando pro causâ procreante habetur, quæ non est. Talem elenchum commiserunt Judæi *Joh. 8. v. 41.* gloriantes se Deum habere patrem, cùm haberent patrem Diabolum. Papistæ justificationis causam dicunt baptismum.

Conservantis; ut cùm quis putat bonam valetudinem conservari immodicis exercitiis à cibo sumto.

Corrumpentis; ut cùm quis putat, manè surgendo labefactari bonam valetudinem.

Impellentis; ut cùm Epicurei dicunt, se peccare decreto & providentiâ Dei; & cùm Papistæ asserunt, verbo Dei credendum esse propter Ecclesiæ authoritatem.

Instrumentalis; ut cùm dicunt nonnulli, Christum fuisse instrumentum Patris in creatione.

Per accidens; ut cùm quis dicit, se ab alio coactum fecisse aliquid, cùm tamen plenâ lubentiâ fecerit; vel cùm quis prætendit, per imprudentiam aliquid à se factum, quod fecit de industriâ.

3 Fallacia materiæ est, cùm pro materiâ ponitur, quæ non est:

Ut, cùm verbi Dei materia dicitur esse litera & atramentum. Nam verbi Dei materia sunt præcepta, promissiones &c. sed quâ scriptum est, illius materia sunt literæ & syllabæ. Vocatur alio nomine error παρὰ τὴν μὴ ὕλην, ὡς ὕλην.

4 Fallacia formæ est, cùm pro formâ ponitur, quæ non est:

Ut, cùm Papistæ charitatem statuunt formam fidei, cùm sit fidei effectum.

Fallacia causæ in specie, est alia atq; alia secundùm quatuor causarum genera. *Itaq;*

Fallacia finis in specie est:

1 Cùm finis confunditur cum causâ impellente: Ut, Si quis misericordiam, pretium, prodigalitatem numeret in finibus, quæ sunt causæ impellentes. Nam misericordia movit, verbi gratiâ, Deum ut nos elegerit in Christo; pretium movet venditorem ut vendat; prodigalitas movet judicem, ut det

ut det tutorem. 2. *Cùm finis voluntarius alligatur ad media arbitraria:* ut, Abit Francofurtum nundinarum gratiâ. Ergò emet sibi libros. 3. *Cùm à positione unius finis argumentatio fit ad remotionem aliorum:* ut, Ille in studiis suis spectat gloriam Dei. E. non spectat divitias. 4. *Cùm finis non adæquatus ponitur pro adæquato:* ut cùm finis Logicæ statuitur philosophiæ, non autem theologiæ, melior cognitio.

Fallacia causæ efficientis in specie est:

1 *Cùm alicujus rei una constituitur causa, cùm sint, vel possint, vel debeant esse plures.* Dicitur elenchus *causæ insufficientis,* item, *fallacia ab enumeratione causarum non sufficiente:* ut, Deus potest hoc facere. E. est. Non sequitur: quia non solùm requiritur Dei potentia, sed etiam voluntas. Sic non est consequens: Habet multos libros. E. evadet doctus. Nam causæ insufficientes tanquam efficaces assumuntur. Nec valet: Non est doctus. E. non habuit fidelem præceptorem. Papistæ credunt omnia, quæ sunt in symbolo Apostolico. E. sunt vera Ecclesia. Sic non sequitur: Naturâ disserit & præceptis adjuvatur. E. est bonus Logicus. Nam etiam opus est exercitatione. 2. *Cùm causa sine quâ non affertur pro verâ causâ. Aristoteles 2. posteriorum,* ut quidam volunt, vocat μὴ παρὰ τὸ, id est, non propter hoc, non hujus causâ. Sed nobis videtur, philosophum his verbis exprimere fallaciam non causæ ut causæ in genere. Sic si quis symbolum datum à quæstore dicat causam veram transitus, committit elenchum causæ sine quâ non, ut causæ veræ. 3. *Cùm ponitur efficiens non adæquata pro adæquatâ:* ut, Hîc non est ignis. E. nec calor. Non sequitur: quia ignis non est adæquata causa caloris, sed etiam sol & motus. 4. *Cùm è negatis causis adjuvantibus negatur effectum:* ut, Deus non habuit ministros & instrumenta. Ergò non potuit condere mundum. 5. *Cùm à causâ voluntariâ argumentamur necessariò:* ut, Deus ab æterno fuit causa potens seu virtute. E. & mundus fuit ab æterno, seu fecit mundum sibi coæternum. 6. *Cùm ea, quæ ex accidenti insunt causæ, in effectum transferuntur:* ut, Orator est improbus. E. & oratio est improba. Orator est homo, loquitur, cibo, & potu eget. E. & oratio est homo, loquitur &c. Orator reprehenditur in vitâ. E. & ora-

tio eſt reprehenſibilis. Hæc non ſequuntur. Ratio: quia conveniunt oratori non ut oratori, ſed ex accidenti, quâ homo eſt. Hinc regula: *Ea, quæ per accidens cauſæ tribuuntur, in effectum cadere non eſt neceſſe.* 7. *Cùm cauſa univerſalis cum ſingulari, univoca cum æquivocâ confunditur:* ut, Deus creavit hominem. Ergò & homo eſt Deus. Non ſequitur: quia Deus eſt cauſa hominis æquivoca & univerſalis. Nec hoc ſequitur: Sol producit ranam. Ergò rana eſt Sol. Nam canon ille: *qualis cauſa, tale cauſatum:* valet in particularibus & univocis cauſis; ut, homo generat hominem. 8. *Cùm relatio quæ cauſæ adjacet, confunditur cum relatione quæ adjacet effecto:* ut, Eſt pater. Ergò genuit patrem. 9. *Cùm à causâ per accidens argumentamur tanquam à causâ per ſe*; ſeu, cùm ſumitur accidentarium pro causâ per ſe: ut, religio eſt cauſa everſionis Rerumpublicarum; eloquentia pervertit jus & juſtitiam. Hìc religio & eloquentia non ſunt cauſæ per ſe illorum incommodorum, ſed ex accidenti, quatenus nimirum homines malitioſè illis abutuntur ad perniciem aliorum. Hìc ſolet reſponderi: *Tollatur abuſus, maneat uſus: A causâ per accidens ad cauſam per ſe non valet conſequentia: Subſtantia rei diſtinguatur ab accidentibus.* Item,

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

Huc pertinet cauſæ fictio, quæ Græcis dicitur *χρῶμα, color, σχῆμα πολιτικὸν τοῦ λόγου*, cùm rei injuſtæ ſpecioſa cauſa prætexitur, pallium politicum, translatio cauſæ &c. ut cùm Demades accuſatus, quòd decretum ſcripſiſſet inhoneſtum, de petendâ pace ab Alexandro, reſpondit, non ſuo ſtylo, ſed Alexandri haſtâ hoc decretum ſcriptum eſſe.

Fallacia materiæ in ſpecie eſt, cùm ex materiâ arguitur neceſſariò materiatum:

Ut, Adeſt aurum. Ergò & annulus aureus. Adeſt farina. E. & panis. Si materia ſit, res effici poteſt, ait Logicus; non neceſſariò eſt. Ratio hujus: quia materia eſt radix potentiæ. Itaq; potiùs materia negata evertit effectum, quàm affirmata illud ipſum affirmat: ut, Panes pinſi non poſſunt; quia deeſt farina. Aureus annulus fieri non poteſt; quia deeſt aurum.

Falla-

Fallacia formæ in specie est:

1. Cùm forma generica cum specificâ confunditur: ut, Socrates est animal. Ergò est risibilis. Homo est corpus. Ergò sentit. Hîc animalitas & corporeitas statuuntur formæ, è quibus emanent effecta illa propria; cùm risibilitas emanet ab hominis formâ, & τὸ sentire non à corporis, sed animalis formâ. *2. Cùm à positione unius formæ, ut generalis, totalis, vel substantialis argumentamur ad remotionem formæ specialis, partialis, vel accidentalis:* ut, Hominis forma est humanitas. E. non anima rationalis. vel, Anima est forma hominis. E. non humanitas. Utrumq; est verum. Anima est forma partialis, humanitas est forma totalis &c.

Fallacia causati est:

Fallacia causati.

1. Cùm pro causato vero ponitur ementitum & falsum: ut, cùm peccatum dicitur à Deo oriri; cùm Diabolus persuasit protoplastis optabilia fore effecta comestionis fructus vetiti. *2. Cùm adjunctum rei dicitur esse ejus effectum.* Hæc fallacia est confusio disparatorum: ut quando τὸ ridere confunditur cum risibilitate, τὸ sentire cum facultate sentiendi. *3. Cùm effectum rei adventitium seu accidentarium ponitur pro proprio:* ut, si quis concludat vinum esse malum ex eo quòd inebriati multa peccēt. Vini proprium effectum est sitim restinguere & lætificare cor hominis; accidentarium verò, inebriare. Hîc notetur illud Logicorum: Uni alicui rei, quæ est causa per se sui effectus, possunt accidere varia, quorum respectu dicitur causa per accidens; quemadmodum ait philosophus 2. physic. cap. 3. ἄπειρα ἐπὶ συμβαίνει. Itaque abusus non sunt proprii causarum per se effectus, sed sunt effectus illarum per accidens. Atque hæc est fallacia effecti, quæ solvitur, demonstrato illo, quod non est effectum, pro effecto. Quod diximus de effecto, tu accipe idem de materiato, formato, & finito.

Fallacia subjecti est:

Fallacia subjecti.

1. Cùm subjectū dicitur esse recipiens in se vel ad se, itē occupans q non est: ut, cùm panis eucharisticus statuitur subjectū recipiens in se corpus Christi. Est enim subjectū recipiens ad

ſe ſacramentaliter, hoc eſt, recipiens ad ſe ſignificationem corporis Chriſti. Poteſt etiam alio reſpectu dici, corpus Chriſti eſſe ſubjectum (eſt enim ſignatum) & panem eſſe adjunctum, quippe ſignum. Sic cùm Papiſtæ Eccleſiam catholicam gloriantur eſſe Romæ, ubi eſt eccleſia Antichriſti. Sic cùm Ethicæ objectum dicitur Evangelium de Chriſto, eſt elenchus objecti; cùm inventio & diſpoſitio ſtatuuntur objectum partiale Rhetoricæ, cùm ſint objectum Oratoriæ, quæ omninò diſtincta eſt à Rhetoricâ. *2. Cùm non adæquatum ſubjectum, ſive ſit recipiens, ſive occupans, ponitur pro adæquato*, hoc eſt, latius vel anguſtius pro proprio: ut, Si deitas ſtatueretur ſubjectum paſſionis, quæ eſt ἰδίωμα carnis; ſi eccleſia Theologiæ, terra Geometriæ, ſyllogiſmus Logicæ objectum adæquatum diceretur. *3. Cùm ſubjectum denominationis confunditur cum ſubjecto inhæſionis, ſubjectum* QUOD *cum* QUO, *vel contrà*: ut ſi quis dicat, λόγον eſſe in ſe reverâ paſſum, quòd caro ſit paſſa; vel ſi neget aliquis carnem eſſe paſſam, eò quòd λόγος non ſit paſſus. Nam humana Chriſti natura ut non per ſe ſubſiſtit, ſed in verbo: ita non eſt id quod primò ſuſtinet τὰ πάθη, ſed verbum ipſum; tametſi illa in naturâ humanâ inhæreant. Verbum igitur eſt ſubjectum denominationis, humana natura inhæſionis. E. utrumq; rectè dicitur; Verbum eſt paſſum, Humana natura eſt paſſa. *4. Cùm ſubjectum eſſe dicitur, quod eſt ſpecies*: ut cùm homo dicitur ſubjectum adæquatum animalis.

Fallacia adjuncti.

Fallacia adjuncti eſt:

1 Cùm rei tribuitur adjunctum aliquod, quod ei non convenit: ut, Cùm cœlum dicitur rubere, quod convenit nubibus; cùm calor dicitur calidus, quod convenit igni. *2. Cùm quod effectum rei eſt, ſtatuitur ejus adjunctum*: ut ſi quis dicat, edere & bibere eſſe adjuncta animalis, creare eſſe adjunctum Dei. *3. Cùm communia adjuncta aſſumuntur tanquam propria, & imperfectè propria tanquam perfectè talia*: ut, Iſte ſtudioſus pallet. E. diligenter ſtudet. Hunc errorem errant Papiſtæ, cùm amplitudinem, continuam habere ſucceſſionem, eſſe viſibilem &c. ſtatuunt notas proprias Eccleſiæ catholicæ. Sic uſtio à quibusdam tribuitur igni tanquam perfectum proprium, cùm ſit imperfectum, uti vocant, quod tamen

tamen rectiùs dicitur effectum. Nam ustivitas, ut ita dicam, seu δύναμις urendi est adjunctum ejus perfectè proprium. Dico ustivitas. Hæc enim est facultas ἐνεργητικὴ urendi. At ustibilitas est facultas urendi παθητικὴ, hoc est, adjunctum corporum, quæ uri possunt. 4. *Cùm externum πάθος pro interna affectione ponitur:* ut, videri pro visibilitate. 5. *Cùm accessorium pro nativo adhibetur:* ut cùm eruditio homini tribuitur essentialiter. 6. *Cùm uno atque altero adjuncto sumtis, quorum vis est imbecilla, necessarium concluditur:* ut, Habet barbam magnam, & gerit vestem longam. Ergò est philosophus. Est unius uxoris maritus. Ergò est episcopus. Hic est dives & formosus. Ergò est beatus. Hîc pro sufficienti adjuncto ponitur, quod est insufficiens. 7. *Cùm adjunctum adæquatum confunditur cum inadæquato:* ut, cùm visus tribuitur oculis tanquam adjunctum adæquatum, cùm tribui debeat homini.

Fallacia antecedentis & consequentis est: **Fallacia antecedentis & consequentis.**

1. *Cùm antecedentia & consequentia confunduntur cum caussis & effectis:* ut cùm dico, Ex puero fit vir, non dicendum est, puerum esse materiam viri, sed antecedens. 2. *Cùm antecedentia vel consequentia dicuntur, quæ non sunt:* ut, si purgatio animæ in purgatorio dicatur necessarium antecedens gloriæ in vitâ æternâ; cùm ustio dicitur necessariò consequi ignem. Sic cùm dies dicitur esse prior aurorâ, & resipiscentia posterior remissione peccatorum.

Fallacia connexorum est, cùm connexa pro non-connexis, vel contrà non-connexa pro connexis habentur: **Fallacia connexorum.**

Ut cùm dico, Anima hominis potest ad tempus informare lupum. Hoc falsum est; quia forma æquè latè patet atque formatum, ita ut vicissim retrò forma & formatum inter se commeent. Itaque absolutè necessaria est connexio inter hominem, quamdiu in vivis est, & animam rationalem. Itaque Diabolus fascinat homines, qui λυκανθρώπους se esse existimant. Contrà inter caussam procreantem & effectum procreatum non semper necessaria est connexio. Non igitur sequitur. Procreans est. Ergò & effectum est: ut, Mas & fœmina vivunt in legitimo matrimonio. Ergò

liberos habent. Validiùs itaque ab effecto procreato ad causam procreantem disputatur: ut, liberi existunt. Ergò è mare & fœminâ existunt. Si verò necessaria est procreantis & procreati connexio, utrinque æquè validè disputatur: ut, quia fides & Spiritus sanctus regenerans necessariò connexa sunt, ab utroq; ad alterum rectè disseritur: ut Spiritus sanctus regit Davidem. Credit igitur: & vicissim, Credit. Spiritu sancto igitur regitur. Sol ortus est. Dies igitur: &, Dies est. Sol igitur ortus.

Cap. 4. Fallacia argumentorum dissentaneorum.

FAllacia dissentaneorum juxta singulas illorum species sic habet:

Fallacia diversorum.

I. Fallacia diversorum est:

1. Cùm pro diversis ponuntur, quæ sunt prorsus eadem: ut, si quis dicat, hunc esse jurisconsultum, & tamen non esse æquitatis consultum; hunc esse physicum, & tamen non esse naturæ consultum. *2. Cùm pro diversis ponuntur quæ sunt opposita:* ut, si quis dicat sanitatem & morbum esse diversa. *3. Cùm diversa habentur pro oppositis:* ut, Ennius fuit fidei plenus. Ergò non fuit dives. Hæc consequentia nulla est: quia dissensio diversorum est levissima. Non enim infectâ & insitâ naturâ, sed tantùm ratione alicujus subjecti, putà personæ vel rei incidentis, dissentiunt. Quapropter quamvis simul non sint, esse tamen possunt: ut, forma & facundia ratione Ulyssis, in quo simul non fuerunt, considerantur ut dissentanea tantùm; ratione autem Demosthenis vel Periclis (fuerunt enim illi & diserti & formosi) inter se quidem dissentiunt, sed in subjecto consentiunt. Talis elenchus est, cùm aulicus negatur esse pius.

Fallacia oppositorum.

II. Fallacia oppositorum in genere est:

1. Cùm pro oppositis ponuntur quæ non sunt opposita, sed vel consentanea, vel diversa, vel subordinata: ut, cùm doctus & improbus, formosa & pudica dicuntur opposita, quæ sunt diversa. Sic, si quis dicat, philosopho aut theologo non convenire esse oratorem, opposita dicit, quæ sunt consen-

consentanea ratione certi subjecti. Sic si quis dicat esse opposita, Socratem & philosophum, Homerum & poëtam, imperatorem & maritum, Crassum oratorem & senatorem, divitem esse & bonum esse. Non sequitur: Cicero est homo. E. non est philosophus. Nam homo & philosophia sunt diversa, sed ita conjunguntur in Cicerone, ut unum faciant per accidens, sintq; unum & idem subjecto. Non sequitur: Uxor est. E. virum amat. Nam nō verum est correlatum. Nec consequens indicat antecedentis necessitatem, cùm etiam pellici convenire possit. Huc pertinet *fallacia ex ignoratione elenchi*, *ἄγνοια τȣ̃ ἐλέγχȣ*. Hîc observa, ignorationem elenchi duobus modis accipi. Nam in genere *ignoratio elenchi* dici potest quælibet fallacia. Ratio: quia elenchus bonus dicitur quælibet argumentatio bona, sicut elenchus captiosus dicitur quælibet argumentatio vitiosa. Vide *1. Topic. cap. 1.* Quòd si hoc modo in generali & latâ significatione accipiatur, omnes fallaciæ ad ignorationem elenchi, tanquam ad commune domicilium revocari possunt. Sed accipitur etiam strictè, ut hoc in loco: & ita ignoratio elenchi est argumentatio sophistica, in quâ sophista prætermittit aliquam conditionem, quæ ad elenchi veri constitutionem est necessaria, sive ignoret ipse, sive is quem decipit. Verus autem elenchus in specie dicitur syllogismus contradictionis de unâ & eâdem re ratione ejusdem, ad idem, eodem modo, & eodem tempore; quæ sunt conditiones legitimæ oppositionis. Ignoratio elenchi committitur in his exemplis: In crepusculo sunt tenebræ. Ergò non lux. Hîc contradictionem tollunt gradus; sicut etiam aqua tepida dicitur & calida & frigida. Filius Dei est immortalis. Ergò non est mortuus. Hîc confunduntur partes proprietatibus distinctæ, vel potiùs quasi partes. Immortalis est Filius Dei secundùm deitatem, & secundùm animam, mortuus secundùm carnem. Bellum est destinatum paci; quia suscipitur propter pacem. E. non est adversum paci. Hîc tollitur discrimen temporis. Bellum est destinatum paci futuræ, quo sensu bellum legitimum dicitur esse pax quæsita, in officiis Ciceronis: sed bellū adversum est paci præsenti. Talem elenchū commiserunt Judæi Joh. 8. v. 57. *Quinquaginta annos nondū habes, & Abra-*

hamum vidisti? Scilicet opinabantur Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον. Talem elenchum committunt Antitrinitarii: Christus est minor Patre. Ergò non est Deus. 2. *Cùm opposita mediata confunduntur cum immediatis:* ut, Stola hæc non est nigra. Ergò est alba. Non est arbor. Est igitur lapis. Lapis non est videns. Ergò est cæcus. Hîc inter nigrum & album est medium per *μέθεξιν, participationem:* inter arborem & lapidem est medium per ἀπόφασιν, *negationem:* inter videre & cæcum esse est medium per συναπόφασιν, *simul negationem utriusque.* 3. *Cùm oppositio fit, non juxta propria, ut differentias, sed juxta genus aut communia accidentia.* Vulgò dicitur: Vitiosa est ἡ ἐπὶ τὰ αὐτὰ (sive ταὐτὰ) ἀκολούθησις, id est, consecutio directa, seu ad eadem consecutio: ut, Homini à naturâ tributum est, ut se, vitam, corpusq; defendat. Ergò non leoni. Prodigalitas est vitium. Ergò non avaritia. Calor nimius incendit vulnus. E. frigus non incendit. Pater est literatus. Ergò filius non est literatus. Qui videt, vivit. Ergò cęcus non vivit. Justitia est virtus. Ergò quod non est justitia, non est virtus. Oppositis enim tribui potest idem (videlicet, quod ipsis commune est) etsi opposita eidem tribui non possunt. Ergò fieri potest, ut contraria idem consequantur, & quod uni convenit, alteri quoque conveniat. Hæc notanda sunt, ut scire possis quomodo valeat *argumentum à contrario sensu*, itemque illa regula Ciceronis: *Contrariorum contraria sunt consequentia.*

Fallacia cōtradicentiū.

III. Fallacia contradicentium est, cùm oppositio non fit inter contradicentia, nec immediatè:

Ut si opponantur justitia & prudentia tanquam contradictoria; vel justitia & injustitia. Illa enim non sunt contradicentia, sicut nec hæc. Non immediata oppositio est inter res genere diversas, ut inter unum & non-bonum. Nam unum & non-unum sunt contradicentia. Est quidem oppositio inter unum & non-bonum, sed non contradictoria. Nam omnis contradictoria oppositio immediata est.

Fallacia relatorum.

IV. Fallacia relatorum est:

1. *Cùm tanquam relata opponuntur, quæ non sunt relatè opposita:* ut, Filius in divinis non est à Patre; quia est à seipso. Nam Filius & Deus non sunt relatè opposita; sed Filius &

lius & Pater. Non igitur ſequitur. Filius Dei eſt genitus à Patre. E. non eſt Deus à ſeipſo. Sed hoc ſequitur: E. Filius, quâ Filius, quoad perſonam, non eſt à ſeipſo. *2. Cùm relatio confunditur cum modo conſiderationis abſoluto:* ut, Relata ſunt ſimul naturâ. E. Philippus non extitit prior in rerum naturâ quàm Alexander. Hîc affectiones perſonarum relatæ confunduntur cum affectionib. abſolutis. Metaphyſicus diceret, eſſentiam abſolutam confundi cum reſpectivâ, vel contrà. Relata igitur ſunt ſimul naturâ & tempore, quâ relata: ut, Si adoleſcens mulier, videl. Martia, nubat ſeni, ut Catoni; perſonę quidem ipſæ tempore ſunt inæquales, non tamen ipſarum affectiones relatæ. Non enim Cato ante fuit maritus quàm Martiam duxiſſet, quamvis diutiùs homo fuerat; nec Martia uxor, quàm ubi nupſiſſet Catoni. *3. Cùm relationis ſubjecta confunduntur:* ut, David rex fuit pater. E. fuit pater Nathanis. Non ſequitur, ſed hoc: David rex fuit pater Salomonis. E. Salomon fuit illius filius.

V. Fallacia contrariorum ſeu adverſorum eſt:

Fallacia cõtrariorum.

1. Cùm confunduntur mediata cum immediatis: ut in genere diximus ad fallaciam oppoſitorum. *2. Cùm gradus remiſſi confunduntur cum intenſis:* ut non valet: In Davide eſt fiducia & gaudium auditâ conſolatione. Ergò non eſt in eo trepidatio. Electi ſunt regeniti. Ergò in illis non eſt lucta carnis & ſpiritus; quæ eſt Socini argumentatio. Nam utrumque ſimul eſſe poteſt in gradibus remiſſis: quia videlicet electi ſunt regeniti imperfectè, ita ut pars regenita non tollat partem non-regenitam, licèt edomet. Nam peccatum non eſt in ſanctis quoad dominationem: unde peccatum rectè dividitur in regnans & non-regnans. Exemplo nobis ſit Paulus, qui hanc luctam carnis & ſpiritus deſcribit ad *Rom. 7.* ubi loquitur de ſe jam renato.

VI. Fallacia privantium eſt:

Fallacia privantium.

1. Cùm tanquam privantia ponuntur, quæ privantia non ſunt: ut, Ille bibit de nocte. E. non de die, vel contrà: Bibit de die. E. non de nocte; cujusmodi luſus eſt in illo Martialis:

Nocturno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur; in lucem ſemper Acerra bibit.

2. *Cùm confunduntur gradus:* ut, Ille eſt doctus. Ergò non eſt indoctus. Non ſequitur: quia privatio & habitus aliquando in gradibus remiſſis coincidunt. 3. *Cùm ſumuntur ſubjecta per naturam inepta:* ut, Lapis non eſt doctus. E. eſt indoctus. Menſa non eſt cæca. E. videt. Hîc ἄλογον eſt defectum ſeu privationem alicujus alicui tribuere, quod κατὰ φύσιν habere nequit.

Fallacia disparatorum eſt, quando ſeparantur, quæ disparata non ſunt:

Ut, Chriſtus eſt homo. Ergò non eſt Deus. Nam hîc duo iſta, Deus & homo per gratioſam οἰκονομίαν in Chriſto non ſunt disparata, ſed diverſa, vel ſubjectum, vel adjunctum.

Cap. 5. Fallacia argumentorum comparatorum.

FAllacia argumentorum comparatorum ſuccedit. *Eſtq;*

Fallacia parium.

I. Parium ſeu non parium ut parium; cùm tanquam paria ponuntur quæ paria non ſunt:

Ut, Viris eloquentibus & Juriſperitis patet aditus ad omnes honorum gradus. Ergò etiam Grammaticis patebit. Chriſtus eſt invocandus. E. & Maria, illius mater glorioſa. Mala opera damnant. E. bona ſalvant. Gubernatores provinciarum vocant ſe proreges. E. & Papa ſe poteſt dicere vicarium Chriſti. Diluitur hic elenchus, cùm monſtratur impar ratio, ſeu imparitas.

Fallacia imparium.

II. Imparium, ſeu non imparium ut parium:

1. *Cùm ut imparia ponuntur, quæ ſunt paria:* ut, cùm ars boni Imperatoris præfertur arti boni oratoris. Eſt enim in utrâq; par dignitas, ut placet Ciceroni. 2. *Cùm comparantur impariter, quæ ſic comparari non poſſunt:* ut, ſi gladius dicatur acutior, quàm ultima lyræ chorda. Nec valet: Johannes eſt ebrius propter vinum. E. vinum magis eſt ebrium. Nec hoc: Ignis eſt calidus propter calorem. E. calor eſt magis calidus: vel, Martyres dolore afficiuntur propter ignem. E. ignis majore cruciatur dolore. Nã in primo exemplo τὸ acutum dicitur de utroq; æquivocè. In ſecundo & tertio affertur tertiũ,

quod

quod uni extremorũ non convenit;ut ebrietas non convenit vino,calidum esse convenit corpori,nõ accidenti,& cruciari non convenit nisi animali. Est igitur fallacia comparationis, & quidem ex non minori tanquam minori,quâ violatur canon:*Cui nõ convenit absolutum,ei etiam nõ convenit gradus comparativus vel superlativus.* Vulgo dicunt *fallaciã à positivo ad cõparativum. 3. Cùm pro majore habetur,quod majus non est:* ut,cùm sacramenta verbo Dei præferuntur, & virtus intellectualis morali. Sic Pharisæi pluris faciebant aurum templi,quàm ipsum templum,& munus super altare, quàm ipsum altare, *Matth.23.v.16. 4.Cùm pro minore habetur,quod minus non est:*ut cùm fides dicitur minor charitate,& Imperator comparatur Lunæ,Papa Soli.

III. Similium:

Fallacia similium.

*1.Cùm similitudo manifestè claudicat:*seu cùm pro similibus habentur,quæ planè dissimilia sunt:ut,Qui aurem alicujus tetigit,totum videtur eum tetigisse. E. qui dolium vini aperuit,& parũ vini inde abstulit,totum abstulisse dicetur. Ita Papa falsò se comparat Soli,Imperatorẽ Lunæ.Pontificii S.Scripturã blasphemè comparant cereo naso,regulę plumbeæ,fabulis Æsopi, cothurno &ç. *2.Cùm tanquam similia ponuntur,quæ sunt eadẽ,paria,vel imparia:*ut,si Pater & Filius in divinis dicantur ὁμοιούσιοι,non autem ὁμοούσιοι. Sic,si quis dicat hoc esse argumentum à simili: Bestiæ suos partus diligunt.E.& parentes diligere debent suos natos. Est enim argumentum à minori. *3.Cùm similitudo colorata,h.e. parum efficax,quæq; plus dissimilitudinis habet,ponitur pro plenâ:* h.e. cùm similitudo est obscurior,quàm ut possit esse illustrando. Tales sunt illæ quorundã Scholasticorum: Quemadmodũ equus est utilis ad itinerandum:ita Logica est utilis ad disputandum: Quemadmodum ignis se non comburit, sed alia:ita sine Logicâ sciens ignorat se scire: Quemadmodum ignis comburens suæ combustionis ignorat causam: sic credentes aliquid scire sine Logicâ, causam sui sciti ignorant: Quemadmodum cygnus suum æmulum habet aquilam,murem elephas:sic Dialectica habet suos æmulos. Referri huc possunt septem congruentiæ Durandi,quibus probare vult septem esse sacramenta:Septem sunt planetæ, septem artes liberales &ç. Ergò sunt septem Sacramenta.

4. *Cùm similitudo falsò accommodatur, & citra scopum atque mentem authoris:* ut, cùm τὸ pascere à Pontificiis ponitur pro dominari. Sic enim explicant illud Christi ad Petrum: *Pasce meos agnos. Johan. 21. v. 15.* Sic cùm *1. Timoth. 3. versu 15.* Ecclesia dicitur columna & stabilimentum veritatis: Pontificii colligunt, authoritatem S. Scripturæ pendere ab authoritate Ecclesiæ. Committunt elenchum similium. Nam Apostolus hoc vult: Quemadmodum magnifica domus stabilitur & conservatur columnis suis: sic S. Scriptura, seu veritas cœlestis, in solâ Ecclesiâ conservatur. Quemadmodum igitur columnis semotis domus collaberetur: ita Ecclesiâ sublatâ è medio, tolleretur è mundo cœlestis veritas; utpote quæ extra Ecclesiam nullum habet locum. Hunc esse scopum illius similitudinis, patet ex regulâ: *Scopus loci æstimatur primariò ex naturâ rei, de quâ agitur.* Oportet igitur naturam veritatis cœlestis, & Ecclesiæ, de quâ utrâque hîc agitur, perspicere. Nam contra naturam rerum si sit σκοπός, est σκότος. Jam verò hæc est natura veritatis cœlestis, ut ad Ecclesiam se habeat tanquam causa instrumentalis ad effectum, tanquam definiens ad definitum. Nam Ecclesia definiri non potest sine verbo Dei: at verbum Dei definiri potest sine Ecclesiâ, quatenus illud consideratur à priori. Uno verbo: Verbum Dei est prius Ecclesiâ. Ergò non pendere potest ab Ecclesiæ authoritate.

IV. Dissimilium:

Fallacia dissimilium.

1. *Cùm dissimilia putantur, quæ non sunt:* ut, cùm paria, imparia, similia, diversa vel contraria pro dissimilibus habentur. Talem elenchum committunt, qui contendunt corporis Christi dissimilem esse rationem quoad essentiam, & aliorum hominum: item dissimilem esse rationem quoad essentiam corporis Christi in statu exaltationis & in statu exinanitionis. Confusio diversorum cum dissimilibus hîc est frequentissima: ut, cùm pietas & eruditio habentur pro dissimilibus, quæ tamen sunt diversa. Sic autem discernes. Dissimilia sunt, cùm res binæ in dispari tertio comparantur; ut, sapiens & luna in mutabilitate. Diversa autem sunt, cùm absoluta rerum dissensio (nimirum levis illa) spectatur sine comparatione. Huc accedit, quòd sæpè diversorum alterum negationem significet; dissimilium

verò

verò neutrum. Nam hîc tantùm dissimilis duorum comparatorum affectio significatur. 2. *Cùm major inter res intercedit similitudo, quàm dissimilitudo:* ut, cùm homo dicitur dissimilis magno mundo. Est enim major similitudo inter hominem & magnum mundum, quàm dissimilitudo; ut patet ex hominis titulis, quibus insignitur; videlicet μικρόκοσμος, *parvus mundus*, seu *breviarium & epitome mundi*, item *omnis creatura*, item *copula mundi*.

Observa, ad fallaciam comparatorum referri fallaciam *proportionalium*, in quibus affectio seu habitudo rationum consideratur; & *disproportionalium*, quæ sibi inter se proportione non respondent. *Fallacia proportionalium est in illo:* Sicut se habet panis ad nutritionem corporalem: ita se habet corpus Christi ad nutritionem spiritualem. Sed panis non nutrit, nisi oraliter manducetur. E. nec corpus Christi nutrit, nisi oraliter manducetur. *Fallacia disproportionalium est in isto:* Non sicut se habet architectus ad domum, ita se Deus habet ad mundum. At architectus domum construit. Ergò Deus mundum non condidit. In priori exemplo mutatur proportionalitas, quam ita vocant. Sic enim concludendum erat. E. & corpus Christi nutrit spiritualiter, si spiritualiter manducetur. In posteriori exemplo disproportionata constituuntur, quæ sunt proportionata. Disproportio enim non consistit in dissimili productione, sed in dissimili curâ. Itaque, sic erat assumendum: Sed architectus domo constructâ discedit, nec eam amplius curat. Hinc jam existit conclusio: E. Deus id non facit circa mundum, sed eum semel conditum, semper conservat. Hîc obiter moneo, Logicos distinguere inter proportionem & proportionalitatem. Proportio est convenientia duorum in aliquo tertio: ut, Octo ad quatuor habent proportionem duplam. Proportionalitas est duarum proportionum comparatio: ut, Sicut se habent octo ad quatuor, ita duodecim ad sex. Proportionalitatem istam alii vocant compositam similitudinem.

Vide *Aristot. lib. 1. topic. cap. 16. & 17.*

Cap. 6. Fallacia argumentorum ortorum.

FAllacia argumentorum ortorum eſt conjugatorum & notationis, totius & partis, generis & ſpecici.

Fallacia cō-jugatorum.

Fallacia conjugatorum eſt:

1. *Cùm alterum conjugatorum eſt nomen proprium, alterum notat rem:* ut, Felix dicitur. E. feliciter vivit. Dicitur Urbanus. E. urbanè agit. 2. *Cùm conjugata ſunt voce tantùm, non re & ſignificatione.* Alii hoc ſic enunciant: cùm conjugata Grammatica cum conjugatis Logicis confunduntur: ut, Vinum eſt bonum. Ergò vinoſi ſunt boni. Capit ſomnum. E. eſt ſomnolentus. 3. *Cùm conjugata diſſentiunt ob homonymiam:* ut, Homines ſumus. E humana (id eſt, caduca) ſpectare debemus. Hîc concretum, *humana*, eſt ambiguum. Sic & in hoc exemplo: Chriſtus pro nobis factus eſt peccatum. Ergò eſt peccator. In antecedente peccatum metonymico Hebraiſmo ponitur pro victimâ expiatrice peccati. 4. *Cùm antecedens verum eſt ſecundùm quid:* ut, Mortales ſumus. E. mortalia quærere debemus. Hîc antecedens verum eſt κατά τι. Mortales nimirum ſumus τὸ σῶμα, non τὴν ψυχὴν, meliorem noſtri partem. Huc refer & illud: Filius hominis eſt æternus Dei Filius. E. humanitas eſt æterna deitas. Deus eſt paſſus. E. deitas. Antecedens verum eſt κατά τι. In priori quidem exemplo gratiâ unionis & communionis perſonalis; in poſteriori κατ' ἄλλο. Huc pertinet illud theologorum: Cōmunicatio idiomatum valet in abſtracto, nōn in cōcreto. 5. *Cùm ex actione infertur habitus:* ut, Inebriatus eſt. E. ebrioſus eſt. Mentitus eſt. E. mendax eſt. Juſtū agit. E. juſtus eſt. Morbo corripitur. E. morboſus eſt. Hîc ab actione ad habitum non licet argumentari. Nam una vel altera actio non facit habitum. Negata tamen conjugata habēt neceſſariam inferendi vim: ut, Non juſtum agit. Igitur non juſtus eſt. Intellige antecedens cum reſtrictione, ubi oportet. Affirmantia tum demum ſunt neceſſaria, ſi habitus eſt conſtans & longo uſu confirmatus: ut, Ille λογικωτάτως diſputat. E.

tat. E. Logicus est. At non valet: David rapiens Uriæ conjugem, tyrannicè fecit. Igitur tyrannus fuit. Cambyses iniquo judici cutem detrahens, ejusque filium in tribunali eâ strato collocari jubens, additis his verbis, Disce justè judicare; justè fecit. Igitur justus fuit. Utrumque falsum. Neque enim in Davide perpetuum injustè faciendi, neq; in Cambyse justè faciendi studium fuit. 6. *Cùm ea, quæ per accidens tribuuntur concreto seu paronymo, tribuuntur abstracto:* ut, Civis est generis communis. Ergò & civitas. Grammatici sunt rixosi. E. & Grammatica talis. Reges mali sunt. Ergò regnare malum est. Sancti sunt peccatores. Ergò sanctitas est peccatum. Rhetores sunt perniciosi Reipubl. E. & Rhetorica. 7. *Cùm conjugata è disparatis falsis concluduntur:* ut, Album est dulce. E. albedo est dulcedo. Hoc exemplũ referri potest ad præcedentem elenchum. Nam cùm dico, Album est dulce, hoc est per accidens. Utrumq; inest lacti, tanquam communi subjecto. Sed & dici potest, in antecedente album & dulce non considerari ut disparata, sed ut consentanea, ita ut album sit subjectum attributionis, vel utrumque consideretur ratione alicujus subjecti, videlicet lactis. Huc refer & illud: Hæc virgo (ut Maria) est mater. E. hæc virginitas est maternitas. 8. *Cùm concretum tribuitur suæ formæ;* ut, cùm color dicitur coloratus, & calor calidus, & anima animata. Coloratum esse tribuitur corpori, calidũ igni, animatum homini vel bestiæ, hoc est, subjectis seu concretis. 9. *Cùm dividuntur componenda:* ut, Psaltria optimè canit. E. optima est, & cantrix psaltria. Psaltria potest esse optima cantrix, licet ethicè sit pessima. 10. *Cùm in demonstratione definitiones cõcretorum per abstracta, & contrà adhibentur:* ut, Qui habet omnipotentiam, est omnipotens. At Deus habet. E. Justus est, qui justitiâ præditus est. Aristides est justus. E. justitiâ præditus est. Hujusmodi illationes bonæ sunt; at non conficiunt demonstrationem Aristotelicam, quæ Græcis dicitur ἀπόδειξις per excellentiam.

Fallacia notationis est: Fallacia notationis.

1. *Cùm notatio inepta & ridicula* (vulgò dicitur allusiva, item assonantia) *ponitur pro verâ:* ut, Eruit terram. E. est aratrum. Huc refer illa exempla: piger, quasi pedibus æger; lapis q. lædipes; Αἴζων quasi ἀεὶ ζῶν; Syndicus, qui singu-

la dicit: Adam q. auſʒ dam/vel hat dam; *habet aggerē*, id eſt, *terrā*; Eva q. eh vat ſeu vaſʒ/ vas ſeculi (nam hoc eſt eh apud Belgas) id eſt, unde prodiit ſeculum, hoc eſt, genus humanū; Lamech q. lam eh: Bier q. bi ehr, cujusmodi innumeræ ſunt notationes apud Goropium Becanū in Antiquitatibus Antverpianis, qui nomina Hebraica propria in V.T. conatus eſt ad linguam Germanicam revocare, ut oſtenderet illam eſſe omnium antiquiſſimam. 2. *Cùm à notatione cōmuni argumentamur ad nomen vel affirmatè vel negatè:* ut, De meo factum eſt tuum. E. eſt mutuum. Non eſt mutuum. E. nō eſt de meo factum tuum. Non valet: quia in donatione etiā fieri poteſt de meo tuū. 3. *Cùm in nominibus propriis, quæ divinitùs non ſunt impoſita, ponitur vis argumenti:* ut, Dicitur Johannes. E. eſt gratioſus. Dicitur Auguſtus. E. auget imperiū. Dicitur Cæſar. E. cæſus eſt ex utero matris. Hîc obiter nota, falſum eſſe, quod ſcribunt, Julium Cęſarē dictum eſſe à cæſo matris defunctę utero. Nam mater illius adhuc erat in vivis, cum ille Pontificatum Maximum peteret, teſte Svetonio.

Fallacia totius.

Fallacia totius eſt:

1 *Cùm totum adhibetur, quod nō eſt totum:* ut, Cùm animus dicitur eſſe homo, aut methodus dicitur ipſa Dialectica; cùm ſint partes. Sic falluntur Samoſateniani, cùm totam humiliationē Chriſti putant conſiſtere in ſolis paſſionibus; cùm etiam conſiſtat in aſſumtione carnis. 2. *Cùm ex negato toto negatur qualibet pars:* ut, Non eſt hæres ex aſſe. E. nec ex beſſe. Domus nō eſt. E. nec fundamentū. 3. *Cùm quod in toto valet, valere dicitur in partib. ſigillatim acceptis:* ut, Homo interiit. E. & animus ejus. Chriſtus eſt ubique. E. & humana natura. 4. *Cùm poſito uno membro ponitur totum:* ut, Tyrāni poſſunt corpus occidere. E. & totum hominem. 5. *Cùm totum eſſentiale confunditur cum integrali & partibus ejus:* ut, Habet manus, pedes &c. Ergò eſt homo.

Fallacia partis.

Fallacia partis eſt:

1. *Cùm tanquam pars adhibetur, quod non eſt pars:* ut, Si ſtruma alicujus hominis dicatur pars corporis; ſi doctrina malè diſſerēdi, quâ talis, dicatur Logicæ pars; ſi Logica Dialecticæ pars eſſe dicatur, cùm ſit ipſum totū. 2. *Cùm ex unâ atq; alterâ partibus infertur totum:* ut, Multa in poëtarum carminibus ſunt inutilia. E. prorſus ſunt inutilia. Æthiops eſt

albus

albus dentes. E. & totum corpus. Excipe hanc argumẽtationem, quę vera est: Filius Dei est mortuus secundùm carnẽ. E. Filius Dei est mortuus. At nõ sequitur, ut diximus: Æthiops est albus secundùm dentes. E. æthiops est albus. Ratio: quia res non potest denominari rectè à parte minùs principali.

Fallacia generis est: **Fallacia generis.**

1. Cùm tanquã genus ponitur, quod non est genus: ut, differentia, accidens, subjectũ, reciprocum, vel æquipollens, vel disparatum ac repugnans: ut, Peccatum est substantia. Hîc subjectũ pro genere ponitur. Si *ἀνομία* statuatur genus peccati, forma seu differentia dicitur esse genus; si candidum pro cygno ponatur, accidens dicitur esse genus; si Jehova dicatur genus veri Dei, æquipollens pro genere ponitur; si corpus dicatur genus Angeli, repugnans habetur pro genere; si scientia genus dicatur esse justitię, disparatum habetur pro genere. *2. Cùm ex genere colligitur affirmatè una species*: ut, Animal est. E. homo est. *3. Cùm à genere particulariter sumto infertur species qualibet*: ut, Aliquod animal est rationale. E. bestia est rationalis.

Fallacia speciei est: **Fallacia speciei.**

1. Cùm pro specie assumitur, quod species non est: Ut, Si œconomica dicatur species politices, cujus disparatum est, vel membrum, ut multi volunt; sic, si paries dicatur species albedinis, cujus subjectum est. Sic Papistæ matrimonium, extremam unctionem, confirmationem, ordinem, pœnitentiam faciunt species Sacramentorum N. T. *2. Cùm negatâ unâ specie, genus universè negatur*: ut, Non est lupus. Ergò nullum animal est. *3. Cùm ex unâ specie affirmatâ, affirmatur universum genus*: ut, Homo est. E. omne animal est. *4. Cùm est insufficiens enumeratio specierum*: ut, Neque est animal, neq; spiritus. E. non est substantia. Multa hîc sunt inter animal & spiritum interjecta. Huc referunt *fallaciam individui*. *1. Cùm individua dissimilia judicãtur similia*: Ut, Paulus persecutor Ecclesiæ receptus est in gremium Ecclesiæ. E. & Julianus Apostata. Elias quadraginta dies & noctes jejunavit. E. & nos poterimus idem. *2. Cùm vitiosæ actiones certorum individuorum applicantur aliis*: ut, Judas apostolus fuit proditor & damnatus est. E. etiam Petrus.

Cap. 7. *Fallacia testimonii.*

Fallacia testimonii.

FAllacia testimonii est:

1. Cùm testimonium est planè confictum, νόθον, suppositiium. Hunc elenchum hodiè cõmittunt Pontificii, in quibus nominatim est Cæsar Baronius Cardinalis; item quidã antiquarii seu critici, qui sæpe allegant scripta authorũ suppositia, vel etiam quæ nunquã ab ullo fuerunt visa. *2. Cùm testimonium incertum* (ἄδηλον Græci vocant) *dubiæ fidei, non authenticum, sed aprocryphum, h.e. occultandum, in publicum non proferendum, allegatur tanquam certũ & authenticum.* Talem fallaciam committunt Pontificii, quando libros Scripturæ apocryphos, quos vocãt, canonicis seu ἐνδιαθήκοις æquant. Hîc incidit quęstio, an & quatenus liceat uti testimoniis Patrum? Resp. Uti licet illis, at non niti. Uti, inquam, licet tanquã ornamentis, non firmamentis. Nam cùm Deus non frustra voluerit conservata purioris & eruditæ antiquitatis testimonia, nostrũ est non aspernari aut elevare, sed gratis animis illa cognoscere, sed his cautionibus. 1. Testimonia Patrum ea demũ probanda sunt, quæ non sunt notha seu supposititia, non dubiæ fidei, non aliena, non contorta, non remotiora à quæstione, non mutilata, non depravata sophisticis glossis, quę pugnant cum aliis ipsorũ dictis, non obscura, non ambigua, non impropriè & obiter dicta, nõ inter se pugnantia, non destituta ratione manifestâ & solidâ. 2. Quando sunt γνήσια, *germana*, scripturis σύμφωνα, analogiæ fidei consentanea, ex scripturis confirmata vel totidem verbis, vel bonâ consequentiâ sine sophisticâ inde extructâ, quando sibi ipsis constãt, quando œconomia partium orationis & λογαριθμικὴ ἀνάγκη observantur, quando inter se aut omnes aut pleriq; & optimi Patres consentiunt, quando non suam privatã, sed publicam totius Ecclesiæ sententiam & confessionem recitant vel repetunt, quando ex instituto seu professo copiosè diligenterq; rem aliquã tractant. Cùm igitur hæc talia afferuntur: Augustinus hoc dixit. E. verum est. Athanasius & Ambrosius hoc testantur. E. omninò hoc tenendũ est: respiciendum erit ad determinationem quæstionis propositæ.

Testimoniis Patrũ Ecclesiasticorum quomodo utendum?

sitæ. 3. *Cùm testimonium humanum præfertur vel adæquatur divino.* Hoc est notoriæ impietatis, in quam quidē è veteribus eleganter dixit: *Contra divinas authoritates humanâ ratione incedere, id quidem insanum: sine ratione autē, id longè insanius: ac verò & sine ratione & contra rationem adversus Deum latrare, id prorsus, supra quàm dici possit, insanissimum.* 4. *Cùm testimonium calumniosè allegatur*; videl. depravatum, perversum, truncatum, mutilatum, vel in peregrinam sententiam detortū. Hoc Logici vocant *crimen falsi.* Committitur autem crimen falsi ab aliquo tum demum, si fraude & malo animo aliquid omittat, addat vel affingat verbis authoris. Non igitur statim crimen falsi debet dici, quando aliquis salvo sensu adducit testimoniū authoris verbis cōtractis ad ea tantùm, quæ ad præsentem disputationē faciunt; vel si quis ex ignorantiâ, simplicitate, memoriȩ lapsu adducat testimonium non plenum. Hoc factum dici quidē potest error & culpa, at non crimen. Non igitur statim falsarius est, qui verba formalia non recitat. Sicut enim non potest dici mentiri, qui in disputatione falsam propositionem affert πειραστικῶς, tentandi & explorandi gratiâ, non decipiendi; aut qui putat se verum dicere, & tamen falsum dicit: sic nec ille statim falsarius, qui imperfectè citat authorem sine fraude & dolo. 5. *Cùm author sibi non constat, sed de eâdem re adversa scripsit, quæ conciliari non possunt, nec horum quicquam retractavit.* 6. *Cùm testimonium interpretando corrumpitur:* ut, *Lucæ 24.* Christus factus est ἄφαντος. Ergò factus est ἀόρατος καθ' ἑαυτόν. Antecedens est mutilatum. Additum enim est, ἀπ' αὐτῶν. Sic cùm rigidè servatur τὸ ῥητὸν contra naturam rei & scopum dicentis: ut, si quis illa verba Christi: *Hoc est corpus meum*, κατὰ τὸ ῥητὸν accipiat, non κατὰ διάνοιαν sacramentalem. Idem elenchus committitur, cùm verba sunt dubia, & accipiuntur tanquam clara. In hoc casu ea sententia præferenda est, quæ ad subjectam materiam propiùs accedit, & per quam evitatur absurdum, juxta regulam: *Ex pluribus interpretationibus illam præferre oportet, per quam evitatur absurdum.* 7. *Cùm testimonium humanum nullis suffultum rationibus, imò contra rationes manifestas adfertur:* ut, cùm privata unius vertiginosi hominis à publicâ Ecclesiarum ve-

rarum cõfeſſione diſſentiens, opinio omnibus Eccleſiis tanquam oraculum obtruditur; vel cùm libertas philoſophica eripitur homini libero, dum ille faſcinatur authoritate alicujus philoſophi. 8. *Cùm vetus lex vel cõſtitutio adhibetur, quæ per novam eſt abrogata.* Nam poſteriores cõſtitutiones ſunt potẽtiores prioribus, ſeu, Poſteriora jura derogant prioribus. 9. *Cùm quòd plures dicunt ſine ratione, imò contra rationem, præfertur illi, quod pauciores dicunt rationabiliter.* Quod major pars definit (vulgo dicitur) præferendum eſt definitioni minoris partis. Hoc non eſt verum univerſaliter. Nam multitudo errantium non parit errori patrocinium. Tum demum valet, quando plures & ii quidem ſapientiores certis rationibus perſuaſi aliquid ſtatuerunt. 10. *Cùm vetuſtas ita amatur & obtruditur, ut non liceat in illam inquirere.* Hìc teneatur regula: *Error vetuſtatis* (qui evidenter oſtendendus eſt) *non præjudicat veritati.* 11. *Cùm ab authoritate cõcluditur negatè:* ut, Galenus nihil ſcripſit de morbo Gallico. E. hic morbus nõ eſt. Veteres Geographi nihil ſcripſerũt de antipodib. vel novo orbe. E. antipodes & novus orbis non ſunt. Non valent hę argumentationes. At hoc ſequitur: Nuſpiã in ſcripturis legimus, nos juſtificari corã Deo operibus legis. E. non juſtificamur operibus legis. Rurſus hoc non ſequitur: Non leguntur in N.T. infantes Chriſtianorũ eſſe baptizati. E. non fuerunt baptizati. Ratio petenda eſt ex hoc canone: *Non ſcriptũ ejus qui potuit, voluit, debuit, ſcivit ſcribere, vim & robur habet teſtimonii negando: ejus autẽ qui vel non potuit, vel noluit, vel nõ debuit, vel neſcivit, vim nullam habet negando.* Sic veteres nihil ſciverunt de novo orbe. E. illorum teſtimonium non eſt aptum ad negativè concludendum. Apoſtoli nihil ſcripſerunt de baptizatis infantibus Chriſtianorum; quia noluerunt. Noluerunt, quia non opus fuit hiſtoricè illa perſequi, cùm manifeſta dicta reliquerint, è quibus diſcere poſſumus quid facto ſit opus. 12. *Cùm contra teſtimoniũ ſenſuum externorũ, itemq; conſcientiæ, aliquid aſſeritur:* ut, cùm Papiſtæ in Euchariſtiâ panẽ & vinũ quoad ſubſtantiam aboleri aſſerunt; quæ tamen videtur, palpatur, guſtatur. Sic cùm Epicuréi quidã negant eſſe Deũ, contra quàm dictat conſcientia. 13. *Cùm teſtimoniũ mutuum rejicitur ſimpliciter:* id quod non rectè fieri vel exinde patet, quòd

quòd Johannes Christo testimonium dedit, & Christus vicissim Johanni. Itaque mutuum testimonium non est rejiciendum, quando utramque personam fide dignam esse constat.

Cap. 8. Fallacia prædicamentorum.

FAllacia argumentorum propriorum est circa prædicamenta. Fallacia prædicamẽtorum.

Hîc in genere committitur fallacia,

1. *Cùm res in prædicamento esse dicitur, in quo non est:* ut, justus in prædicamento substantiæ. 2. *Cùm dicitur esse in prædicamento ratione materialis, ubi spectandum est formale, tanquam principale, à quo fit denominatio:* ut, cùm testudo, quâ testudo, collocatur in prædicamento substantię, quę ratione figuræ est in prædicamento qualitatis. 3. *Cùm aliquid dicitur esse in prædicamento directè, per se & primariò, quod nonnisi analogicè, secundariò, per accidens, & reductivè est in prædicamento:* ut, cùm Deus dicitur esse in prædicamento substantiæ directè, Cerberus in prædicamento aliquo per se &c. Vide hâc de re suprà *lib. 3. c. 1. canones sex ad finem.*

In specie fallacia hujus loci est,

I. Substantiæ:

1. *Cùm quæ ipsi competunt ratione accidentium, dicuntur ipsi convenire formaliter & essentialiter:* ut, cùm substantia substantiæ dicitur contraria, putà ignis aquæ, vel una substantia dicitur magis substantia quàm altera, ut Aristoteles magis homo quàm idiota. Hæc enim competunt substantiæ ratione qualitatum. 2. *Cùm accidens dicitur esse substantia:* ut, cùm locus ponitur in prædicamento substantiæ.

II. Accidentis.

1. *Cùm accidẽs confunditur cum adjuncto, ita ut habeantur pro synonymis:* ut, si quis dicat, Equus est adjunctũ respectu loci. E. equus est accidens. 2. *Cùm accidens prædicamentale confunditur cum prædicabili:* ut, cùm omniscientia Dei dicitur proprium, & sic colligitur: Proprium est accidens. At

omniſcientia eſt proprium Dei. E. eſt accidẽs. Hîc reſpondetur ad propoſitionem negando. Nam non omne proprium eſt accidens, ſcil. prædicabile. Nam ita propriũ diſtinguitur ab accidente. Deinde non omne proprium eſt accidens prædicamentale, ſed illud ſolùm, quod realiter differt à ſubjecto; qualis non eſt omniſcientia Dei. Item cùm quis ita colligit: Omne propriũ eſt accidens. E. Porphyrius malè diſtinxit proprium ab accidente. In hâc argumentatione itidem confunditur accidens prædicabile cum prædicamentali. Vide ſuprà *lib. 2. cap. 11.* 3. *Cùm accidens abſolutum confunditur cum reſpectivo, & contrà:* ut, cùm in S. Cœnâ non diſtinguitur actio à relatione: cùm fides juſtifica in negotio juſtificationis conſideratur tanquam habitus, ubi debet conſiderari σχετικῶς.

III. Quantitatis:

1. *Cùm quantitas extenſiva confunditur cum intenſivâ, & prædicamẽtalis cum tranſcendentali:* ut, Angelus eſt quãtus. Ergò eſt corporeus. Non ſequitur: quia Angelus non eſt quantus quantitate prędicamenti. Sic nec ſequitur: Eruditio Johannis non eſt tanta, quanta eſt eruditio Petri. E. eruditio eſt res ſenſilis. Ratio: quia eruditio recipit quantitatẽ intenſivam ſeu virtutis, non extenſivã ſeu molis. 2. *Cùm ſoli quantitati tribuitur actio:* ut, cùm major lapis dicitur magis premere, quàm minor; cùm medicamentũ dicitur diverſimodè operari pro diverſitate doſis & ponderis; & utrumq; adſcribitur quantitati. Non enim quantitas, quæ eſt ignava, utpote fluens ab ignaviſſimo ente, nimirùm materiâ, aliquid virium habet, ſed quatenus eſt inſtructa variis qualitatibus, ut lapis ratione gravitatis majoris vel minoris, medicamentum ratione qualitatum coagmẽtatarum ſeu unitarũ dicitur vehementer operari. Huc facit illud: *Virtus unita eſt fortior diſperſa.* Numero tamen & lapidi, videl. limiti, tribuitur vis ſeu valor, ſed ἐκθέσεως, *ex inſtituto.*

IV. Qualitatis:

1. *Cùm diſpoſitio vel δύναμις φυσικὴ confunditur cum habitu ſic ἐξαιρέτως dicto:* ut, Eſt homo. E. doctus eſt literas. Iſte puer tenet rudimenta Grãmatices. E. eſt doctus. Hoc nõ ſequitur niſi contingenter. At hoc ſequitur: Eſt homo. E. poteſt doce-

test doceri, vel discere literas. 2. *Cùm habitus ex unâ actione concluditur:* ut, Adolescens ille benè disputavit de syllogismo. E. est bonus disputator. 3. *Cùm naturalia cum artificialibus cõfunduntur:* ut, Est Logicus naturâ. E. non opus habet arte Logicâ. Faber ferrarius fecit malleum. E. ars produxit substantiam.

V. Actionis:

1. *Cùm actio transcendentalis confunditur cum prædicamentali:* ut, cùm creatio mundi, vel generatio illa æterna, dicitur accidens ex eo, quòd utraq; est actio. 2. *Cùm actio naturalis confunditur cum voluntariâ:* ut, Ille non disputavit in convivio. E. non est doctus.

VI. Passionis:

1. *Cùm passio dicitur, quæ non est:* ut, Filius Dei est genitus à Patre. E. est passus à Patre. 2. *Cùm passio perfectiva non distinguitur à defectivâ:* ut, Pati est malum. E. & erudiri.

VII. Relationis:

1. *Cùm relatio transcendentalis confunditur cum prædicamentali, exquisita cum minùs exquisitâ &c.* ut, cùm respectus personales inter personas SS. Trinitatis examinantur ad canones hujus prædicamẽti: & cùm actio & passio dicuntur relata exquisita. 2. *Cùm materiale à formali, fundamentũ à subjecto non distinguitur &c.* ut, Ille cœpit esse pater ante duos menses. E. & tum cœpit esse homo. Sic cùm paternitas dicitur fundari in substantiâ, committitur hic elenchus. Nam paternitatis subjectum est substantia, videl. homo: at fundamentum est accidens absolutum, quo interveniente relatio inest substantiæ; ut hoc in loco est qualitas, videlicet δυώαμις καὶ ἐνέργεια seu vis generandi. Nam ob hanc paternitas inest homini.

VIII. Prædicamentorum minùs principaliũ, Quando, Ubi, Situs & Habitus; cùm prędicamentum Quando confunditur cum Tẽpore, Ubi cum Loco, Situs cum Ubi, Habitus cum quartâ specie qualitatis.

V.g. non tempus, sed temporeum esse; non locus, sed locatum esse; non tunica, sed tunicatum esse &c. sunt in his prędicamentis. Temporeũ esse ad Quando; locatũ esse ad Ubi; tu-

nicatum esse ad prædicamentum habitus spectat. Vide suprà *lib.3.cap.ult.*

Cap.9. Fallacia definitionis.

FAllacia circa argumenta complexa sequitur: Estque horistica, vel meristica.

Fallacia horistica, seu definitionis est:

1. Cùm definitio nominalis habetur pro reali: ut, Catechismus est puerilis institutio. Non est λόγος οὐσίας, sed ὀνοματώδης. *2. Cùm definitio nominalis habetur quæ non est:* ut, Nathan propheta Davidem regem adoravit. E. religiosè invocavit. Hîc major est omissa, quæ nititur falsâ definitione nominali adorationis; quasi videlicet, adorare sit religiosè invocare; cùm vel more Persico significet prostrato corpore venerari; vel nostro, genu flexo aut aperto capite honorare; quæ dicitur adoratio civilis, ad distinctionem religiosæ. *3. Cùm à legibus definitionis realis aberratum est*; ubi præcipuæ fallaciæ sunt.

1 Cùm non adhibetur verum genus aut propinquum: ut, cùm Ethica definitur species philosophiæ practicæ. Vox *species* non est adhibenda in definitione.

2 Cùm non adhibetur vera differentia: ut, bellum est quod non est pax.

3 Cùm non convenit omni: ut, homo est animal mortale bonis literis tinctum. Tum dices, est angustior definito.

4 Cùm non convenit soli: ut, homo est animal bipes. Hîc dices, est latior definito.

5 Cùm non reciprocatur, seu cùm non est conversim vera: ut, homo est animal. Hîc dices οὐκ ἔστιν ἴδιος λόγος.

6 Cùm constat tropis obscuris & insolentibus: ut, homo est pleonasmus totius mundi. Hîc dices οὐ μανθάνω, *non intelligo*, ἀσαφής ἐστιν ἑρμηνεία.

7 Cùm constat verbis non satis aptis: ut, philosophia est habitus miscellaneus disciplinarũ. Hîc dices, τὸ παρὰ λόγον.

8 Cùm constat non necessariis: ut, homo est animal rationale quod potest ambulare. Hîc dices, ὁ λόγος πλεονάζει, definitio est nugax: vel, ὁ λόγος ἐλλείπει: ut, homo est animal quod discere potest literas.

9 *Cùm*

9 *Cùm definitum ingreditur definitionem:* ut, Litera est minima pars vocis è literis compositæ.

10 *Cùm in definitione notionis primæ ponitur notio secunda:* ut, Animal est genus hominis & bestiæ.

11 *Cùm negativæ sumuntur definitiones, ubi haberi possunt affirmativæ:* ut, Dies est quando non est nox.

12 *Cùm descriptio habetur pro definitione perfectâ:* ut, Deus est spiritus simplex, immutabilis &c. Ad summam: Elenchus falsæ definitionis est, cùm leges horisticæ violantur, de quibus suprà *lib.4.*

Cap. 10. Fallacia distributionis.

Fallacia meristica, seu distributionis, sequitur. Estque

1 *Cùm partes distributionis inter se non dissentiunt:* ut, Corpus est mixtum vel sentiens.

2 *Cùm partes non consentiunt cum suo toto:* ut, Substantia est bona vel mala; ens est verum vel falsum. Nam malitia & falsitas metaphysicè acceptæ non cadunt in substantiam & ens, imò ne Ethicè quidem. Sed hæc res altioris est indaginis.

3 *Cùm pars in genere numeratur:* ut, Animalium aliud est rationale, aliud irrationale, aliud bos. Bos non est genus animalium, sed species seu pars subjectiva eorum, quæ sunt ἄλογα.

4 *Cùm genus in parte numeratur:* ut, Voluptas est vel gaudium, vel delectatio, vel lætitia. Nam gaudii & delectationis voces aut latiùs patent quàm voluptas, aut æquè latè.

5 *Cùm distributio fit in partes remotas:* ut, cùm corpus hominis dividitur in quatuor elementa, cùm membra corporis sint partes illius proximæ. Sed quid multis? Fallacia distributionis est, cùm leges meristicæ violantur, de quibus suprà *lib.5.* Existimas me hîc ταυτολογεῖν? Ego non existimo. Vide caput sequens in fine.

Cap. 11. Fallacia axiomatis.

Fallacia axiomatica.

FAllacia axiomatica sequitur, quę est circa axiomatis partes, species & communes affectiones. Circa partes axiomatis est fallacia:

1. Cùm subjectum habetur pro prædicato, & contrà: ut, Deus erat ille sermo; omnia sunt bona quæ Deus fecit. Si hîc τὸ *sermo* habeatur pro prædicato, item *quæ Deus fecit*, est talis fallacia. *2. Cùm prædicatum non differt à subjecto*: ut, hortus est hortus.

Circa species axiomatis est fallacia:

1. Cùm axioma affirmatum habetur pro negato: ut, Deus potuit non creare mundũ; Qui non potest mutari, est Deus. *2. Cùm axioma verum habetur pro falso, vel falsum pro vero*: ut, cùm hoc habetur pro falso à Socinianis, Deus necessariò punit peccatum; & hoc ab iisdem pro vero, Christus est mediator non merito, sed doctrinâ & exemplo. *3. Cùm axioma per accidens verum & falsum, sumitur ac si per se tale esset*: ut, Evangelium est odor mortis ad mortem. Hoc est verum per accidẽs. Non igitur pro vero per se habendum. Homo est doctus; est axioma per accidens verum. Ergò non est habendum pro vero per se. *4. Cùm axioma secundùm quid verum aut falsum sumitur, ac si simpliciter tale esset*: ut, Vetus Testamentum est abrogatum; Christus est minor Patre; Voluntas congruens cum voluntate Dei est bona; Quod nõ amisisti, illud habes. Hæc sunt axiomata vera, sed limitatè seu secundùm quid. Non igitur accipienda sunt simpliciter. Ita secundùm quid vera sunt axiomata metaphorica & synecdochia; ut, Herodes est vulpes, homo est intelligens. *5. Cùm axioma simplex habetur pro composito, & contrà*: ut, Generatio fit in momẽto nõ successivè. Est axioma simplex, non compositũ. Deus est immutabiliter bonus. Est axioma simplex, non compositum. Neq; enim illius sensus est: Deus est immutabilis & bonus. *6. Cùm violantur leges copulationis, connexionis, discretionis & disjunctionis axiomaticæ*; de quibus *lib. 6. cap. 4.* *7. Cùm dissentanea affirmando, & consentanea negando disponuntur*: ut, homo est horologium; homo

homo non est conditus ad imaginem Dei. *8. Cùm axioma purum cum modali confunditur*: ut, homo est doctus; & necessum est hominē esse doctum; cùm hæc duo habentur pro æquipollentibus. *9. Cùm particulare habetur pro universali*; ut, homo est doctus: si hoc habeatur pro universaliter vero. *10. Cùm infinitum axioma habetur pro negato*: ut, corpus non-quantum est non-corpus. Hoc axioma est infinitum; proinde affirmatum.

Fallacia circa communes axiomatis affectiones est:

1. Cùm axioma ampliandū, accipitur pro restricto: ut, Cor regis est in manu Dei. Hoc non ad reges restringendū est, sed extendendum ad omnes omninò homines. *2. Cùm axioma crypticum habetur pro non-cryptico*: ut, Omnes principes, qui tyrannidem exercent in suos subditos, Deo sunt abominabiles. Hoc axioma est crypticum; quia aliquid accessit partibus essentialibus. Id nisi observetur, haberi possit pro composito. *3. Cùm axiomata æquipollentia habentur pro diversis*: ut, homo loquitur, hic homo loquitur; sunt axiomata æquipollentia. Sic & hæc: Deus non potest non punire peccata, Deus necessariò punit peccata. Sed ut paucis multa complectar: Fallacia axiomatis est, cùm violantur ea, quę de partibus, divisione, oppositione, crypsi &c. axiomatis dicta sunt. Tautologiæ notam hîc mihi impingis? Quæso considera illum canonem: Contraria juxta se posita clariùs elucescunt.

Cap. 12. Fallacia syllogismi.

SIc est fallacia noëtica: sequitur fallacia dianoëtica, eaque syllogistica & methodica. Fallacia syllogismi.

Fallacia syllogistica est, quæ committitur circa dispositionem syllogisticam.

Hîc solummodò illæ fallaciæ tradendæ sunt, quæ cōmittuntur circa consequentiam ἰδιαίτατα, id est, *propriissimè dictam*, hoc est, syllogisticā seu formalem. Nam libro sequenti dicemus de fallaciis, quæ fiunt circa syllogismum ratione materiæ.

Fallacia ſyllogiſmi eſt vel perfecti, vel imperfecti ſyllogiſmi.

Fallacia ſyllogiſmi perfecti eſt, vel ob figuræ, vel ob modi neglectionem.

Suprà diximus, quòd forma ſyllogiſmi conſiſtat in legitimâ deductione ſeu dianœâ ſyllogiſticâ; quodque illa contineat certam figuram & modum. Figura conſiſtit in medii diſpoſitione legitimâ: modus in juſtâ contemperatione enunciatorum ratione quantitatis & qualitatis. Sic igitur ſtatuas, præter tres illas figuras κατ' ἐξοχὴν ſic dictas, ſyllogiſmum hypotheticum & disjunctum etiam vocari debere figuras, & in utrâque illâ figurâ certos eſſe modos. Sic Ramus connexum facit duorum modorum itemq; disjunctum. Verùm quia hæ duæ ſyllogiſmi ſpecies vulgò cenſentur imperfectæ, inde factum eſt, ut figuræ & modi vocabulum ἐξοχῇ quâdam tribueretur ſimplici ſyllogiſmo.

Fallacia ob neglectionem figuræ eſt, cùm figura vel prorſus nulla eſt, vel tantùm apparens. *Dici poteſt* fallacia figuræ ſyllogiſticæ.

Eſtque ex terminorum vel exceſſu, vel defectu.

Fallacia ex terminorum exceſſu eſt, cùm ſunt quatuor vel etiam plures termini.

Eſtque vel expoſitionis terminorum, vel vitioſæ ſubſumtionis fallacia. *Nam ex hiſce duobus oriuntur quatuor vel plures termini.*

Fallacia expoſitionis terminorum eſt, cùm terminorum eſt vitioſa expoſitio:

Ut, Epiſcopus eſt ſacerdos. Aſinus eſt epiſcopi. E. aſinus eſt ſacerdos. Huc etiam refertur vitioſa ſuppoſitio termini diſparati: ut, Cœlũ non eſt terra. Deus eſt rex cœli. E. non eſt rex terræ. Hîc vitioſa eſt ſuppoſitio medii termini *cœlũ*, unde quinque exiſtunt termini, Cœlum, terra, Deus, rex cœli, rex terræ. At enim, inquis, valet hoc, quia valet iſtud. Cœlum non eſt terra. Enoch eſt in cœlo. E. non eſt in terrâ. Item: Auſtria eſt extra Hungariam. Matthias Imperator eſt in Auſtriâ. E.

ſtriâ.E.

striâ. Ergò Matthias Imperator est extra Hungariam. Resp. Conclusio rectè infertur, non vi & necessitate formæ, sed vi materiæ: vel quia hic syllogismus est potestate geminus, seu syllogismi sunt duo crypticè involuti.

Fallacia vitiosæ subsumtionis est, cùm in minore assumitur terminus extraneus:

Exempli gratiâ, Nemo nascitur artifex. Pistor est artifex. E. pistor non est natus. Sunt quatuor termini, homo, nascitur artifex, pistor, artifex, natus est.

Fallacia ex defectu terminorum, est vel subsumtionis non integræ, vel nugationis.

Fallacia subsumtionis non integræ est, cùm assumtio omittit termini in majore positi expositionem, vel, si mavis, limitationem.

Ut, JCtis peritis est habendus honos. Rabulæ sunt jurisperiti. E. rabulis est habendus honos. Item, Medici periti præferendi sunt JCtis. Parabolani sunt medici. E. parabolani præferendi sunt JCtis. Nota obiter, *parabolanos* hîc dici, qui grassante morbo aliquo contagioso, ut peste, contemtâ vitâ ægrotis serviunt.

Fallacia nugationis est, cùm idem terminus pro alio repetitur. *Dicitur* petitio principii; *item* cantus cuculi:

Ut, Cuculus cuculat. Coccyx est cuculus. E. coccyx cuculat. Vel, Cuculus coccyssat. Cuculus est cuculus. E. cuculus coccyssat. Sic: Si conventio facta est, facta est. At facta est. E. facta est. Item: Quod perpetuum est, immortale est. Anima est perpetua. E. immortalis est. Item, Quod summum habet calorem, est summè calidum. Ignis habet summum calorem. E. ignis est summè calidus. Item: Si animal rationale habet optimum tactum, homo habet optimum tactum. At animal rationale habet optimum tactum. E. & homo. In his exemplis non est verè medium; quia idem per idem probatur, contra regulam: *Aliud probatur per aliud.* Interim conclusiones veræ sunt; videl. materialiter, non formaliter. Non enim hîc est bonum medium

Fallacia ſyllogiſmi ob neglectionem modi eſt, cùm ſyllogiſmus eſt nullius modi.

Exiſtit autem hæc fallacia ex quantitate vel qualitate vitioſâ. Ex quantitate, cùm enunciatio communis pro ſpeciali, ſeu univerſalis pro particulari, aut contrà, eſt poſita. Ex qualitate, cùm enunciatio affirmans pro negante, aut contrà eſt poſita. Poteſt autem hæc fallacia dici *fallacia modi ſyllogiſtici*, ſeu *non-modi ut modi*.

Eſtque in ſyllogiſmo vel ſimplici, vel compoſito.

Nam hæc fallacia non habet locum in ſyllogiſmo imperfecto, niſi quatenus ille ad perfectum reducitur.

Fallacia ſyllogiſmi ſimplicis. Fallacia modi in ſyllogiſmo ſimplici eſt:

1. *Cùm ex puris negativis concluditur:* ut, Nullus infidelis placet Deo. Nullus verè Chriſtianus eſt infidelis. Ergò nullus verè Chriſtianus placet Deo. 2. *Cùm ex puris particularibus concluditur:* ut, Quidam reges ſunt prudentes. Midas eſt rex. Ergò Midas eſt prudens. Peripatetici hîc dicunt; Non adeſt dictum de omni, ſeu, Major in primâ figurâ non eſt univerſalis. At ex ſingularibus concluditur: ut, Abraham fuit juſtificatus fide abſque operibus legis. Abraham fuit peccator. Ergò, quidam peccatores juſtificantur fide abſque operibus legis. 3. *Cùm major in primâ & ſecundâ figurâ eſt particularis:* ut, Quidam peccator eſt electus ad vitam æternam. Omnis homo eſt peccator. Ergò omnis homo eſt electus ad vitam æternam. Item: Quidam baptizatus credit. Nullus reprobus credit. Ergò nullus reprobus eſt baptizatus. 4. *Cùm in tertia figurâ concluditur univerſaliter:* ut, Quidam baptizatus eſt infidelis. Omnis baptizatus eſt membrum Eccleſiæ. Ergò omne membrum Eccleſiæ eſt infidele. Interdum quidem eſt concluſio univerſalis, cùm major eſt reciproca: ſed illi ſyllogiſmi habent crypticam figuræ primæ diſpoſitionem: ut, Omnes verè fideles ſunt inſiti Chriſto. Omnes verè fideles manducant carnem Chriſti. Ergò omnes qui manducant carnem Chriſti, ſunt inſiti Chriſto. Hic ſyllogiſmus concludit vi primæ figuræ: ut, Omnes verè fideles ſunt inſiti Chriſto. Omnes qui manducant carnem Chriſti, ſunt verè fideles. Ergò omnes

omnes qui manducant carnem Chriſti, ſunt inſiti Chriſto. 5. *Cùm in ſecundâ figurâ concluditur affirmatè*, ſeu cùm puræ ſunt affirmativæ; ut, Omne brutum eſt animal. Omnis homo eſt animal. Ergò omnis homo eſt brutum. Item: Omnis ſervus eſt in poteſtate. Omnis filius eſt in poteſtate. Ergò omnis filius eſt ſervus. Interim cùm major eſt converſim ſeu reciprocè vera, aliquid infertur affirmatè. Sed hoc fit vi materiæ. Habent enim hi tales ſyllogiſmi crypticam diſpoſitionem figuræ primæ: verbi gratiâ, Qui ſunt ex Deo, verbum Dei audiunt. Oves Chriſti verbum Dei audiunt. Ergò oves Chriſti ſunt ex Deo. In primâ figurâ ſic formatur: Qui verbum Dei audiunt, ſunt ex Deo. Oves Chriſti verbum Dei audiunt. Ergò oves Chriſti ſunt ex Deo. 6. *Cùm minor in figurâ primâ eſt negans:* ut, Ridere eſt hominis. Loqui non eſt ridere. Ergò loqui non eſt hominis. Interdum tamen minor κατὰ λέξιν eſt negans, quæ rectè vocatur *affirmans infinitans*. Hoc accidit, cùm ſubjectum majoris additam habet particulam negandi: ut, Qui non credunt, jam ſunt condemnati. Hæretici non credunt. Ergò hæretici jam ſunt condemnati. Sed & minor interdum reverâ eſt negans, cùm major eſt reciproca: ut, Omne corpus definitur loco. Nullus ſpiritus eſt corpus. Ergò nullus ſpiritus definitur loco. 7. *Cùm in tertiâ figurâ minor eſt negans:* ut, Omnis leo eſt animal. Nullus leo eſt homo. Ergò nullus homo eſt animal. Item: Ebrietas eſt turpis. Ebrietas non eſt audacia. Ergò audacia non eſt turpis.

Fallacia modi in ſyllogiſmo compoſito, eſt vel in connexo, vel disjuncto.

Fallacia modi in ſyllogiſmo compoſito connexo eſt vel in conſtructivo, vel in deſtructivo. Fallacia ſyllogiſmi connexi.

Quid ſibi velint hi termini, notum eſt è *l. 7. de ſyllogiſ.* Conſtructivus habet hypotheſin conſtruentem, deſtructivus deſtruentem.

Fallacia in ſyllogiſmo conſtructivo eſt cùm fit progreſſus à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis:

Ut,Si est homo,est animal. Sed est animal. E. est homo. Hic connexus nullius est modi. Nam in connexo constructivo non ponitur, hoc est,affirmatè assumitur,consequens, ut ponatur, id est, affirmatè concludatur antecedens. Ratio:quia syllogismi compositi ii duntaxat boni sunt,qui possunt reduci ad simplices. At hic paralogismus reductus ad secundam figuram,gignit meras affirmantes:ut,Omnis homo est animal.Hoc est animal. E. est homo. Hæc enim hypothesis, Si est homo,est animal;æquipollet huic universali affirmativæ:Omnis homo est animal. Æquipollet,inquam, vel certè in eâ fundatur, & ex eâ deducitur bonâ seu firmâ consequentiâ. Interim in propositionibus reciprocis hoc ipsum fit,videl. ponitur consequens,ut ponatur antecedens: ut,Si est equus,hinnit. At hinnit. E.est equus.

Fallacia in connexo destructivo est, cùm fit progressus à destructione antecedentis ad destructionem consequentis:

Ut,Si est homo,est animal. Sed non est homo.E. non est animal. Hîc connexus nullius est modi. Nam in connexo destructivo non tollitur seu destruitur, hoc est,negatè assumitur antecedens,ut negatè concludatur consequens. Ratio:quia talis paralogismus reductus ad primam figuram, habet minorem negatam:ut,Omnis homo est animal. Hoc non est homo. E.hoc non est animal. Interdum tamen tollitur antecedens, ut tollatur consequens;nempe cùm major propositio est reciproca:ut,Si ex mundo essetis,mundus vos amaret. Atqui ex mundo non estis. Ergò mundus vos non amat.Hoc exemplum solent vulgò adferre ex *Johan.15.v.19.* Sed non videtur syllogisticum esse,si quis verba Christi probè consideret. Et quæstio,quæ in isto exemplo concluditur, non est dubia,sed manifesta:ac proinde non indiget ullâ probatione. Sed in eodem capite vers.22.est hujusmodi syllogismus: Si non venissem,& locutus essem eis,peccatum non haberent. Nunc autem veni & locutus sum eis. E.peccatum habent. Talis syllogismus formari quoque potest è posteriori connexo versiculi 20. Quanquam hi syllogismi peccant in formâ, quia tollunt antecedens, ut tollant consequens: tamen boni sunt potestate: quia fieri possunt boni, si propositio

positio convertatur. Tunc enim tollent consequens,ut tollant antecedens.

Hisce duobus modis fallaciæ in syllogismo connexo alii adjiciunt hosce duos:

Sed non rectè. Cùm enim duo duntaxat sint modi connexi legitimi,totidem erunt modi illius illegitimè dispositi. Vide dissentientem *Zabarellam in tab.logic.*

Fallacia in syllogismo disjuncto fit duobus modis: Fallacia syllogismi disjuncti.

1.Cùm fit progressus à positione primi ad positionem secundi:ut,Aut dies est,aut non est dies.At dies est.E.non est dies. Hîc respondetur, conclusionem ex disjunctorum lege sic esse inferendam: Ergò non est non dies,hoc est,non est verum,non esse diem. Debet enim hîc procedi à positione primi ad destructionem secundi. *2.Cùm fit progressus à positione secundi ad positionem primi:* ut,Aut dies est,aut non dies est.At non dies est. E. dies est. Consecutio hîc neganda. Nam conclusio debebat esse negata: E. dies non est.Assumtio enim eadem est cum hâc:At nox est.

Fallacia syllogismi imperfecti fit sex modis.

I. Enthymema vitiosum censetur,si antecedens sit falsum vel apertè,vel occultè;vel,si antecedens quidem sit verum, at consequentia falsa. Si antecedens sit apertè falsum,negatur simpliciter,nullâ factâ partis deficientis expletione,nisi majoris certitudinis causâ aliquis id facere velit, & nisi πρῶτον ψεῦδος sit in propositione omissâ. e.g. Petrus fuit Romæ episcopus. E.Papa Romanus est successor Petri. Respon. Antecedens est falsum. Deinde negari posset consequentia. Quòd si antecedens enthymematis sit occultè falsum,expleatur pars omissa,& postea respondeatur: ut,Deus habet brachium. E. est corporeus. Resp.Explenda est propositio major,& patebit quatuor hîc esse terminos. Si denique consequentia sit falsa,ostendatur vitium: ut,Regimen Ecclesiæ est monarchicum.E.in his terris est ille monarcha. Resp.Negatur consequentia. Non enim regimen Ecclesiæ dicitur monarchicum eò,quòd sit monarcha illius visibilis in his terris,sed ratione capitis invisibilis,quod est Christus. Hæc fallacia est frequentissima in recitandis dictis scriptu-

ræ: ut, Christo data est omnis potestas: *Matth.28*. E. humana Christi natura est ubique.

II. Inductio vitiosa censetur, cùm antecedenti opponi potest exemplum dissimile & repugnans, sed tamen verum, non vitiosum: ut, Athanasius fuit cœlebs, item Ambrosius, Basilius, Augustinus &c. fuerunt cœlibes. Ergò omnes episcopi fuerunt cœlibes. Resp. At proferri possunt dissimilia exempla eorum, qui non fuerunt cœlibes: ut Spiridonis, ut Nazianzeni patris, ut Polycratis, qui profitetur se octavum esse episcopum, natum ex majoribus episcopis.

III. Exemplum vitiosum censetur, cùm dissimilis est ratio exemplorum, quæ conferuntur; vel cùm exemplum in antecedente adductum, est falsum, aut contingens: ut, Abraham rectè fecit volens immolare filium Isaacum. E. & Agamemnon rectè fecit, quòd mactârit filiam Iphigeniam. Resp. nulla est consequentia, quia exempla sunt dissimilia. Sic: Jephtes sine mandato Dei immolavit filiam suam. E. & Agamemnon rectè fecit immolando suam. Resp. antecedens habet exemplum falsum. Nam Jephtes filiam suam non immolavit, sed tantùm Deo consecravit, ut in perpetuâ virginitate manens Deo serviret. Et verò si antecedens maximè verum esset, tamen nihil firmi inde posset inferri; quia legibus judicandum, non exemplis.

IV. Dilemma vitiosum judicatur, si vel detur medium inter cornua ipsius, vel alterū eorum, aut etiam utrumq; faciat contra adversarium; vel si assumtio sit falsa. e. g. Si Deus Pater gignit verum Deū, gignit aut seipsum, aut alium Deū. At neq; seipsum, ut conceditis. Neq; alium Deum; quia sic gigneret vel conditorem cœli & terræ, vel non. Non illud; quia verus Deus mundi conditor nonnisi unus est. Non hoc; quia Deus, qui non est conditor cœli & terræ, non est verus Deus. Resp. Dilemma est sophisticum, quia non est immediatum. Datur enim tertiū, hoc modo: Si Deus Pater gignit, aut gignit se ipsum, aut alium Deum, aut aliam personam.

V. Sorites judicatur vitiosus, si sint scopæ dissolutæ, & si fallacia aliqua sit commissa. Vide infrà *lib.10. c.14. tit. solutio multiplex:* & suprà *l.7.c.13.*

VI. Syllogismus inversus sæpe nobis imponit. Itaq; partes in ordinem naturalem redigantur, ut judicium sit liquidius:

ut, Nequa-

ut, Nequaquam dubitandum est, sanctos demortuos esse invocandos. Nam amicos Dei invocandos esse nemo negat. Sanctos autem demortuos quis ignorat esse amicos Dei? Resp. Syllogismus ille est inversus, cujus partes in ordinē sic sunt redigendæ: Amici Dei sunt invocandi. Sancti demortui sunt amici Dei. E. sancti demortui sunt invocandi. Resp. Major propositio est falsa; quia adoratio religiosa soli Deo debetur. At invocatio est adoratio religiosa. E. soli Deo debita.

Cap. 13. Fallacia methodi.

Fallacia methodica est, quâ methodus apparens pro rectâ obtruditur. Fallacia methodica.

Estque circa methodum universalem, vel particularem.

Circa methodum universalem est fallacia in disciplinis tradendis, quoad formam & materiam.

Fallacia circa formam est confusio, perissologia, & hiatus.

Confusio fit:

1. Cùm methodus synthetica confunditur cum analyticâ, vel contrà: ut, si Ethica disponatur methodo syntheticâ, & Geometria analyticâ. *2. Cùm specialia generalibus, particularia universalibus, propria communibus præponuntur:* ut, si in Ethicis doceatur de virtute ante felicitatem. *3. Cùm diversorum generum species vel affectiones inter se confunduntur:* ut, si affectiones syllogismi in Logicis misceantur cum affectionibus axiomatis.

Perissologia est non-necessaria ac tædiosa, imò perniciosa, prolixitas.

Hæc maximè accidit tautologiâ, h. e. eorundem intempestivâ & frequenti repetitione.

Hiatus est, cùm nulla est continuatio præceptorum, ubi esse debebat:

Veluti si post longam partis alicujus tractationem nulla adhibeatur transitio.

Fallacia circa materiam methodi eſt heterogeneia,& antilogia.

Heterogeneia eſt transitus in aliud genus diſciplinæ;

Cùm videl. diſciplinarum fines perturbantur:ut,ſi Metaphyſica cum Logicis confundantur.

Antilogia eſt,cùm in eodem ſyſtemate pugnantia & ſeipſa evertentia dicuntur.

Fallacia circa methodum particularem eſt,cùm vel ordo nullus obſervatur,vel ordo accuratus,qui ſolùm in diſciplinis habet locum:


Ut, ſi quis velit in oratione exquiſitiſſimam obſervare methodum.

Utrobique autem,tàm in methodo univerſali, quàm particulari, committitur fallacia fallaciarum,quando prudentia non eſt ſumma lex.

Abſolvimus ita doctrinam de fallaciis,quas tradidimus non eo fine, ut aliquis diſcat fallere, niſi πειραστικῶς; ſed ut Logicæ eruditæ ſtudioſus illas deprehendere & vitare poſſit. Typus hujus tractationis nobis claudat hunc librum penultimum.

METHO-

METHODUS LIBRI NONI DE FALLACIIS.



LOGICORUM LIBER DECIMUS ET ULTIMUS.

IN QUO

PARS SPECIALIS

De

USU INSTRUMENTORUM LOGICORUM.

Cap. I. *Logicæ specialis necessitas & distributio.*

PErsecuti sumus cum Deo partem Logicæ generalem: superest nobis pars specialis, quæ tradit modum benè disserendi in specie. *Vocatur à Keckermanno* Gymnasium Logicum, *itemq;* Logica specialis: *ab aliis* Critica.

Logica generalis exposuit instrumentorum Logicorum naturam, & (ut ita dicam) fabricam atq; architecturam. Specialis deinceps exponet rationem utendi instrumentis Logicis in cognoscendis & recognoscendis omnibus ac diversissimis rerum dissertabilium generibus.

Logicæ specialis præcognoscitur necessitas, & distributio. (sitate usus.

Necessitas Logicæ specialis dependet à neces-

Quòd si igitur evicero, usum Logices esse necessarium; patebit quàm necessaria sit Logica specialis. Nam si est usus Logices; ille considerandus erit vel in disciplinâ cujus est, vel extra disciplinam. Non hoc: quia quælibet ars sufficienter debet tradere media, quæ ad finem ipsius commodè & expeditè consequendum sunt necessaria. Jam autem Logices finis est tradere modum benè disserendi. Modus disserendi, proprium & adæquatum illud Logicæ subjectum, consideratur in genere vel in specie. E. ut sit finis cum subjecto, & u-

triusq;

triusq; cum Logicâ reciprocatio, ut ita loquar; tradenda erunt pręcepta de modo disserendi tùm in genere, tùm in specie. Ex his efficitur, specialia præcepta de Logicorum instrumentorũ applicatione esse immediatè subjicienda præceptis generalibus: quia alioqui mediorũ, quibus ad Logicæ finem cõtendimus, fieret divulsio. Hinc & illud efficitur, usum Logices à præceptis de usu esse distinguendum. Usus præceptorum Logicorũ separandus est ab ipsis præceptis de usu. Etenim usus ille est rationis functio, quâ præcepta artis animo comprehensa reb. extra artem cognoscendis opere ipso applicantur. Hunc usum Logica sibi non adscribit. Nam ille est cujusvis hominis eruditi, qui utitur Logicâ juxta pcepta generalia & specialia, effectũ. Deinde usus vel præcedit artem, vel sequitur. Quatenus præcedit, est causa efficiens artis. Nã

Per varios usus artem experientia fecit.

Sed quatenus artem sequitur, illius effectum est. Hic igitur usus non est pars artis, vel essentialis, vel integralis. At præcepta de hoc tali usu, omninò sunt pars artis. Nam sine iis ars non potest dici essentialiter perfecta; id quod vel inde colligere est, quòd non omnis qui cognita habet præcepta Logica, v.g. de syllogismo, statim dextrè illis uti potest. Requiritur igitur ut specialis superveniat præceptio de ratione utendi seu applicandi hoc instrumentum. Suprà vidimus, instrumentũ quodvis habere duo, videl. essentiam & actionẽ seu usum. Si dantur pręcepta de essentiâ seu naturâ v.g. testudinis, lyræ, mallei; etiam erunt tradenda præcepta de usu testudinis. Foret n. manca & imperfecta instrumenti cognitio.

Necessitas usus Logici comprobatur ratione, authoritate & exemplis. **Necessitas usus Logici.**

Ratio, quâ probatur usum Logices esse necessarium, sic habet.

Logica est habitus, prout consideratur in mente hominis. Habitus autem artificialis tribus acquiritur mediis, naturâ, institutione, & exercitatione. *Aristot. 3. Rhet. cap. 12. & 1. polit. 13.* ubi ait: Σπουδαῖοι γίγνονται διὰ τριῶν· τὰ τρία δὲ ταῦτ' ἐστι φύσις, λόγος, καὶ ἔθος. Cui σύμφωνα, sunt ea quæ *Plutarchus* habet *de institut.* ἡ φύσις ἄνευ μαθήσεως τυφλόν. ἡ μάθησις δίχα φύσεως ἐλλιπές· ἡ δὲ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν

ἀπελές. Ratio hujus est; quia natura facit habiles. Sed quia habilitas seu dispositio non sufficit, quippe quæ rudis est & imperfecta; secundo loco accedit institutio seu ars. Sed ne hæc quidem sufficit. Cùm enim actio sæpe iterata faciat habitum, omnino requiritur exercitatio juxta præscriptum artis. At exercitatio illa gubernatur normis non solùm generalibus, sed etiam specialibus. Atq; hinc distinctio Logices in generalem & specialem.

Authoritas, quâ usum Logices necessarium esse possumus probare, est tùm generalis, tùm specialis.

Generalis, est petita à dictis magnorum authorum illustribus, quæ de usu in genere loquuntur.

Philosophus *2. Ethic. cap. 1.* ait, οἷον οἰκοδομοῦντες οἰκοδόμοι γίγνονται, καὶ κιθαρίζοντες κιθαρισταί. Vetustus philosophus huic Aristotelis dicto succinit: ὁ λόγος, ait, ἄνευ ἔργων σαπρός: *Putridus est verborum apparatus sine opere.* *Tertullianus* dicit: *Non copia, sed usus.* Liceat & huc adscribere illud Francisci: *Tantum homo scit, quantum operatur.* Grammaticorum dictum est: *Purus Grammaticus* (qui scil. versatur in præceptis nudis) *est purus asinus.* Patres (citante Keckermanno) dixerunt; *Purus Logicus est purus hæreticus,* h. e. qui contentus nudâ speculatione, Logicâ non applicat rebus, in omni disciplinarum genere novas & absurdas excogitat opiniones. Notum est illud oratoris *pro Rabirio: Usus est optimus magister;* & præclarum illud Senecæ, epist. 6. *Longum ac difficile est iter per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Specialis authoritas est in specie de praxis Logicæ necessitate.

Communis ille Germaniæ præceptor Melanchthon *pag. ult. Dial. anno 1528 edita,* sic ait: *Meminerint adolescentes, ad hæc præcepta consuetudinem disputandi, & styli exercitium adhibendum esse. Ita fiet, ut perspiciant vim atq; usum præceptionum. Ut enim ridiculus faber foret, qui multos malleos compararet, nō ut iis uteretur, sed ut officinam copiosè instructā haberet; nec alium nosset ejus rei finem: ita sunt inepti, qui nullum existimant alium finem esse Dialecticæ, quàm ut habeant bibliothecam his libellis instructam. Producenda ars est ex scholâ in aciem, & ad magnas causas accommodanda. Idem*

agere

agere videtur is, qui non addit usum & exempla regulis, quod qui in tenebris egregiam picturam collocat. Keckermannus in *præfat. Logic. special.* ait: *Praxis artium intra artis ipsius methodum, atq; ut sic dicam, medullas hærere debet, non sejungi ab eâ, aut qualitercunq; assui velut mantissa quædam & appendix. Usus est ipsa ἐντελέχεια, ipse actus & perfectio, & velut forma artis.* Hîc non disputo, quàm rectè hoc dicatur, *usus est velut forma artis* (nam hyperbolicè hoc dictum esse existimo) sed usum Logices cōmendo verbis philosophi non infimæ classis. *Petrus Molin. in elementis Logicis* dicit, eos, qui multa præcepta Logica colligunt, & interim tamē ad constituendum Logicum opus non accedunt, similes sibi videri iis, qui multos malleos aut forcipes coëmunt, & interim nihil habent, quod incudant aut evellant. *Keckerm.* ait, sibi hos tales similes videri iis, qui multos loculos aut marsupia coëmunt, & nihil habent numorum, quod recondant.

Exempla vocamus hoc loco διατύπωσιν & commemorationem illorum, qui Logicam exercuerunt omni fermè seculorum memoriâ.

Hîc igitur historia usus Logici, de periodis & conversionibus fuerit texenda. Historia usus Logici.

Usus Logicæ consideratur in veteri & novo Testamento.

In veteri Testamento consideratur secundùm quatuor potestates, patriam, judiciariam, regiam & sacerdotalem.

Tempore potestatis patriæ viguit exercitium Logicæ naturalis. 1. In inventione disciplinarum realium, Astronomiæ, Geometriæ, Physicæ. Et quidem hoc inveniendi exercitium heroïco isti mundi seculo maximè conveniebat. *2. In consideratione visionum & oraculorum divinorum. 3. In dexteritate docendi filios & posteros.* Hâc de re videris apud Josephum, Polydorum Virgilium, Guidonem Fabricium, & cæteros, qui testantur, ex familiâ patriarcharum, inprimis Abrahami, exercitia Logica & constitutiones omnium penè disciplinarum devenisse ad vicinas gentes, nempe Ægyptios & Phœnices, à quibus deinde in Græciam & Italiam, quasi

quodã mercimonio devectæ sunt. Et hoc exercitium hujus periodi promoverũt & juverunt quatuor ista: 1. Longævitas. 2. Firmissima valetudo. 3. Judiciũ vegetũ. 4. Firma memoria.

Tempore potestatis judiciariæ Logicam cumprimis exercuerunt Moses, qui tinctus fuit omni sapientiâ Ægyptiorum, *Aharon & Levitæ.* Taceo scholas Sacerdotum ac Levitarum, in quibus indubiè Logica fuit exculta & expolita.

Tempore potestatis regiæ in Logicis excelluerunt Prophetæ, qui instituerunt Scholas, *Salomon, Chaldæi, Daniel, Magi Persarum, Pythagoras, ejusq; discipuli*, qui usum Logicæ singularem habuerunt in Mathesi.

Tempore potestatis Sacerdotalis apud Judæos *Logicam excoluerunt Ezra, Nehemias, & viri Sanhedrin: apud Ethnicos, Socrates, Plato, Stoici, Aristoteles, Cicero, Galenus, Alexander Aphrodisæus, Themistius, Simplicius, Philoponus, & Græci Aristotelis interpretes*, qui usum Logicæ Analyticum cumprimis sectati sunt.

Usus seu praxis Logices in N. T. consideratur quoad Ethnicos, & Christianos.

Christianorum duntaxat catalogum texere fert animus.

Ii sunt, vel veteres, vel recentiores.

Veteres sunt Doctores, vel Ecclesiastici, vel Scholastici.

Ecclesiastici, qui dediti fuerunt exercitio Logico, *sunt vel Græci, vel Latini. Græci*; ut, *Justinus Martyr, Athanasius, Damascenus*, qui Logicam in disputando præcipuè exercuerunt; *Basilius, Chrysostomus*, qui Logicæ artis usum in oratoriâ facultate inprimis posuerunt.

Inter Latinos excellit Augustinus, qui in vocum examine & distinctione est industrius, in rerum generibus investigandis, definitionibus ac divisionibus texendis dexter, in proprietatibus rerum exquirendis ingeniosus, in causis investigandis solers atq; acutus, in rerum collocationibus circumspectus, inq; oppositionibus perspicax: ut ait *Erasmus*.

Scholastici Doctores sunt, qui de Theologicis & Philosophicis materiis in Scholis docuerunt: quid illi præstiterint in usu Logicæ, monendum.

Tres sunt eorum ætate, computante Danæo *in comment. in Lombardum.* *Vetus*

Vetus Scholastica incepit anno Domini 1000, usq; ad annum 1220, adeoq; duravit per annos 200. Hi Logicam exercuerunt collectione dictorum, quæ apud Patres occurrunt, & Analysi librorum Petri Lombardi.

Media Scholastica cœpit ab anno Christi 1220, & duravit usq; ad Durandum, qui claruit anno Domini 1350. Hâc ætate usus Logices præcipuus fuit positus in resolvendo textu Aristotelis, & in disputationibus in utramq; partem, pro & contra, ut loquuntur. Hujus ætatis præcipui scriptores fuerunt *Albert. Magnus, Thomas Aquinas, Joan. Duns, Occamus &c.*

Tertia Scholasticorum ætas est ab anno Christi 1330 usq; ad tempora Lutheri, hoc est, annum 1517: cujus periodi tempore magnæ doctrinæ theologicæ & philosophicæ, & plus quàm Cimmeriæ, tenebræ invaluerunt, præsertim in Logicis. Et hæc quidem de Scholasticis dicta sunto, quorum doctrina 400 & ampliùs annis Scholas totius Europæ possedit.

Venio ad Logicos practicos recentiores, qui vel Peripatetici tantùm, vel Raméi tantùm, vel neutri.

In Peripateticis Logicam exercuerunt resolvendo, commentando, emendando, Erasmus Roterodamus, Ludovicus Vives, Melanchthon, Jodocus Willichius, Johan. Sturmius; & inter theologos Lutherus, Zwinglius, OEcolampadius, Capito, Bucerus, Bullingerus, Calvinus, Martyr, Ursinus, Sadeel, Zanchius, Danæus, & alii, qui ob summam artis Logicæ peritiam adversariis formidabiles extiterunt.

Raméi, qui usum Logices ostenderunt, maximè in analysi, sunt Freigius, Schönerus, Snellius, & alii.

Neutri sunt, qui utramq; Logicam, Aristotelis & Rami conjungunt, viri optimi & eruditissimi, in quibus facilè Goclenius familiam ducit.

Divisio Logicæ specialis sequitur.

Ejus partes duæ sunt; prima est de applicatione instrumentorum Logicorum ad juvandum intellectum; altera de applicatione eorundem ad juvandam memoriam & reminiscentiam.

Primam partem docendi causâ vocemus *intellectualem*, alteram *mnemonicam*.

Cap.2. Applicatio intellectualis in genere.

APplicatio intellectualis consideratur in genere, & in specie.

De hâc primo loco præcipimus; quia intellectus est objectum informationis primarium, memoria secundarium.

Applicatio intellectualis in genere est synthesis, *seu genesis*, vel analysis.

Synthesis & analysis.

Synthesis est, quâ opus aliquod ipsi constituimus juxta præcepta Logica.

Analysis est, quâ opus ab alio constitutũ resolvimus juxta præcepta, secundùm quæ est constitutũ.

Canones hujus loci sunt:

1 A synthesi auspicabitur suam exercitationem candidatus Logices.

Multi sunt, qui volunt usum præceptorum Logicorum jam cognitorum in bonis authoribus omnium primò demonstrandum esse. Sed ista sententia est perniciosa. Ratio: quia boni authores Logicum artificium sæpe texerunt, ita ut candidatus Logices illud primâ fronte pervidere non possit. Accedit, quòd methodus naturæ à compositione jubet nos progredi ad resolutionem. Itaque quamprimùm cognita fuerint præcepta Logica superioribus libris tradita, cognoscantur hæc specialia, & in manus sumantur themata varia, quæ tractentur juxta canones hîc traditos.

2 A synthesi veniendum est ad analysin, & ab hâc rursus ad synthesin.

Nimirum synthesis est duplex, inchoata & numeris omnibus absoluta. Inchoata præcedet praxin analyticam, tanquam facilior. Nam si videamus, quomodo tractanda sint juxta præcepta de synthesi themata, & juxta illud præ-

scriptum

ſcriptum aliquot tractemus; faciliùs & feliciùs progrediemur in analyſi probatorum authorum. Sed quando erimus aliquamdiu verſati in analyſi, redibimus, ad ſyntheſin, ſcilicet, non ita rudem, ut prior illa fuit, ſed confirmatam & fermè perfectam. Nam dum videmus, quo modo authores hæc vel illa themata tractârint; incipimus defectus noſtros in ſyntheſi inchoatâ cognoſcere. Hos ita cognitos emendamus, dum imitamur authores noſtros probos, atque ita veluti κυκλοειδῶς ad ſyntheſin redimus. Quare duobus hiſce modis duntaxat nosmet exercere poſſumus in hâc facultate; altero, examinandis & retexendis aliorum ſcriptis; altero, novis operibus cudendis. Haud verò facilè dixeris, utrum horum ſit difficilius, niſi ad datam à nobis diſtinctionem reſpexeris. Fonſeca ſic ſtatuit: Autores graves multas ſæpe argumentationes ita conjungunt, ut una duntaxat eſſe videatur: ſæpe etiam adeò latè & diffusè, multis obiter interjectis verbis ac ſententiis, unum argumentum idemque amplificant, ut credas eſſe complura. Itaque etſi nova ſcribere, magna res habeatur, ſemperque habita ſit: arduum tamen atque difficile negotium ſuſcipit, qui argumenta omnia, præſertim in ſcriptis veterum, ſuis locis reddere conatur; quippe cum illi, etſi magno artificio ſcripſerunt, artem tamen ſtudioſiſſimè diſſimularint. Qui igitur aliorum ſcripta etiam atque etiam perluſtravit, facilè deinceps illorum imitatione & exemplo, in altero exercitationis genere, quod Dialectico quaſi ultimam manum imponit, ſeſe exercebit. Hæc ſententia Fonſecæ vera eſt. 1. Si authores illos intelligas, qui non nudè, ſed Rhetorico apparatu Logica exercitia pertractarunt. 2. Si ſyntheſin inchoatam à conſummatâ diſtinguas; quod omninò neceſſarium eſſe judicamus; & tu, ſcio, juxtà mecum, qui hujus rei facies periculum.

Cap. 3. Exercitatio thematica.

APplicatio intellectualis in ſpecie eſt partialis, vel totalis.

Hujus diviſionis fundamentum ſic habet. Inſtrumenta Logica conſiderantur in uſu vel ſingula ſeorſim, vel univer-

ſa conjunctim. Sicut igitur miles primò diſcit modum utendi gladio, dehinc ſclopeto, tum haſtâ, & ſimilibus, & ultimo loco addiſcit rationem utendi illis conjunctim: ſic & faciet palæſtrita, ut ſic dicam, Logicus. Cognoſcet primùm, quî poſſit uti themate, argumento, axiomate, ſyllogiſmo, methodo; deinde cōdiſcet rationem utendi iiſdem conjunctim in effingendo, vel reſolvendo aliquo opere. Hinc cōſtare puto, quâ ratione inducti applicationē dianoëticam fecerimus aliam partialem, aliam totalem; cur item illi, non huic priorem locum dederimus. Obſerva, applicationis, uſus & exercitationis vocabula nos promiſcuè uſurpare.

Applicatio partialis eſt, quâ ſeorſim ſingulorū inſtrumentorum Logicorum præcepta ad uſum accommodantur, ſine reſpectu ad certi alicujus operis confectionem.

Hanc *Timplerus pag. 881. Logic.* vocat generalem: cui opponit ſpecialem, quam nos diximus totalem. Sed paulò aliter ille explicat utramq; hanc exercitationem. Poſſet etiam appellari *applicatio ſeparata*.

Applicatio partialis eſt noëtica, vel dianoëtica.

Applicatio noëtica eſt, quæ verſatur circa inſtrumenta noëtica.

Eſtque vel thematica, vel argumentoſa, vel axiomatica.

Hîc uſus ſum præciſione. Volui ſcil. evitare ſubdiviſiones aliquot, quæ è ſuperioribus poſſunt repeti; videl. quòd applicatio noëtica ſit vel circa terminum, vel circa axioma; & illa vel circa thema, vel argumentum &c.

Applicatio thematica. Applicatio thematica eſt, quæ verſatur in conſtituendis & dijudicandis thematibus ſecundùm præcepta de illis tradita. Hîc igitur conſideratur conſtitutio, & dijudicatio thematis conſtituti.

Conſtitutio thematis gubernatur his canonibus.

The-

Thema tractaturus consideret illius

1 Cõmunes affectiones; videl. bonitatem, & ad quã pertineat disciplinam. Et hæc erunt quasi præcognita.

2 Divisiones; num sit solitarium vel aggregatum; & si solitarium, num verbale vel reale &c.

Exempli gratiâ: thema sit *syllogismus*. Est thema utile, depromtum è Logicâ: ideoq; secundæ notionis, tractari potest tanquã verbale & reale thema simul, ita ut sit aggregatũ. Si consideretur ut thema verbale, est vox simplex, concreta, quatenus habet materiale & formale, Græca, ambigua, & quidẽ similitudinis ex merito rei &c. Si consideretur ut thema reale, est positivum, absolutum, universale, practicũ, simplex &c. Jam cùm quæritur, An syllogismus sit vocabulum mathematicum, item, An syllogismus sit notio secunda? utrumque thema est compositum, prius quidem verbale, posterius verò reale.

Dijudicatio thematis constituti gubernatur his canonibus.

1 In lectione authoris prima cogitatio suscipiatur de themate.

Nam si non cõstet de themate, Andabatarum more versabimur in bonis authoribus, & verè in nos dici poterit illud: *Legere & non intelligere, est negligere.*

2 Thema principale distinguatur à minùs principalibus.

Invenitur autẽ thema principale ex scopo authoris principali, ut diximus *lib. 1. c. 2.* Sic igitur tibi hîc procedendum fuerit. Author instituit aliquid vel declarare tantùm, vel demonstrare tantùm, vel utrumque simul facere. Si primum; ipsius thema est simplex, & quidem vel verbale, vel reale, vel utrumque. Si secundum; ipsius thema est compositum. Si tertium; ipsius thema est aggregatum seu multiplex. Exempli gratiâ: thema *capitis 1. Geneseos* est simplex reale; quia Moses voluit explicare seu declarare hanc quæstionem, quomodo mundus sit conditus. Hoc est thema principale, quod reciprocatur cũ toto isto capite. In oratione Ciceronis pro M. Marcello, Cicero voluit aliquid demõ-

strare. Itaque thema ipsius est compositum. Scopus igitur ostendit, quale sit thema, num simplex, vel compositum; num principale, vel minùs principale: ut, Ciceronis scopus est in illâ oratione, demonstrare, suum esse Cæsari agere gratias pro Marcello restituto, non autem in perpetuum tacere, sicut sibi proposuerat. Hoc igitur est thema compositum principale istius orationis.

3 Invento themate principali, illud examinetur juxta communes affectiones & species thematis.

Exempli gratiâ: thema *cap. 1. Geneseos* est solitarium, reale, theologicum, practicum; quia finits ipsius ultimus non est cognitio, sed actio &c.

Cap. 4. Exercitatio argumentosa in genere.

APplicatio argumentosa est, quæ versatur circa argumenta, eáque applicat themati secundùm præcepta de iis tradita.

Ea consideratur in genere & in specie.

Omne argum. est ἐξηγητικόν, ἀποδεικτικόν & αὐξητικόν.

Applicatio argumentosa in genere considerata, est argumentorum Logicorum usus in declarando, demonstrando & amplificando.

Hâc de re est canon:

Quodvis argumentum Logicum potest esse declarans, demonstrans, & amplificans.

Animadvertendum est, locos Dialecticos, nõ solùm probationis, sed etiam declarationis & amplificationis suppeditare materiam. Hoc pauci norunt; quidam qui norunt, impugnant, existimantes Logicam sibi habere propositam duntaxat probationem. Sed hanc opinionem esse falsam, usus ipse ostendet. Maneat igitur salva hæc hypothesis: *argumenta Logica possunt esse declarantia, demonstrantia & amplificantia*: seu ex quovis loco inventionis eruuntur hæc talia argumenta.

Usus argumentorum in declarando, est quo illa decla-

la declarant thema ſimplex. *Poſſunt etiam appellari* argumenta explicantia.

Uſus argumentorum in demonſtrando poſitus, eſt quo illa demonſtrant thema compoſitum.

Latè hîc accipias oportet vocabulum demonſtrationis, pro quâvis probatione: unde & *argumenta demonſtrantia* alio nomine dicuntur *probantia*. Deſumuntur autem è quovis loco inventionis ſyllogiſmi tum reales, tum notionales. *Reales*, quorum termini ſunt res ipſæ extra mentem poſitæ, ſed reductæ ad certum locum: ut, Deus eſt omnipotens. Q. creavit mundum. Hæc ratio eſt ab effecto. *Notionales*, quorum termini ſunt notiones Logicæ in hoc vel illo loco uſitatæ: ut, Quidquid cauſa dat effectui, id illa habet formaliter, vel eminenter. Atqui Deus nobis dedit intellectum. Ergò &c.

Uſus argumentorum in amplificando poſitus, eſt quo illa amplificant thema utrumque, tùm ſimplex, quod declaratum eſt, tùm compoſitum, quod demonſtratum eſt.

Obſerva, ſæpe unum exemplum amplificationis ad diverſa topica referri poſſe, ut patebit ex iis quæ deinceps adducemus. His ita conſtitutis, noſtrum erit deinceps percurrere ſingula loca, & oſtendere, quomodo ſuppeditent nobis argumenta declarantia, demonſtrantia & amplificantia.

Cap. 5. Uſus doctrinæ de cauſa finali.

APplicatio argumentoſa in ſpecie eſt argumenti incomplexi, vel complexi.

Applicatio argumenti incomplexi eſt argumenti communis, vel proprii.

Applicatio argumenti communis eſt conſentanei, diſſentanei, comparati, orti & teſtimonii.

Applicatio argumenti conſentanei eſt cauſæ, cauſati, ſubjecti, adjuncti, antecedentis, conſequẽtis, & connexi.

Applicatio causæ instituitur juxta quatuor causarum genera, videlicet finis, efficientis, materiæ, & formæ.

Primò igitur exequamur usum causæ finalis.

I. Usus declarationis.

Usus declarationis explicatur brevibus notis causæ finalis, exemplis simplicium terminorum, & dispositione axiomaticâ terminorum.

Causæ finalis notæ sunt:

1. Nomina: inventio, scopus, finis, usus, meta, propositũ, officium, cõmoditas, utilitas, fructus, emolumentum. *2. Ablativi*; gratiâ, causâ. *3. Adverbia*; quò, quorsum. *4. Præpositiones*; propter, ad, in, pro, ob; Græca vocula εἰς. *Matth. 8. v. 4. Joh. 1. v. 7. 5. Conjunctiones*; ut, ne, ergò, igitur; ut, amoris igitur, benevolentiæ ergò. *6. Formulæ loquendi*; hoc fine, hoc consilio, hoc animo, hoc nomine, cui bono, cui usui, hunc in finẽ; huc tendit, facit, spectat ut, huc valet ut, non aliò spectat quàm ut; ad aliud refertur, tendit, conducit. *7. Supina in tum*; ut, ibo visum. Hæ notæ duplicẽ nobis præstant usum. Principio juvant nos in analysi bonorũ authorum. Nam si ibi occurrant voces istæ, judicabimus causæ finalis lumen Logicũ esse adhibitum. Sic nimirum tenera juventus est informanda, ut è Grãmaticis illis, tanquam notis, addiscat Logica adhuc ignota. Deinde juvant nos illæ ipsæ notæ in dispositione axiomaticâ. Nam si finis cum finito debeat disponi axiomaticè, habebimus hîc quasi sylvulam vocabulorum & formularum, quibus illam dispositionem dextrè concipiamus & efferamus. Taceo quòd hæc ipsa ratio multum facit ad copiam verborum. Quapropter & in sequentibus locis, ubi opus erit, has ipsas notas adferemus.

Exempla terminorum simplicium seu indispositorum ad hunc locum sunto ista:

Finis.	*Finitum.*
Gloria Dei.	Actiones hominis.
Eucharistica annunciatio mortis Christi.	Cœna Domini.

Deo

Deo cultores post se relinquere.	Conjugium.
Domus.	Ædificatio.
Perfectio hominis.	Bonæ literæ.

Dispositio axiomatica est, quâ termini simplices componuntur vel dividuntur.

Et hîc quidem componuntur: ut, Omnes actiones hominis facere debent ad gloriam Dei. Cœna Dominica instituta est, ut mortem Domini annunciemus.

II. Usus demonstrationis.

Usus demonstrationis est, scire quomodo finis possit esse medium syllogismi.

Estq; hic usus tum κατασκευαστικὸς, tum ἀνασκευαστικὸς: hoc est, syllogismi ex fine fiunt tum affirmantes, tum negantes; iiq; in primâ aut secundâ figurâ. e. g.

Thema.	*Argumentum à fine.*
Lex est admodum salutaris.	Ut enim peccata agnoscerentur, lata est.
Charitas Christiana erga oẽs homines exercenda est.	Q. inprimis facit ad gloriam Dei.
Lectio SS. literarũ in publicis Ecclesiæ cœtib. linguâ vernaculâ peragenda est.	Q. servire debet ædificationi Ecclesiæ.

Si disponantur argumenta cum suis quæstionibus, tales emergent syllogismi: Quod facit ad peccati agnitionem, est admodum salutare. Atqui lex lata facit ad peccati agnitionem. E. Quod facit inprimis ad Dei gloriam, id exercendũ est. At charitas &c. Adde & hæc exempla: Non debemus ullum otiosum verbum dicere, ut omnes nostræ actiones sint ad gloriam Dei. Homo debuit erectâ creari staturâ, ad contemplationẽ cœlestium. Quisquis Deum videbit, mundo debet esse corde. Electi Deum videbunt. E. Pupilla debuit admittere omnes colores. E. debuit esse sine colore. Notetur hîc canon:

A fine petuntur argumenta laudis, vituperii, exhortationis, & firmæ demonstrationes, strictè accepto vocabulo.

III. Usus amplificationis.

Usus amplificationis est scire, quomodo finis possit servire themati augendo vel minuendo, extollendo aut deprimendo.

Hâc de re est canon:

Finis amplificatur ἀντιθέσει, συγκρίσει, συναθροισμῷ, γνωμολογίᾳ, hoc est, oppositione, collatione, conglobatione, & authoritate.

I. Oppositione; quâ fines contrarii inter se opponuntur: ut, non ad hanc animalem, sed ad illam verè vitalem vitam condidit nos Deus; non ut abdomen, sed ut salutem animæ curaremus. *Item:* Quid putas, ô homo? Num Deus te condidit propter ventrem, ut ad instar bruti abjectus esses & pronus ad pastum? Num fortè ut divitias corraderes? Num ut inani speculatione animum oblectares eâque tempus transmitteres? Ah falleris, & nimis quàm falleris, si ita tibi persuades! Propter gloriam suam condidit te Deus; tam præcellentem creaturam te condidit propter gloriam suam.

II. Collatione; quâ fines pares, impares, similes vel dissimiles inter sese conferuntur: ut, Gloria Dei est id unum quod quæro in studiis meis. Gloria, inquam, Dei Patris, qui me creavit; Filii, qui me redemit; Spiritus sancti, qui me sanctificat. Sed dum huc omnes meas actiones dirigo, ecce ante oculos obversatur proximus, cujus saluti ut me & mea consecrem, suadet prima illa, quam modò dixi, quamque omnes sapientes sibi præstituunt, meta. Nimirum simillimi mihi videntur, qui Dei gloriam se quærere gloriantur, dum proximi nullam rationem habent, omnibus illis, qui conjugium arctissimum vocant, in quo nulla est animorum consensio. *Item:* In studiis cunctisque actionibus nostris hoc unicè spectemus, ut benè sit corpori; neque solùm corpori, sed etiam animæ: idque non solùm in hâc vitâ, sed etiam, & id quidem præcipuè in alterâ, quæ post hanc æterna erit. At hæc omnia velimus propter Dei gloriam: propter gloriam dico misericordiæ, justitiæ, sapientiæ & omnipotentiæ Dei, qui unus est beatus in secula.

III. Conglobatione; quâ varii fines inter se copulantur: ut, Dum

ut, Dum hic divitias, ille honores, iste voluptatem sibi cordi esse dicit, ego ad unius Dei gloriam & proximi ædificationem omnia mea studia compono. *Item:* Hoc fine studiis incumbis, ut cognoscas res præclaras? Benè facis. Sed si cognitionem dirigis ad actionem, rectiùs facis. Si & illam & istam ad Dei gloriam, rectissimè facis. *Hoc idem exemplũ etiam sic variabis:* Incumbimus in studia humanitatis & pietatis propter cognitionem veri. Cognitionem veri quærimus propter actionẽ boni. Actionem boni volumus propter nostram felicitatem. Hanc velle debemus propter Dei gloriam. *Cum hâc conglobatione concurrit syncrisis. Item:* ex 2. *Tim.* 3. Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad doctrinam veri, ad redargutionem falsi, ad institutionem in bono, ad correctionem mali, ad consolationem infirmi, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus perfectè instructus. *Huc pertinet ille Sorites:* Mercator vult iter propter coëmendas merces; mercium emtionem vult propter earum venditionem; venditionem propter lucrum. Ergò iter ipsum vult propter lucrum. Huc pertinet artificiosus ille Sorites *Augustini ad Psalm.* 110. ubi tali apostrophe ad Christum utitur: Ut resurgeres, mortuus es. Ut ascenderes, resurrexisti. Ut sederes ad dextram Patris, ascendisti. Ergò ut ad dextram Patris sederes, mortuus es.

IV. Authoritate; quâ rem propositam variis & iis quidem illustribus dictis amplificamus. Nota hoc loco, nos non tradere amplificationem oratoriam, sed Logicam, quæ non spectat delectationem aut motum, sed nudam doctrinam.

Cap. 6. Usus doctrinæ de causa efficiente.

USus causæ efficientis est triplex, ut & causæ finalis fuit, & sequentium locorum erit.

I. Usus declarationis,

Hîc occurrunt etiam notæ, simplices termini, & dispositio axiomatica.

Causæ efficientis in genere signa sunt:

1. *Nomina*; causa, effector, author, institutor, magister, origo, initiũ, faber, mater, cibus, panis: ut, stylus est optimus dicendi magister & effector; quisq; faber est suæ fortunæ; ôtium est cibus amoris; felicitas est panis invidiæ. 2. *Ablativi causales*; ut, *Ephes. 2. vers. 8.* Gratiâ estis servati; licentiâ omnes reddimur deteriores. 3. *Adverbia*; hinc, inde, unde, exinde. Exempla vide apud *Polanum de rat. legendi authores pag. 37.* 4. *Prepositiones*; secundùm, propter, à, ab, per, in, ex. 5. *Formulæ*; unde oritur? unde promanat? unde existit? unde provenit? Acceptum alicui ferre, agnoscere aliquem authorem alicujus rei; debere alicui suam eruditionem; agmẽ vel familiam ducere. 6. *Particula eò:* ut, Eum valdè occupatum offendi. Eò ad eum admissus non sum.

Causæ procreãtis notæ sunt; pater, mater, genitor, genitrix, conditor, ædificator, opifex, invẽtor, institutor, author. Item cùm dicimus quippiã ab alio produci, gigni, generari, condi, inveniri, institui, nasci, originem ducere, item ortum & initium; promanare, proficisci ab aliquo.

Causa conservans exprimitur per nomina; conservator, patronus, instaurator, custos, vindex, renovator, amplificator, confirmator, enutritor, eductor: *& per verba*, conservare, patrocinari, instaurare, custodire, vindicare, asserere, sartum tectum relinquere, averruncare vel prohibere malum.

Causæ corrumpentis charecteres sunt; occidere, interimere, destruere, ædificare ad ruinam, ædificare ad gehennam, annihilare, diminuere.

Efficiens solitaria has habet notas: solus, nõ aliunde quàm, non aliter, nullo modo nisi, nonnisi; totum hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum, inquã, est tuum; te solum habemus, nemo præter te solum, proprio marte, suopte ductu, sine " Theseo: ut, Ecclesia non aliunde lucem habet, quàm ex Dei verbo; hæretici ex scripturis solis, non aliter refelluntur; nullo modo cognoscitur Ecclesia, nisi ex scripturis; non justificamur nisi ex fide.

" Sine alieno auxilio. proverb.

Efficientis principalis indicia sunt; coryphæus, daduchus, princeps, antesignanus, vexillifer, dux, fons, radix, scaturigo, metropolis, alpha: ut, est alpha chori Pierii, ait Poëta;

Ingrati-

Ingratitudo eſt metropolis vitiorum. Nam ex ingratitudine omnia peccata adverſus utramq; decalogi tabulam prognata ſunt. *Cauſam minùs principalem indicant phraſes*; non ſine Mercurio, non ſine Theſeo, arare vitulâ alicujus.

Cauſæ impulſivæ ſigna ſunt 1. Nomina; impulſor, ſuaſor, author, conſultor; ut, te authore hoc feci. 2. *Verba*; impellere, incitare, concitare, provocare, irritare, ſubigere. 3. *Formulæ*; alicujus ſuaſu, inſtinctu, hortatu, provocatione aliquid facere; ſeductus ab illo hoc deſignavit. 4. *Ablativi quidam*; ut, Diabolus ſeduxit hominem odio Dei, & invidiâ felicitatis humanæ. 5. *Præpoſitiones*; ex, per, ab, propter, præ: ut, ex merâ invidiâ aliquid facere, prę gaudio vel ex gaudio abire, à ſuperbiâ putare, à triſtitiâ dormire, propter invidiam tradere *Matth.27.verſ.18.* Vide item *Matth.13. v.44. & Luc.22. verſ.44. 2.Maccab.5. v.21.* Hâc de re placet adſcribere locũ è magni illius theologi *Franciſci* Junii *animadverſionibus in Bellarmini controverſ.2.lib.4. cap.8.not.81. Vox ἀπὸ, Varino teſte, hâc ſignificatione nunquam uſurpatur, niſi ad ſignificandum internam cauſam motus aut actionis, quæ ſignificatur regente verbo; ut in illo Homeri Iliados μ*

Εἰ δ' ἐτεὸν δὴ τοῦτον ἀπὸ σπουδῆς ἀγορεύεις,
Ἐξ ἄρα δή τοι ἔπειτα θεοὶ φρένας ὤλεσαν αὐτοί.

quemadmodum & Latini utuntur vocibus ab, præ, ex: ut, præ gaudio vel ex gaudio abit, à triſtitiâ dormiunt, à ſuperbiâ putavit. Exempla vide in Logicâ Parei, pag 42.

Cauſæ adjuvantis & inſtrumentalis notæ ſunt; mediũ, organum, miniſter, adminiſter; adjumento, miniſterio, operâ alicujus fieri; fieri per aliquem: *item ablativus inſtrumenti*; ut, juſtificari fide, excipere manu.

Cauſæ naturalis charecteres ſunt; naturâ, à naturâ, neceſſariò, neceſſitate naturæ, immutabiliter: ut, apes naturâ mellificant; Deus neceſſariò odit peccatum; Deus immutabiliter eſt bonus; Deus neceſſitate naturæ ſuæ amat bonum.

Cauſæ voluntariæ indices ſunt; cùm quis dicitur aliquid facere voluntate, volens, voluntariè, lubens volens, plenâ lubentiâ, præſenti animo, conſilio, ſtudio, liberè, libenter, promtè, datâ operâ, ſponte, proprio motu, ex compoſito.

Causa coacta indicatur, cùm quis coactus, vi impulsus, violentiâ adactus, coactione, nolens volens, quod Homero est ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, fractâ voluntate &c. facere aliquid dicitur.

Causa fortuita seu per imprudentiam, vel παρὰ προαίρεσιν, hoc est, causa præter propositum efficientis, notæ sunt; cùm quis casu, fortunâ, invitus, ignorans, ex ignorantiâ, ignoranter, inscius, fors, fortè fortunâ, temerè, fortuito, imprudens, imprudenter, nihil tale cogitans, aliud agens, absenti animo, cogitationibus peregrinantibus &c. aliquid fecisse dicitur.

Termini simplices quoad præcipua causæ efficientis genera, sic habent.

Efficiens procreans.	*Effectum procreatum.*
Deus.	Mundus.
Mens.	Ratio.
Deus.	Vera sapientia.
Solon.	Lex.
Statuarius.	Statua.
Efficiens conservans.	*Effectum conservatum.*
Deus.	Ecclesia Catholica.
Spiritus sanctus.	Fides salvifica.
Leges.	Respublica.
Sal.	Carnes à putredine præservatæ.
Efficiens corrumpens.	*Effectum corruptum.*
Peccatum.	Imago Dei.
Diluvium.	Animalia extra arcam.
Omissio fractionis panis in Cœnâ Domini.	Ceremonia Eucharistica.
Vetustas.	Opera manufacta.
Causa principalis.	*Effectum causæ principalis.*
Deus.	Justificatio nostri.
Spiritus sanctus.	Fides justifica.
Efficiens solitaria.	*Effectum causæ solitariæ.*
Deus.	Extensio cœli.
Fides.	Justificatio.
Christus.	Satisfactio pro peccatis nostris.

Efficiens

Efficiens socia.	*Effectum causa socia.*
Septem electores.	Rex Romanorum.
Natura, ars, exercitatio.	Efficere artificem.
Mas & fœmina.	Proles.
Instrumentum.	*Effectum instrumenti.*
Humana Christi natura.	Miracula.
Corpus.	Actiones animæ.
Ministri verbi divini.	Conversio hominis.
Efficiens naturalis.	*Effectum naturale.*
Aurum.	Sistere lepram.
Magnes.	Trahere ferrum.
Deus Pater, qui est causa analogica.	Filius.
Anima.	Potentia intelligendi.
Sol.	Lumen.
Causa voluntaria.	*Voluntatis effectum.*
Deus.	Misereri hominis.
Sacra Trinitas.	Creatio mundi.
Diabolus.	Lapsus.
Causa necessitate coacta.	*Effectum illius causæ.*
Lucretia.	Succumbere Sexto Tarquinio.
Eleazarus.	Vesci carnibus.
Fridericus Barbarossa.	Præbere Pontifici Romano collum calcandum.
Causa inscia.	*Effectum illius causæ.*
Paulus Apostolus.	Persequi Ecclesiam.
Vino obrutus.	Aliquem occidere.
Causa fortuita.	*Effectum fortuitum.*
Piscatores Megarenses.	Invenire aureum tripodem.
Fossor agri.	Invenire thesaurum.
Efficiens remota.	*Effectum causæ remotæ.*
Motus cœli.	Progressio animalium.
Bonitas naturæ.	Ars.
Lumen naturæ.	Logica.
Efficiens proxima.	*Effectum causæ proximæ.*
Anima sensitiva.	Facultas videndi.
Diametralis oppositio terræ inter solem & lunam.	Eclipsis lunaris.

Dispositio axiomatica quorundam terminorum modò recitatorum sic habet:

Deus creavit mundum.
Deus conservat Ecclesiam.
Peccatum destruit imaginem Dei.
Sal præservat carnes à putredine.

II. Usus demonstrationis.

1. *E loco causæ procreantis & conservantis amplissima surgit messis & materia in laudando, vituperando, consolando & hortando:* ut, Salomon condidit hoc templum. E. est opus exquisitum. Majores ipsius fuerunt viri optimi. E. illi benefaciendum est. David ambulans per vallem umbræ mortis non timebit; quoniam Jehova est cum ipso. Crux patienter ferenda; quia est à Deo. Peccatum est fugiendum; quia est à Diabolo.

2 *A causâ principali & solitariâ laudes & vituperationes ducuntur insignes:* ut, Usus magni est faciendus; quia facit artifices. Papa frustra sibi sumit potestatem remittendi peccata; quia solus Deus remittit peccata. *Facit etiam ad excusandum:* ut, Euryalus est extra culpam cædis Sulmonis & Tagi; quia solus Nisus perpetravit.

3 *Instrumentis necessariis remotis removetur effectum*; ut, Pisces non habent pulmones. Ergò nec respirant. Rex ille non habet nervum belli, pecuniam. Ergò nec geret bellum.

4 *Causæ naturalis permagnus est usus in physicis:* ut, Ignis est. Ergò urit. Hæmatites corpori est admotus. Ergò sistet sanguinem. Lepra latiùs non serpet; quia aurum potum prohibet.

5 *A causâ volũtariâ sumuntur laudes & vituperia personarum, quando animus honesta vel inhonesta conatus est, licèt effecta non dederit:* ut, Catilina est nequam; quia animus ipsi fuit Romam funditùs evertere. Est author cædis; quia homicidam instigavit.

6 *Causa necessitate impulsa agens facit ad hortandum & excusandum:* ut, Diutiùs his locis commorari non possumus, & fortiter pugnandum est; quia frumenti aliarumque rerum egestas prohibet, & quocunque ire placet, ferro

ferro iter aperiendum est. Lucretia aliquo modo excusatur; quia coacta est ad stuprum. Quod dixit, pro indicto habendum est; quia calore iracundiæ impulsus dixit. Cavendum autem hîc etiam atque etiam, ne imitati Epicureos providentiam Dei statuamus causam cogentem, ut ita pallium quæramus sceleribus. Verum est, fiunt omnia necessariò, ex hypothesi decreti divini. Sed hinc non efficitur, nos cogi à Deo. Hîc enim non intelligitur necessitas coactionis, sed necessitas infallibilitatis seu immutabilitatis, quæ non tollit contingentiam vel libertatem voluntatis.

7 *Culpam deprecamur à causâ efficiente per imprudentiã, ignorantiam & casum fortuitum, uti loquuntur:* ut, Ignosce pater; quia feci temere.

8 *Si medium sit causa efficiens proxima prædicati, valet syllogismus ad affirmandum & negandum:* ut, Luna est rotunda. E. illuminari potest per incrementa. Planetæ propè sunt. E. non scintillant.

III. Usus amplificationis.

Declaratio vel probatio à causâ efficiente quatuor modis amplificatur, uti suprà de fine diximus:

I. *Est Antithesis*; ut, Unde sacrum illud sacrorum Bibliorum volumen suam traxit originem? Num ex officinâ cerebri humani procusum? Minimè gentium. Num Prophetarũ & Apostolorum arbitrio conscriptũ? Ne hoc quidem. Spiritus sanctus inspiravit divina ista eloquia viris ad hoc à Deo sanctificatis, qui fuerunt amanuẽses. *Item:* Deus Opt. Max. Deus, inquam, creavit mundũ. Non illi præstò fuerunt Angeli. Hos ipsos enim condidit. Non ille usus est ferramentis, non vectibus, ut Epicurus somniavit. Nihil illi subsidii ex materiâ aliquâ amplâ & speciosâ. Non fatigatus fuit operando. Solo nutu, solo verbo FIAT hanc stupendã machinam creavit. Hanc destruet solo verbo PEREAT, quando ipsi visum fuerit. *Talis antithesis causarum efficientium est* in illo carmine Sannazarii, cujus singulos versus centenis aureis muneravit senatus Venetus:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari.

Nunc mihi Tarpejas quantumvis Juppiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, urbem aspice utramque,
Illam homines dices, hanc posuisse deos.

II. Syncrisis: ut, Primi nostri parentes lapsi sunt. Diabolus illis lapsum suasit; nec solùm suasit, sed ad illum ipsos impulit. Homines miseri assenserunt. Quid tu, si loco primorum parentum fuisses, aliud te facturum fuisse putas? Deus pro inscrutabili suâ justitiâ, quam scrutari nefas, adorare religiosum, labi primos illos homines permisit. Non igitur permissionem Dei accusa, ô homo lumbrice miser, & assensionem protoplastorum excusatum i; sed te & Satanam rebellionis & criminis læsæ divinæ majestatis argue. *Item:* Multa debemus parentibus à quibus vitam hanc secundùm Deum accepimus. Multa patronis, qui vitã nostrã defendunt. Plura præceptoribus, qui benè vivendi rationem docent, adeoque animæ vitam è cineribus veluti excitant. Deo autem plurima, imò omnia, qui & nos, & parentes, & patronos, & pręceptores imbre suarum miserationum perfundit singulis momentis, & sua in nobis coronat dona quàm liberalissimè.

III. Conglobatio; ut, Philippus Rex Hispaniarum provincias Belgicas cõmisit Duci Albano gubernandas. Albanus introduxit inquisitionem Hispanicam, & leges fundamentales de avitâ libertate illorum violavit. Deus in cordibus multorum zelum pro religione accendit. Belgæ libertatem retinere proq; illâ pugnare sibi proposuerunt, & summam rerum penes Wilhelmum principem Auraicum esse voluerunt. Hinc extitit bellum illud toto orbe celebratissimum. *Hoc modo bella describuntur, & Sacramenta in Theologicis. Talis conglobatio est in illo exemplo:* Homines palò ante diluvium in peccata pleno impetu despumabant præconem justitiæ Noachum contemnebant, in peccatis sibi placebant, illa quin etiam defendebant. Deus itaque prout est justus osor & ultor peccati, hunc sui contemtũ punire volens, exercitum cœlestem instruxit & armavit potentissimè adversus homines illos immorigeros, & fenestris cœli adapertis totum terrarum orbem cataclysmo perdidit. *In duobus hisce exemplis habes causas impellentes, principales & instrumen-*

ſtrumentales. Habet etiam hîc locum Sorites,in quo conglobantur cauſæ efficientes & effecta: ut,ex *Rom.5.* Afflictio efficit patientiam. Patientia efficit probationem. Probatio gignit ſpem. Spes non confundit. Ergò afflictio non confundit. *Item:* Ingluvies parit cruditatem ventriculi,adeoq; impedit primam concoctionem,quæ dicitur χύλωσις. Cruditas ventriculi gignit cruditatem ſanguinis in hepate,officinâ illâ ſanguinis mirabili,in quâ perficitur concoctio ſecunda, quæ dicitur αἱμάτωσις. Cruditas ſanguinis gignit malam aſſimilationem in ſingulis membris,quæ eſt tertia concoctio,dicta ὁμοίωσις. Hinc exiſtit κακοχυμία, *depravatio humorum.* Ad extremum ſequitur hydrops, vel phtiſis. Hanc mors. Ergò ingluvies eſt cauſa mortis,ideoque cane pejus & angue vitanda eſt,tanquam omnium morborum lerna,& mortis mater proxima.

IV. Teſtimonia; quæ ex authoribus deſcribi debent. Itaque deinceps hunc quartum ſubtitulum non attingemus.

Cap.7. Uſus doctrinæ de materiâ.

I. Uſus declarationis.

I. NOtæ cauſæ materialis ſunt: *1.Cùm aliquid expreſſè dicitur eſſe materia alicujus:* ut,Materia artiũ ſunt præcepta. *2.Nomina lignorum, lapidum, metallorum, & aliorum materialium:* ut, Dii gentium ſunt lignum aut lapis. *2.Reg.19.v.18.* *3.*Deſinentia in *eus*,quibus reſpondent Græca in εος & ειος;ut,aureus, χρύσεος & χρύσειος:item Latina in *inus*;ut, cryſtallinus, cupreſſinus. *4.*Adverbia,unde, inde,hinc:ut,*Georg.1.*

Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem
Unde hominum nati,durum genus.

4.Præpoſitiones de & ex: ut, Mulier eſt gloria viri, quia eſt ex viro. *1.Cor.11. v.7.8.* Sed hîc opus eſt cauto. Nam vocula Ex ſignificare materiam intelligitur,quando è tali acceptione nihil abſurdi ſequitur. Tum enim eſt nota cauſæ efficientis. Sic Chriſtus in Symbolo dicitur conceptus ex Spiritu ſancto: & *Rom.11.v.ult.* Nam ex eo (intelligit Deum) **Vocula Ex quando ſignificet materiam?**

& per eum, & in ipsum sunt omnia. Hîc si velles accipere voculam *Ex* tanquam notam materiæ, absurditas intoleranda sequeretur, videl. Sp. S. & Deum esse materiam rerum. 5. Genus est symbolum materiæ. *Porphyr. isag. c.3.*

II. Termini simplices:

Materia.	*Materiatum.*
Duodecim gemmæ principes & aurum.	Nova Hierusalem. *Apocal. 21.*
Argentum.	Poculum.
Corpus.	Homo.
Æs.	Domus Famæ.

III. Axiomata è materiâ & materiato.

E jaspide & cæteris gemmis, & auro nova Hierusalem est extructa.

Poculum hoc est argenteum.

Homo constat corpore.

Domus Famæ est ænea.

II. Usus demonstrationis.

I. Si argumentum probans sit à materiâ subjecti quæstionis, syllogismus poterit esse tam affirmans quàm negans in primâ aut secundâ figurâ. Affirmans: ut, Omne terrestrius est gravius. Aqua marina est terrestrior fluviatili. E. aqua marina est gravior. *Negans:* Cujus scripti materia est humilis, illud scriptum non debet esse grave. Bucolicorum materia est humilis. E. Bucolica non debent esse gravia.

II. Si argumentum sit à materiâ prædicati quæstionis, syllogismus erit negans in Camestres vel Baroco: ut, Si non sunt ligna, non est navis: Quo tempore Cain occidit fratrem suum Abel, non erat ensis: quia non erat ferrum. Hîc non valet affirmatio: quia positâ materiâ non ponitur iccircò compositum.

III. Ratione subjecti etiam sic argumentamur: Quod tribuitur vel adimitur materiæ, tribuitur etiam vel adimitur materiato: ut, Lignum est cariosum. Ergò & statua talis futura est. Farina non est bona. Ergò nec panis erit bonus ex illâ farinâ pistus.

IV. Ratione prædicati etiam sic argumentamur: Cui tribuitur materia, ei & materiatum: Et, Cui adimitur materia,

teria, ei etiam materiatum adimitur: ut, Pygmæi habent verum corpus humanum. Ergò ſunt homines. Satyri non habent verum corpus humanum. Ergò non ſunt homines.

V. Materia valet plurimùm ad hortandum, laudandum & vituperandum: ut, Homo eſt pulvis. Ergò non debet ſuperbire. Nova Hieruſalem in cœlis tota eſt ſplendida; quippe quæ conſtat ex gemmis & auro. Idola gentium non ſunt dii; quia ſunt ligna & lapides. Pontificiorum doctrina non eſt acceptanda; quia conflata eſt ex puris putis traditionibus.

III. Uſus amplificationis.

I. Antitheſis: Non ex materiâ aliquâ pretioſâ, non aliunde acceptâ Deus mundum produxit: ſed è nihilo chaos, è chao indigeſto pulcherrimum hoc opificium creavit. *Item*: Angeli non ſunt producti è materiâ aliquâ craſsâ, neque conſtant materiâ, uti homo conſtat corpore: ſed aliquid ſimile habent materiæ, quam informat ipſorum forma. *Sic poteſt inſtitui antitheſis, inter palatia regum & cœleſtem Hieroſolymam.*

II. Syncriſis: Tantam ſuperbiam in hominem cadere? In hominem dico, cujus corpus eſt fragile? Totum, quantum quantum eſt, pulvis eſt. Unde enim amabo corpus ipſius ortum eſt? Ex ſanguine. At ſanguis unde? Ex elementis, atque ita ex terrâ. Cur igitur criſtas erigis abjectiſſima terra? Cur cornua ſumis portio terræ minima? *Item:* Dolendum eſt, hominem corpore ſuo abuti ad Dei contumeliam, proximi injuriam, & ſuam ipſius ignominiam. Corpore, inquam, tali, quod eſt domicilium formæ formarum nobiliſſimæ, animæ nimirùm rationalis. Corpore, inquam iterum, cujus caput eſt veluti cœlum terreſtre; cujus cor eſt domicilium Dei; cujus manus ſubigere poſſunt totum mundum; cujus oculi ſpectare debent veſtigia divinitatis, quæ Deus architectus optimus, omnibus omninò creaturis impreſſit.

III. Conglobatio: Ex Apocal. 21. Cœleſtis illa Hieruſalem, civitas illa Dei eſt aurum purum, & ſimilis vitro puro. Et fundamenta muri urbis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum eſt jaſpis: ſecundum, ſapphirus: ter-

tium, chalcedonius: quartum, smaragdus: quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum amethystus. Duodecim autem portæ, duodecim margaritæ sunt, & singulæ portæ ex singulis margaritis sunt: & forum civitatis, aurum purum, tanquam vitrum pellucidum. Quid aliud ex his rebus lucidissimis, præstantissimis, constitui potest quàm ædificium lucidissimum, præstantissimum? quod si ipsam lucem, & excellentiam dixeris, adhuc minus dixeris. *Item:* Regia solis est lucidissima. Videas enim in illâ aurum & pyropum. Videas ebur & argentum. Cùm hæc talia sint naturâ suâ fulgida, domicilium ex illis extructum lucidissimum sit oportet. *Item:* Bacchylidis sententiæ multæ celebrantur ab Athenæo & Stobæo. Inter illas hæc est valde insignis, quâ requirit quatuor ad ornatum convivii; veram scilicet convivarum benevolentiam; modicum apparatum, non corpora boum; bonum vinum; & suave colloquium. Cùm ista quatuor in hoc nostro convivio concurrant, quis illud reprehendendum censebit? quis non ornatissimum dicet?

Cap. 8. Usus doctrinæ de formâ.

I. Usus declarationis.

I. NOtæ causæ formalis sunt. *1. Cùm aliquid expressè dicitur esse forma:* ut, Hominis forma est anima rationalis. *2. Nomina ista:* Modus agendi, ablativus modi, via, ratio, ratio formalis. *3. Nomina substantiva, quæ dicuntur abstracta,* uti desinentia in *as* & *tia*. Sic justitia est justi forma, pietas pii. *4. Phrases istæ:* Hunc in modum, hoc pacto, eâ ratione.

II. Termini simplices:

Forma.	*Formatum.*
Anima rationalis.	Homo.
Significatio.	Vox.
Actionis honestas.	Virtus.
Interna evocatio.	Ecclesia.

III. Axio-

III. Axiomata è formato & formâ:
Homo est rationalis.
Vox quælibet significat.
Virtus est actionis honestas.
Ecclesia est à Deo evocata internè.

II. Usus demonstrationis.

I. E loco formæ omnium firmissimè disputantur dubiæ quæstiones. Nam forma est causa efficiens proprietatum, eoque hic locus parit scientiam in syllogismo demonstrativo. Iccircò argumenta, quæ sunt forma subjecti, sunt causa efficiens prædicati: ut, Omne habens animam, alitur. Omne vivens habet animam. E. omne vivens alitur. Hujusmodi syllogismus est omnium nobilissimus, uti docuimus in titulo de demonstratione: & dicendus est syllogismus à causâ efficiente; quia in demonstrando non quæritur causa subjecti, sed prædicati. **Forma quomodo sit causa efficiens?**

II. Locus formæ suppeditat argumenta ex parte subjecti & prædicati quæstionis. Ex parte subjecti sic argumentabere: Quod affirmatur aut negatur de formâ, affirmatur vel negatur etiam de formato: ut, Anima rationalis sapit. E. & homo. Virtus non est reprehendenda. E. nec vir bonus. Mors corporalis non incutiat piis timorem. Q. est transitus è vitâ mortali in immortalem. *Ex parte prædicati sic disputabis:* Cui tribuitur, vel adimitur, forma, eidem tribuitur vel adimitur formatum: ut, Spongia caret ratione. Ergò non est homo.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis: Non anima aliqua, uti Cardanus somniat, mundum informat: non per intelligentias assistentes est id quod est: sed per convenientem & admirandam illam dispositionem, quâ nihil pulchrius excogitari potest, in æquabili illo tenore consistit. *Sic potest antithesis institui inter formas rerum artificialium*; putà ædificii & ædificii, horti & horti, urbis & urbis: ut, Venetiarum & Romæ. *Talis antithesis* esse potest inter formam cœlestis Hierusalem *Apoc. 21. v. 16.* & nostrorum ædificiorum.

II. Syncrisis: Esse est melius quàm non esse. Sed vivere longè præstantius quàm esse. At sentire excellentius quàm

vivere. Intelligere verò tantò nobilius quàm ſentire,quantò ſpiritus præſtat corpori. Credere denique tantò perfectius quàm intelligere, quantò æterna caducis, immortalia mortalibus ſunt potiora. Agite ergò mortales, quin agitis Deo gratias, qui vobis eſſentiam dedit; qui ſupra eſſentiam dedit animam vegetativam; qui ſupra vegetativam elargitus eſt ſenſificam, & ſupra hanc,intellectivam; qui denique ſupra intellectivam animam donavit fidem, animam illam animæ, & rationem rationis, per quam ſumus hæredes vitæ æternæ. *Sorites ex hoc loco talis eſt:* Anima rationalis eſt nobilior ſenſitivâ. Senſitiva eſt nobilior vegetativâ. Vegetativa eſt nobilior eſſentiâ. Ergò anima rationalis eſt nobilior eſſentiâ.

III. Conglobatio hîc eſt duplex. 1.Formæ variæ, videlicet generica,ſpecifica & individuifica, unius formati commemorantur: ut,Plato per eſſentiam eſt ens;Per animam vegetantem eſt vegetabile; per animam ſenſiferam eſt animal; per animam intellectivam eſt homo; per hanc animam eſt Plato. *2.Forma totius primò recenſetur, tum formæ partium adjunguntur:* ut, Homo per animam rationalem eſt id quod eſt. Cor per facultatem, quâ calorem vitalem gignit & communicat cum reliquis membris, deprehenditur habere formam Solarem. Cerebrum ex facultate, quâ calorem animalem communicat cum toto corpore, cognoſcitur habere formam Lunarem. Et hoc modo ſingula corporis humani membra habent formas ab illis rebus in macrocoſmo,quibus certâ proportione reſpondent.

Cap.9. Uſus doctrinæ de cauſato.

I. Uſus declarationis.

I. NOtæ cauſati ſunt: *1.Nomina ſignificantia motum & rem motu factam. Motum:*ut,actio,effectio,generatio,corruptio, alteratio, accretio,deminutio,motus localis. *Rem motu factam:*ut,fructus,ſoboles,præmium,merces,ſtipendium.Sic creatio eſt effectum Dei; mundus creatus ejuſdem effectum eſt; ſtipendium,ſeu auctoramentum,peccati eſt mors:

Fructus

Fructus honos oneris, fructus honoris onus.

2 *Verba activa, item neutra actionem significantia: sic deponentia activè sumta, & passiva prædicatum ingredientia:* ut, Charitas ædificat; Afflictio parit patientiam; Doleo vicem tuam; Præceptor hortatur nos ad pietatem & diligentiam; Turpia non dixeris, quia per verba turpia paulatim discutitur pudor. *Excipiuntur hic verba activa & neutra, quæ sensum aliquem significant:* ut, videre, audire, sentire, valere. *Hæc enim ad categoriam adjunctorum referuntur. Sunt quidem propria effecta, si formam spectes: at si subjectum, cui insunt, adjuncta sunt.* Sic verba ridere, balare, hinnire, grunnire &ç. si significent actionem, ad locum effecti: sin facultatem, ad locum adjuncti referri debent. 3. *Verbum substantivum, pro adfero, aut quod vim ejus habet:* u, cedere, vergere. v. g. Hæc res tibi erit honori; Cedet in tuum commodum. 4. *In effectis numerantur* consilia, cogitationes sive deliberationes, etiamsi ad exitum perductæ non fuerint, senatusconsulta, decreta, dicta, scripta, effecta virtutum & vitiorum, laudes & vituperationes, utilitates, commoda, detrimenta, præmia, absurdum, res gestæ. 5. *Una eademq; res potest habere rationem effecti & finis.* Sic Logicæ effectum est, directio mentis nostræ, & simul ejusdem finis. 6. *Una eademq; res potest esse effectum, & adjunctum.* Sic motus est effectum respectu moventis, adjunctum respectu corporis naturalis cui inhæret. Ita risus & effectum, & adjunctum est.

Una res potest esse finis & effectum.

II. *Termini simplices per omnia causati genera:*

Finitum.	*Finis.*
Sabbatum.	Publicus cultus Dei.
Sacramenta.	Confirmatio fidei.
Effectum.	*Efficiens.*
Redemtio.	Christus.
Corruptio memoriæ.	Ingurgitatio vini.
Materiatum.	*Materia.*
Voces.	Literæ.
Planta.	Semen.
Formatum.	*Forma.*
Homo.	Anima rationalis.
Vivere.	Anima.

III. Axiomata è causato & causâ, & contrà:

Publicus cultus Dei peragitur Sabbato.

Vinum intemperanter haustum corrumpit memoriam.

Literæ conjunctæ constituunt vocem.

Ubi est anima, ibi vita.

II. Usus demonstrationis.

I. Unum idemq; potest esse causa & effectum ejusdem rei, ita tamen ut alterum sit causa efficiens, alterum causa finalis: ita divitiæ sunt effectum & causa finalis avaritiæ: domus est & effectum & finis ædificantis. Si ergò argumentum fuerit effectum prædicati, & finis ejusdem, dicas talem syllogismum esse à causâ, an verò ab effecto nihil interest: ut, Quod respirat, habet pulmones. Phocæ respirant. Ergò habent pulmones.

Usus finiti. *II. Posito vel sublato destinato proximo ponitur vel tollitur finis:* ut, Credit in Filium Dei. Ergò salvabitur. Respuit salutares admonitiones. Ergò nunquam perveniet ad frugem.

Usus effecti. *III. Effectorum locus dominatur & principem laudem obtinet in laude & vituperatione personarum.* Non enim tam refert, quales fuerint causæ procreantes, & conservantes, putà majores, avi, parentes, nutrices, præceptores, quàm qualem se gesserit qui commendatur: ut, Julius Cæsar est summis accensendus Imperatoribus, non quia natus est ex lineâ virorum fortium, sed quia vicit gentes immanitate barbaras, locis infinitas. Judæi non merentur laudem, quòd fuerint posteri Abraham; sed vituperium, quia Christum repulerunt.

IV. Quæstiones practicæ ex loco effecti summâ cum laude disputantur; quando videlicet argumenta ducuntur ab utili vel inutili, jucundo & injucundo: ut, Sabbatum est sanctificandum. Q. disponit animam ad cultum Dei publicè peragendum. Q. contemtus ejus secum trahit contemtum reliquorum præceptorum. Q. recreat animam, si unà cum aliis fidelibus συσσώμοις congregetur in conspectu Dei & angelorum, adeoque intueatur typum Sabbati æterni. Ebrietas est fugienda. Q. corrumpit sanitatem tum corporis, tum animi.

V. Quæ-

V. Quæstiones theoreticæ sæpissimè demonstrantur ab effecto; quæ dicitur demonstratio à posteriori; de quâ vide supra. Exempla hæc habe: Omne corpus mixtum constat ex contrariis. Quia interitui est obnoxium. Pauci habent veram fidem. Quia pauci servantur. Prius argumentum est à subjecto antecedentis, & effecto consequentis. Posterius ab adjuncto antecedentis, & effecto consequentis. Oportet autem hîc spectare prædicatum, seu partem consequentem quæstionis. Causam diximus *cap. proximè anteced. de usu formæ.*

VI. Quod tribuitur vel adimitur materiato, tribui quoque vel adimi materiæ probabile est: ut, Jaspis, sapphirus &c. gemmæ, quarum fit mentio *Apocal. 21.* sunt pretiosissimæ, & aurum est optimum metallum. Quia nova Hierusalem, quâ nullum præstantius est ædificium, ex illis est constructa. Æs inter metalla quàm maximè sonat. Quia domus famæ, quæ rumusculis & murmure est plena, est ænea. Corpus hominis est corruptibile. Ergò & elementa, è quibus constat, fuerint talia. Usus materiati.

VII. Quod tribuitur vel adimitur formato, seu speciei, tribuitur quoq; formæ vel differentiæ: ut, Christus habuit animam rationalem. Q. fuit homo. Homo non est ineptus ad disciplinam. Ergò neque mens ipsa ad disciplinam inepta est. Actionis honestas inter bina extrema vitia consistit. Q. virtus consistit inter talia extrema. Usus formati.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis, hoc in loco est triplex: *1. Duo dissentanea παραλλήλως opponuntur:* ut, Pax simultates tollit, bellum serit: pax politias, œconomias, scholas & ecclesias florentissimas efficit, bellum nullas vel certè miseras reddit: pax iras compescit, bellum iracundiæ flammas accendit: pax virtutis est altrix, bellum vitiorum est seminarium. *2. Unius ejusdemq; rei effecta κατὰ θέσιν καὶ ἄρσιν ponuntur:* ut, Charitas proximum opis indigum adjuvat, non deserit; esurientem pascit, non occidit; nudum vestit, vestem ipsi non detrahit; oppresso succurrit, non addit afflictionem; famam ipsius defendit, non lædit. *3. Unius rei effecta primò recensentur ordine, deinde contraria subjiciuntur:* ut, *Galat. 5.*

versu 19. 20. 21. 22. Porrò manifesta sunt opera carnis; quæ sunt, adulterium, scortatio, impuritas, protervia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, dissidia, hæreses, invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia &c. Et paulò pòst: At fructus spiritus, est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. *Hîc crebræ sunt illæ antitheses, quibus admistæ sunt syncrises, ita ut virtutes & vitia consideremus tanquam arbores, & illarum fructus depingamus auditorio:* ut, Sobrietas est velut arbor cujus fructus sunt sanitas animi & corporis, timor Dei, cultus divini observatio religiosa: at intemperantiæ fructus sunt morbi animæ & corporis, contemtus numinis, & alia infinita. *Huc denique pertinent antitheses, quibus commemoramus primùm effecta alicujus populi vel viri præclara, deinde subjicimus inepta:* ut, Spartani reges suos in practicis disciplinis versari volebant; senatores prout virtute & honestate, non opibus aut potentiâ, antistabant, eligebant; ludiones, histriones, poëtas amatorios, lenones tanquam bonorum morum corruptores procul urbe pellebant; Scholas magnifaciebant; luxum & ebrietatem extremè detestabantur. Talia hæc sunt, quæ Remp. florentissimam faciunt & conservant. Illud tamen omninò justitiæ adversabatur, quòd furandi ars Lycurgo authore in istam Remp. introducta, ita ut nonnisi deprehensus fur pœnas lueret. Huic illud adde, quòd neminem nisi sexagesimum annum supergressus esset, in senatum admittebant.

Ars furandi à Lycurgo introducta.

II. Syncrisis: Deus hominem creavit; creatum conservat; lapsum erigit; erectum sanctificat; sanctificatum glorificat. *Sic brevis est sententia: Alexander Magnus vicit Darium: quæ sic amplificatur κατὰ σύγκρισιν:* Alexander, non vitio, sed virtute Magnus, de Dario superando consilium iniit, militem conscripsit, arma cepit, se & suos ad dimicandum præparavit, Darii copias aggressus est, vires illius fregit, victoriam reportavit, gloriam sibi immortalem comparavit. O heroëm fortissimum! Hunc utinam ignavi principes quotquot sunt sibi proponant speculum! *Item:* Justitia Resp. fundat; fundatas conservat, ornat, amplificat.

Et sic

Et sic quidem unius rei effecta inter se comparantur. Plurium facta sicpote inter se componuntur: Simſon leonem discerpſit, Chriſtus Diabolum vicit: Simſon portam loco motam asportavit, ut egredi poſſet, Chriſtus effregit portas inferni & mortis, ut reſurgere poſſet: Simſon morte ſuâ multos Philiſtæos internecioni dedit, Chriſtus morte ſuâ mortem hoſtibus, ſibi & ſuis vitam attulit. *Sic Alexander Magnus & Mauritius Imperator Belgicus, Paulus & Petrus &c. conferri poſſunt. Vide exemplum Virgilii:* Excudent alii ſpirantia molliùs æra &c. apud *Ramum lib.1. Dial. cap.9.*

III. Conglobatio. Insigne exemplum occurrit Psal.29. à v.3. usque ad 10. ubi recensentur effecta vocis Dei, hoc est, tonitruum. Item: Diabolus eſt mali author, nequitiæ origo, rerum hoſtis, corruptor ſeculi, homini ſemper inimicus. Huic enim laqueos tendit, huic foveam fodit, ejus animam tentat, corpus affligit, cogitationes illi ſuggerit, affectus ejus occupat & bonos diſſipat, errores ſerit, pacem turbat. *Huc refer effecta virtutum & vitiorum; ut ebrietatis apud Horatium. Item effecta herorum, qualia Cicero recenset in oratione pro M. Marcello, ubi Cæsarem laudat. Hæc conglobatio in demonstrandis quæstionibus est insignis: ut illa quæstio, An Deus omnia benè fecerit, hunc in modum demonstratur.* Si quis fortè nunc adſit momus operum Dei, ille velim ut interroget ſingulas creaturas. Initium faciat à cœlo. Illud protinus enarrabit gloriam bonitatis, ſapientiæ & omnipotentiæ divinæ. Dicet, ſuo motu, lumine & efficaciâ hæc inferiora ſecundùm Deum regi: oſtendet innumerabiles ſtellas, & in iis Solem principem, quodq; ille veluti ſponſus è thalamo ſuo egrediatur ad terram tanquam ſponſam ſuam fovendam & fœcundandam, docebit. Pergat porrò momus iſte, & roget elementa, omniaque ex iis compoſita, & in iis diſpoſita. Volucres aëris, piſces maris, beſtias terræ, has, inquam, creaturas audiat ſibi loqui momus ille. Erumpent omnes & ſingulæ in hæc verba: Si varietate caperis, hæc in nobis eſt omnimoda; ſi utilitas te movet, nos omnes collineamus hunc ad ſcopum, ô homo, tibi ut ſerviamus: Si pulchritudinem deſideras, intuere pulcherrimam illam connexionem, & muſicam

divinissimam, quâ inferiora superioribus, & contraria contrariis ita respondent, ut sit discordia concors. Pergent hæ creaturæ, & jubebunt ut in teipsum descendas,& conscientiam tuam constituas judicem in hâc controversiâ. Tandem sic concludent: Quid est,Mome, quod Deus non fecerit benè, cùm Sol luceat, terra fruges producat, aqua potum ministret, aër corpori vigorem adferat, ignis calore vitam conservet? *Est & hîc conglobatio effectorum, de quibus judicium suspendimus:* ut, Cardanus & Germani nonnulli exaraverunt genituram Servatoris nostri. Alii thema creationis mundi & diluvii erexerunt. Hæc facta extremæ amentiæ & audaciæ damnant multi. Multi citra vanitatem hæc facta disputant; eò quòd mirificè conspirantium siderum constitutio peritiores harum rerum artifices ducat ad altiorem providentiæ Dei & rerum astronomicarum contemplationem. Ego non sum tantus, qui meum judicium hîc interponam.

Cap. 10. Usus doctrinæ de subjecto.

I. Usus declarationis.

I. N*Otæ subjecti recipientis in se, sunt genitivi, quibus indicatur, cujus aliquid sit, si quidem sit bonum animi vel corporis.* Nàm anima & corpus sua bona recipiunt in se; ut, anima scientiam & ignorantiam, virtutes & vitia; corpus sanitatem & ægritudinem, pulchritudinem & deformitatem. Sic virtutes & vitia in se recipiunt laudabilitatem & inhonestatem. Deus dicitur quasi subjectum, seu subjectum analogicum respectu proprietatum suarum.

II. Notæ subjecti recipientis ad se, sunt 1. Genitivi, quibus indicatur, cujus aliquid sit, si quidem sit bonum externum, quod dicunt fortunæ: ut, homo recipit ad se divitias, vestitum, comitatum. *2. Nomina substantiva & adjectiva locum significantia:* ut, Christus est natus in Bethlehem; Cicero fuit Romanus; Prædium rusticanum. Hæc tamen alio modo accensentur classi adjunctorum. *3. Adverbia & præpositiones locū significantes, & vocabula significantia terminum*

minum à quo & ad quem: ut, Christus est in cœlis; Nusquam tuta fides; Paulus profectus est Athenas.

III. Notæ subjecti occupantis, sunt 1. Præpositiones, in, circa, de: ut, *Psal.1.v.2.* In lege Jehovæ delectatio ejus, & in lege ejus meditabitur dies noctesque; Evangelium agit de Filio Dei; Arithmetica versatur circa numerum. *2. Formulæ istæ:* subjici operæ alicujus disciplinæ, objici alicui, esse considerationis Theologicæ, Logicæ &c.

IV. Termini simplices per omnia subjecti genera:

Subjectum recipiens in se.	*Adjunctum inhærens.*
Christus.	Justitia imputata, quâ justi sumus coram Deo.
Sol.	Lux.
Anima.	Virtutes & vitia.
Subjectum recipiens ad se.	*Adjunctum adhærens.*
Æger.	Medicina.
Fideles.	Arcana Jehovæ.
Homo.	Prædia, fundus, agri.
Subjectum occupans.	*Adjunctum occupatum.*
Ventus.	Nauta.
Ens quâ ens.	Metaphysica.
Voluptas.	Temperantia.

V. Hinc axiomata è subjecto & adjuncto:

Christus est justitia nostra. Hoc axioma etiam in sensu causali accipi potest.

Sol est lucidus.

Ægroto administratur medicina.

Nauta disserit de ventis.

II. Usus demonstrationis.

I. *A subjecto communi arguimus probabiliter, à proprio necessario. Hoc verum est in tribus subjectorum classibus.* Tres subjectorum classes. *In primâ classe sunt subjecta recipientia in se*; unde sic arguimus: Scientiæ & virtutes sunt dotes incorporeæ. Quia insunt animo. Christus est omnipotens. Quia est Deus. Est argumentatio necessaria. Contingens est illa: Amat ardenter liberos. Quia est mater. *In secundâ classe sunt subjecta recipientia ad se. Hic argues itidem necessariò & contingenter. Necessariò:* Divitiæ suâ naturâ non

ſunt malæ. Quia filii Dei ſæpè illas poſſederunt. *Contingenter:* Crines rubros odi. Quia homines mali illos habent. *In tertiâ claſſe ſunt ſubjecta occupantia. Hîc argues etiam neceſſariò & contingenter. Neceſſariò:* Adoratio religioſa non eſt transſcribenda Mariæ. Quia debetur ſoli Deo. Adorat creaturas. E. eſt idololatra. Verſatur circa inſtrumenta benè diſſerendi. E. eſt Logicus. *Contingenter:* Narrat de ventis. E. eſt nauta.

II. Circumſtantia loci exaggerat vel elevat crimen: ut, Homicidium eſt commiſſum in templo. Ergò eſt valdè deteſtabile.

III. Uſus amplificationis.

I. Antitheſis eſt hîc duplex, locorum videlicet, & objectorum. Locorum: ut, Chriſtus cœli terræq; Dominus, non Hieroſolymis urbe ſplendidâ, ſed Bethlehemi, oppido humili natus eſt; non in auguſto palatio, ſed in anguſto ſtabulo, & in eo quidem vix locum invenit; non in cunis auro & argento, gemmis & opere phrygionico reſplendentibus, ſed in præſepi repoſitus eſt. Sic ipſe Chriſtus *Matth. 8. verſ. 20. Luc. 9. verſ. 58.* ait: Vulpes habent luſtra, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet: in quibus verbis etiam eſt ſyncriſis. *Primum exemplum eleganiſſimè tractavit Valens Acidalius lib. 1. Elegiarum ſub titulo: Cunæ natalitiæ Chriſti Salvatoris. Antitheſis diverſorum eſt:* Veteres Germani, ut author eſt Tacitus, lucos & nemora conſecrabant diis, non templa. Cenſebant enim ædiculis includi illos non poſſe. At veri Chriſtiani extruunt Deo templa externa, & interna. Externa, ut publicus cultus Deo debitus *εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως* peragatur. Interna, ut in cordibus ſuis audiant Spiritum S. concionantem. Hinc Demoſthenes, liceat ethnicus, *pectus*, ajebat, *mortalium juſtitiâ, verecundiâ & legum obſervantiâ communitum, templum eſſe Deo gratum, optimum & auguſtiſſimum. Huc pertinet illud Lutheri,* qui cùm in comitiis Auguſtanis diſputaret cum Cardinali, & is moneret ut ad gremium Eccleſiæ Romanæ rediret, quod ni faceret, ipſum non inventurum locum in Romano Imperio, hoc dedit reſponſum: *Si non ſub cœlo potero manere, tamen in cœlo. Antitheſis objecto-*

objectorum: Homines pii, non corpori curando se mancipant, sed de ornatu animæ cogitant: non terram sibi patriam esse statuunt, sed cœlum: non arcas numis complent, sed cor suum divitiis illis, quas neque fures eripere, neque tineæ erodere, neque ferrugo consumere potest.

II. Syncrisis itidem est duplex, locorum & subjectorum. Locorum: Si facinus hoc designatum esset inter privatos parietes, veniam aliquo modo mereri posset. Sed cùm admissum sit in curiâ, in coronâ tot hominum lectissimorum, in loco sancto, non video quâ ratione sit excusandum. *Objectorum:* Voluptates quæris? Sed & hoc faciunt pecudes. Divitias corradis? Sed hoc est stolidorum. Bonas literas excolis? Sed & hoc ethnici fecerunt, & diligentiùs fecerunt, quàm tu facis & facere possis. Deum times? Hoc est illud, quod Abraham, quod David, quod innumerabiles alii sancti fecerunt, & centuplicem inde mercedem reportarunt. *Ad syncrisin pertinent laudes urbium, quando urbs cum aliis confertur, & iis præfertur propter amœnitatem, amplitudinem & commoditatem loci.*

III. Conglobatio itidem est duplex, locorum & objectorum. Locorum: ut, Brevis ista sententia, Pius ubique erit beatus, à subjectis locis amplificatur *Deuter. 28. vers. 3. 4. 5.* Benedictus eris in civitate, & benedictus eris ruri. Benedictus erit fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus jumentorum tuorum. Benedictus corbis tuus, & mactra tua. Antithesis est *versu 16. 17. Psalm. 148.* amplificatur hæc propositio, Omnes creaturæ laudate Deum, ab enumeratione locorum. *Nuda est sententia:* Diabolus ubique tentat pios: quæ sic amplificari potest: Diabolus, leo ille rugiens, circumcirca obsidet pios. In foro illorum animos ad fraudem flectere conatur: in templo, vel aures, vel arcem illam rationis & fidei, animam, occupat, & advigilat, ut semen verbi divini vel non excipiant, vel exceptum suffocent. In curiâ suadet odium proximi. In convivio ingluviem commendat & persuadet, altercationes & jurgia accendit, calumnias dictat, ut ita res quæ lætitiæ debebat esse ministra, fiat vi-

tiorum magiſtra. Quid multis? Diabolus ſupra & infra, ante & poſt, intra & extra, ad dextram & ſiniſtram pios aggreditur ignitis ſuis telis. *Conglobatio objectorum in commendatione perſonarum & virtutum, itemque vituperatione perſonarum & vitiorum habet uſum inſignem:* ut, Abraham vixit piè erga Deum, quem cognovit, cognitum amavit ex intimo cordis affectu. Vixit juſtè erga proximum, cui ſuum tribuit, quem non læſit. Vixit temperanter erga ſeipſum, curando animam & corpus eâ, quâ par eſt, diligentiâ. *Item: Fidei juſtifica magna eſt vis: Hæc ſententia ſic amplificari poteſt:* Quænam eſt illa manus, quâ apprehendimus & adjudicamus nobis gratiam Dei in Jeſu Chriſto? Fides. Quodnam eſt ſcutum, quo poſſumus ignita Diaboli tela excipere, excepta retundere? Fides. Quid porrò eſt, quod homini electo demonſtrat inviſibilia, & ipſi repræſentat ea quæ ſperantur? Annon fides? *Item:* Cain primus ille parricida & patriarcha Diaboli, ſævus fuit in fratrem Abelem. In fratrem autem? Imò in ſeipſum. Nam ſanguinem ſuum effudit, dum fratris effudit, cauterium conſcientiæ ſuæ inuſſit, toti familiæ labem adſperſit. O facinus, quo nunquam Sol majus adſpexit! Sed audite majorem ſceleris iſtius immanitatem & turpitudinem. Impius fuit in parentes, quibus filium chariſſimum & tantùm non vitam eripuit. Nihil dicam de impietate erga Deum. Vos ipſi hoc perpendite, ſi modò præ horrore animi perpendere poteſtis. *In hoc exemplo eſt etiam ſyncriſis.*

Cap. II. Uſus doctrinæ de adjuncto.

I. Uſus declarationis.

I. *NOta adjuncti recepti in genere, ſunt 1. Nomina adjectiva,* quantitatem & qualitatem *ſignificantia,* adeoque epitheta pleraq;: ut, Scriptura eſt perfecta; urbs magna, amœna, celebris. De his adjectivis accipe vulgo jactatū illud: *Subſtantivū & adjectivum enunciant ſubiectum & adjunctum. 2. Verba paſſiva, neutro-paſſiva, & ſignificantia ſenſum:* ut, Chriſtus eſt paſſus; Virtus laudatur & alget; Voluptas perit;

Animal sentit; Leo rugit. Huc pertinent versus, qui circumferuntur de proprietatibus animalium: quos vide in Logicâ Parei ad hunc locum. 3. *Verbum Habeo*: ut, Virtus omnia in se habet bona. 4. *Nomina substantiva Genitivum regentia*: ut, Fides est electorum Dei; Adolescentis est majores natu revereri. 5. *Adverbia*, quantitatis, qualitatis, & temporis: ut, Satis lusum est; Bellum feliciter geritur; Disputatio heri est habita. 5. *Nomina hæc*, ordo, signum, quantitas, qualitas, tempus, numerus. Hoc sensu dicimus, argumentum esse ab adjuncto ordine, signo, ab adjunctâ qualitate &c.

II. *Adjuncti inhærentis notæ, sunt* 1. *Verba*, inhærere, inesse, non causaliter, ut Deus est in mundo, neque effectivè, ut mundus est in Deo, sed subjectivè, uti sapientia est in homine. 2. *Bona animi & corporis*: ut, liberalitas & avaritia, pulchritudo & deformitas. 3. *Attributa Dei sunt adjuncta analogica*. **Variis modis res una dicitur alii inesse.**

III. *Adjuncti adhærentis notæ*, sunt. 1. *Verba*, adhærere, adesse, adjungi, circumdari, copulari. 2. *Omnia signa & conjecturæ*. Huc igitur pertinent Physiognomia, Chiromantia, & Medicinæ pars illa, quæ tractat de signis morborum. 3. *Bona externa*, seu fortunæ: ut, agri, satellites. 4. *Prædicamentum Quando, Situs, Habitus*: ut dies, annus, sedere, ocreatum esse. Hoc sic accipe. Hæc prædicamenta non debent revocari ad hunc locum, sed possunt παραδειγματικῶς ipsi subjici. 5. *Loci personarum*, ut vocant Rhetores: utputa, sexus, mores, ætas, educatio, disciplina, vitæ genus, patria, mors. 6. *Locus honesti*, necessarii, jucundi, utilis, inutilis, possibilis, facilis, tuti, periculosi. 7. *Locus externus ut est in subjectis, ita locus internus est in adjunctis*. 8. *Contactus physicus & virtualis*. Nam adjuncta non semper cohærent cum subjectis contactu corporali, sed sæpè virtuali: Si inter vestem & corpus est contactus corporalis, inter panem eucharisticum & corpus Christi est virtualis, seu pactionalis, sive sacramentalis, ut loquuntur scholæ Theologicæ. Sic pii uniuntur Christo mysticè. **Contactus duplex.**

IV. *Adjuncti occupati notæ*, sunt variæ. Nam organa sensuum (vocantur *sensoria*, ut oculus, auris) artes & artifices, quatenus versantur circa sua objecta, censentur adjun-

cta occupata: ut, Theologia occupatur circa Deum, Theologus itidem; morbi exercent medicum; lites dirimendæ occupatos habent causidicos.

V. Termini simplices per singulas adjuncti species:

Adjunctum adhærens.	*Subjectum recipiens in se.*
Peccatum originale.	Homo.
Fides salvifica.	Christianus.
Scientia, ars, prudentia.	Anima.
Adjunctum adhærens.	*Subjectum recip. ad se.*
Divitiæ.	Crœsus.
Comitatus magnus.	Dido venatum proficiscens.
Adjunctum occupatum.	*Subjectum occupans.*
Pius.	Lex divina.
Theologia.	Deus.

VI. Axiomata hinc disponuntur hoc modo:

Omnis homo est peccator inde à momēto conceptionis.
Crœsus fuit dives.
In lege divinâ occupantur pii.

II. Usus demonstrationis.

Tres adjunctorum classes.

I. Ab adjuncto proprio arguimus necessariò, à communi probabiliter, secundùm tres adjunctorum classes. In primâ classe sunt adjuncta inhærentia; ubi sic arguimus necessariò: Anima ad imaginem Dei est creata. Q. in illâ insunt divinæ virtutes. Corpus legitimâ crasi est temperatum. Q. est sanum. Christus est omnipotēs. Ergò est Deus. Hic lapis trahit ferrum. E. est magnes. *Contingenter ita:* Est avis candida. E. est cygnus. Est morosus. Ergò senex. *In secundâ classe sunt adjuncta adhærentia; ubi sic arguimus necessariò:* Est dives. Ergò est homo. *Utplurimùm tamen hìc arguimus contingenter:* ut, Est dives. Ergò impius. Incedit nitidiùs solito. E. est sponsus. Hodiè pluet. Q. mane cœlum rubuit. *In tertiâ classe sunt adjuncta occupata: ubi sic arguimus necessariò:* Est Logicus. Ergò versatur circa instrumenta benè disserendi. *Contingenter ita:* Est Theologus. Ergò non versatur circa instrumenta Logica. Non est nauta. E. non narrat de ventis.

II. Thema quodvis, quod est subjectum, commendatur & vituperatur variè ab adjunctis. Ducuntur etiam ex hoc loco fir-

loco firmissima svasionum & disſvasionum, adhortationum & dehortationum argumenta.

III. *Ab adjuncto proprio arguimus necessariò, ratione subjecti & prædicati quæstionis. Ratione subjecti duobus modis. 1. Posito vel sublato proprio ponitur vel negatur subjectum*: ut, Hic lapis trahit ferrũ. E. est magnes. Corpus Christi ex hypothesi quorundam non est circumscriptum. E. non est verum corpus. 2. *Posito vel remoto uno proprio, ponuntur vel removentur reliqua*: ut, Corpus Christi est visibile. E. est circumscriptum. Et, Corpus Christi non est omniscium. E. nec ubique. Hic tamen modus ad connexa pertinet. *Ratione prædicati: Cui tribuitur vel adimitur proprium, ei necessariò tribuitur vel adimitur subjectum*: ut, Corpus Christi potest videri & palpari. E. est verum corpus. *Lucæ 24. vers. 39.* Baal non potest exaudire. E. non est verus Deus. *1. Reg. 18.* Idola non possunt opem ferre. Ergò non sunt dii. *Esa. 42. vers. 21. Jerem. 2. vers. 28.*

III. Usus amplificationis.

I. *Antithesis adjunctorum est quadruplex. I. Unius subjecti adjuncta varia recensentur* παραλλήλως: ut, Avarus non est Christianus, sed infidelis, & idololatra, cui numus est deus summus: non est liber, sed servus pecuniæ: non est homo, sed canis, qui fœno assidet, quo nec ipse fruitur, & alia animalia, quò minùs illo fruantur, arcet. *II. Duorum subjectorum contraria adjuncta alternatim ponuntur*: ut, Papa se vicarium Christi jactitat. Videte quàm egregiè hic vicarius repræsentet suum principalẽ! Christus fuit humilis, vicarius Christi est monarcha secularis. Christus fuit pauper, Pontifex Romanus affluit divitiis, quas patrimoniũ Petri esse gloriatur. Christus fuit justus & mitis, Pontifex est injustus & iracundus. Eat nunc Pontifex ille Catholicus & se jactet vicarium Christi, & se vocet servum servorum. Talis antithesis est *1. Cor. 15. vers. 42. 43. & 44.* Ita erit & resurrectio mortuorum. Seritur corpus corruptioni obnoxium, suscitatur cum incorruptâ naturâ. Seritur fœdum, suscitatur cum decore: seritur omnium virium expers, suscitatur potens: seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale. Est corpus animale, & est corpus spirituale.

Hinc potest elici illa exhortatio: Quid igitur est homo Dei, quòd mortem tantò reformidas opere? *III. Adjuncta unius subjecti ordine collocantur, quibus subjiciuntur alterius subjecti adjuncta:* ut, Vita hęc angusto est circumscripta termino; est multis miseriis obnoxia, & quidam calamitatis Oceanus; est vitiorum abyssus, &, ut verbo dicam, est nihil, & si quid nihilo est minus. At vita post hanc est æterna; est supra quàm dici vel etiam credi potest beata; est omnis gloriæ & gaudii penu; est virtutum condus promus; &, ut paucis dicam (quò enim plura dico, eò minùs mihi dicere videor) vita illa est OMNIA, quæ cor hominis pii desiderare possit. *IV. Tempus præsens opponitur præterito:* ut in illo carmine Johannis Vitalis de Româ uti nunc est:

Qui Romam in mediâ quæris novus advena Româ,
Et Romæ in Româ nil reperis mediâ:
Aspice murorum moles, præruptaq; saxa,
Obrutaq; horrenti vasta theatra situ.
Hæc sunt Roma, viden', velut ipsa cadavera tantæ
Urbis adhuc spirent imperiosa minas?
Vicit ut hæc mundum, visa est se vincere: vicit,
A se non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victâ in Româ victrix Roma illa sepulta est,
Atque eadem victrix victaq; Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis index,
Quæq; etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Disce hinc, quid possit fortuna: immota labascunt,
Et quæ perpetuò sunt agitata, manent.

Sic Germania prout nunc est opponi potest veteri illi. Si tamen hæc syncrisi subjicere malis, non repugnabo.

II. Syncrisis ita habet. 1. Paria inter se comparantur ex hoc loco: ut, Quousque tandem, Antitrinitarii, sacras Scripturas in pravum sensum detorquebitis? Quousque Christi, non dico divinitatem, ut vos luditis, sed deitatem, sacrilego ore negabitis? Deus Pater est omnipotens, æternus, omniscius, in eum credimus, eum adoramus, in ejus cultum baptizati sumus. Sed & Filius Dei Jesus Christus est omni-

est omnipotens, est æternus & omniscius; in eundem credimus, eundem adoramus, in ejusdẽ cultum baptizati sumus. Vultis ut singula probem? Ecce prodit in medium Johannes Evangelista, & nobis sic loquitur *cap.1.* &c. Huic adjungit se Paulus, & reliqui Apostoli &c. Sed finis sit hujus meæ orationis. Neq; enim ego præ dolore loqui possum, quando vestram projectam audaciam coràm intueor, neque vos, Antitrinitarii, hæc Spiritus sancti oracula perpendere in timore Dei, prout par est, sustinetis. *2. Imparia ex hoc eodem loco inter se conferuntur:* ut, Alexander Magnus, Julius Cæsar & alii heroës fuerunt fortes. Nemo negat. Sed iracundiam qui vincit, hostem superat maximum, & omnibus illis longo intervallo est superior. *Item:* Laudet alius Romam ab antiquitate, & caput orbis fuisse dicat: alius Athenas mercaturam literarum & ipsius Græciæ Græciam fuisse ostendat: alius Babylonis amplitudinem laudibus ad cœlum usque tollat. Ego Hierosolymorum sanctitatem vobis ob oculos ponere conabor, & efficiam ut intelligatis, unam hanc urbem reliquarum omnium laudes quantumvis magnas hoc suo fulgore perstrinxisse & velut obscurasse. *Item:* Quid est, Roberte Bellarmine, quod desideras in sacrâ Scripturâ? Num perfectionem? At illa perfectissima. Num perspicuitatem? Sed illa est lucerna & lampas clarissima pedibus nostris. Num sufficientiam? At illa est cornu copiæ, complectens omnia ad salutem necessaria. *Huic syncrisi talis antithesis subjungi potest:* Desinite itaque, Pontificii, desinite, inquam, Scripturam sacram vocare nasum cereum, regulam plumbeam & lesbiam, gladium hæreticorum, ænigmata Sphingis; desinite illi imperfectionem, obscuritatem, & alia, nescio quæ, sexcenta impingere. *3. Syncrisis temporis hìc eleganter locum invenit, quando cupimus ostendere, authorem alicujus rei nimis multum temporis impendisse alicui negotio:* ut, Johannes Haselbach professor Theologus in Academiâ Viennensi, anno Christi 1402. tam anfractuosis ambagiûm mæandris ineptâ affectatione rerum sacrarum interpretationem persecutus est, ut viginti & uno annis primi capitis prophetæ Esaiæ lectioni inhæsisse, necdum telam, quam orsus erat, pertexuisse memoretur. Hodie pro-

fectò in ſcholis ſunt ſimiles illius, qui quod unâ hebdomadâ abſolvere poterant, trimeſtri, vel ſemeſtri vix abſolvunt; quod ſemeſtri poterant, vix anno ad finem perducunt.

III. Conglobatio adjunctorum eſt varia. I. Præmittitur ſyncriſis brevis, tum ſequitur conglobatio: ut, Si quis Apoſtolorum fuit inſtructus omnimodâ rerum divinarum ſcientiâ, ſi ullum commendavit diligentia indefeſſa, ſi obedientia, ſi prudentia, ſi patientia, ſi conſtantia, profectò Apoſtolus Paulus fuit. Quæ enim in aliis fuerunt ſingula, in ipſo fuerunt univerſa. Atque ut incipiam ab ipſius ſcientiâ, hâc fuit imbutus in cœlo tertio. Diligentiam ipſius prolixè perſequuntur Acta Apoſtolorum &c. Quare ut concludam, ſic ſtatuetis, Apoſtolum Paulum micare inter reliquos, ſicut Lunam inter ignes minores micare videtis. *II. Conglobantur adjuncta è comparatis:* ut, *Pſalm. 18. verſ. 3.* Jehova, petra mea & propugnaculum meum, & liberator meus; Deus fortis meus rupes mea, ad quem me recipiam; clypeus meus, & cornu ſalutis meæ, editus locus meus. *III. Varia nomina adjectiva tribuuntur ſubſtantivo eidem, ad naturam ejus exprimendam:* ut, Charitas eſt longanimis, patiens, nemini moleſta, omnibus utilis, eſt ingenioſa & officioſa. *Item:* Judas ille Iſcariotes fuit avarus, infidelis, apoſtata ſacerrimus, αὐτόχειρ & homicida flagitioſiſſimus. *Sic & varia ſubſtantiva accumulantur:* ut, Germania vetuſtate gentis, hominum numero, rei militaris diſciplinâ, ingeniorum ſolertiâ, cœli ſalubritate, pecoris & metallorum copiâ, denique creandi Imperatoris jure excellens. *Hoc elogium legitur Romæ in Vaticano. IV. Conglobatio temporis eſt crebra:* ut, Chriſtiani in rebus ſecundis non ſunt inſolentes, in rebus adverſis non ſunt puſillanimi, tempore pacis ſunt quieti; tempore belli nemini ſunt moleſti. *V. Conglobantur adjuncta occupata:* ut, Sine Logicos diſceptare de ſuo ponte aſinorum; ſine Metaphyſicos diſputare de ſuâ hæcceitate; Phyſici inveſtigent naturam primi mobilis. Tu memineris te eſſe Theologum, & rerum Theologicarum tractationem decere Theologum memineris. *VI. Urbes laudantur ab incolis & variis ſtudiis hoc modo:* Domi militiæque clariſſima Athenarum urbs ſupra

alias de-

alias dedit innumeros, quorum fideli operâ, cautaque & diligenti administratione ad totius Græciæ principatum eluctata est. Floruit ibi Draco, primus legum Atheniensium fundator, civis probus & prudentissimus, juris divini & humani peritus. Vixit ibi Solon sapiens & mitis legislator. Aristides & Themistocles cives illius urbis fuerunt, meritis in patriam amplissimi, cui omnia alia longè posthabuerunt. Pericles, qui solus ferè Rhetorum aculeum in audientium animis reliquit, ibidem floruit. Prætereo alios. Innumeri enim sunt. *Item:* Literæ, arma & mercatura, tria illa diversissima studia ita fuerunt Athenis copulata, ut eorum quodlibet alteri de palmâ litem ambiguam fecerit. Tres ibi scholæ fuerunt, Academia Platonis, Lycéum Aristotelis, & Stoa, in quibus quidem diversæ sectæ homines docuerunt, sed ita, ut singularem laudem urbi intulerint. *Huc refer encomium Venetiarum, quod habet Georgius Fabricius:*

Urbs Venetûm fœcunda viris, veneranda senatu
Purpureo, & magna virtutibus æmula Romæ.
Hæc quamvis ipso fundata sit æquoris æstu,
Tot tamen excelsas ædes, tot regia tecta
Una habet, Europa quot nostris nulla sub annis.
Pro portis illi est Nereus, pro mœnibus æquor,
Quadrupedumq; loco celeres subiére carinæ.
Templa, forum, turrim, campos, navale, tabernas
Cernentes, strepitumq; urbis, populosq; frequentes,
Artificumq; manus variorum, hominumq; labores;
Unam collectum mundum miramur in urbem.

VII. Huc etiam pertinent tituli Imperatorum, Regum, Principum, virorum Illustrium, Amplissimorũ, Clarissimorũ; ubi non possum tacitus preterire insolentem impietatẽ Turcici Imperatoris, qui talem sibi arrogat titulum, prout ille continetur in epistolâ Amurathis ad Rodolphum II. anno 1593. missâ. Amurath III. hujus nominis, potentiss. invictiss. Imperator Constantinopol. Thraciæ, Illyrici, Greciæ, Terre sanctæ, Asiæ majoris & minoris, Assyriæ, Armeniæ, utriusq; Arabiæ, Syriæ, Ægypti, Sarmatiæ, utriusq; Turciæ, superioris & inferioris Palestinæ, Mauritanie, Tuneti, Dominator & Princeps toti⁹ orbis, omniũq; regnorũ magni maris, Oceani

& terræ firmæ ab Oriente ad Occidentem, defenſor & propugnator magni prophetæ Machumeti, Rex Mechæ & Algieræ, poſſeſſor ſepulchri Chriſti omnium Chriſtianorum Dei, in medio mundi centro Hieroſolymis, Dominus in Europâ, Africâ, Aſiâ, & Americâ, omniumq; inſularum totius magni maris, cujus potentia formidabilis omnibus, vaſtator & irreconciliabilis in æternum univerſi Chriſtianiſmi hoſtis, omniumq; qui ſe Chriſtianos jactitant: Filius omnipotentis Dei, qui juſſit & mentē illuminavit ad oppugnandum Chriſtianos. Intoleranda hæc eſt Turcici iſtius canis impudentia. *VIII. Ad extremum huc pertinent deſcriptiones perſonarum à variis adjunctis:* ut eſt illa Chriſti ex Nicephoro: Porrò effigies Dn̄i noſtri Jeſu Chriſti, ſicuti à veteribus accepimus, talis propemodum, quatenus eam craſſiùs verbis comprehendere licet, fuit. Egregio is vividoq; vultu fuit, corporis ſtaturâ ad palmos prorſus ſeptem. Cæſariem habuit ſubflavam, ac nō admodum denſam, leniter quodammodo ad criſpos declinantem: ſupercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis ſubflaveſcentibus mirifica prominebat gratia. Acres ii erant, & naſus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demiſſus. Capitis porrò capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput ejus non aſcendit, neq; manus aliqua hominis, præterquam matris in tenerâ duntaxat ætate ejus. Collum fuit ſenſim declive, ita ut non arduo, neque nimiùm extento ſtatu eſſet. Porrò frumenti referens colorem, non rotundam aut acutam habuit faciem, ſed qualis matris ejus erat, paulum deorſum verſum vergentem ac modicè rubicundam; gravitatem atq; prudentiam cum lenitate conjunctam placabilitatemq; iracundię expertem, præ ſe ferentem &c. *Hoc argumenti genere Fannium Chæream Cicero pro Roſcio Comœdo cavillatur:* Nónne ipſum caput & ſupercilia illa penitùs abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus uſq; ad verticem ſummum (ſi quam conjecturam affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui iccircò capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne pilum ullum viri boni habere dicatur.

Cap. 12.

Cap. 12. *Usus doctrinæ de antecedente, concomitante & consequente.*

I. Usus declarationis.

I. *Nota antecedentis*, sunt, anteire, antecedere, prius, & omnes voces, quæ nudam temporis antecessionem significant.

II. Nota concomitantis, sunt, connexus, conjunctus, cohærens, concomitans, & similia vocabula, quæ nudam connexionem exprimunt.

III. Nota consequentis, sunt, sequi, posterius, & omnia vocabula, quæ nudam consecutionem designant.

IV. Terminorum simplicium exempla:

Antecedens.	*Consequens.*
Crepusculum matutinum.	Meridies.
Mors,	Sepultura.
Concomitans unum.	*Concomitans alterum.*
Justitia Dei.	Misericordia Dei.
Docere verbum Dei.	Administrare sacramenta.
Ventriculus.	Jecur.
Consequens.	*Antecedens.*
Ultimum judicium.	Resurrectio mortuorum.
Ver.	Hyems.

V. Hinc axiomata è compositione antecedentium, concomitantium & consequentium:

Crepusculum matutinum antecedit meridem.
Deus est justus & misericors.
Ultimum judicium certò sequetur resurrectionem mortuorum.

II. Usus demonstrationis.

I. In hoc topico una hæc cura, num antecessio, cõnexio, vel consecutio sit necessaria, an contingens. Hinc argumentationes necessariæ contingentes: ut, *Facit verè bona opera. Ergò salvabitur.* Quæstio hæc disputata est ab antecedente necessario. *Hic homo habet epar. E. & ventriculum.* Est argumentum à connexis. *Homines judicabuntur in extremo die. E. resurgent.* Est argumentum à consequente. Et hæc

quidem argumenta sunt necessaria. Contingentia sunt illa: Est mortuus. E. sepelietur. Habet caput. E. & manum. Est lassus. E. febricitat. *Primum est ab antecedente, secundum à connexis, tertium à consequente.*

II. Si argumentum probans sit antecedens prædicati quæstionis, syllogismus erit negans in Camestres & Baroco: ut, Hodie non instat judicium extremum. Q. Judæi nondum sunt conversi ad fidem. Non sunt parietes. Q. non est fundamentũ. Non sunt rami. Q. non est radix. Nullus ibi est horror, nulla lassitudo. E. nec febris. *Quæ argumentatio ad affirmandum non perinde valet.* Est fundamentum. Ergò est paries.

III. Si argumentum sit concomitans prædicati, syllogismus erit affirmans in primâ figurâ, aut negans in Camestres aut Baroco: ut, Non est plenilunium. Ergò non est Eclipsis. Est philosophus. Ergò pauper. Est superbus. E. stultus. Huic fœminæ papillæ tument. E. pubes adest.

IV. Si argumentum est consequens prædicati, syllogismus erit affirmans in primâ figurâ: ut, Tabulæ fluctuant. Ergò fuit procella. Lac habet. Ergò peperit. Domus est. Ergò est fundamentum. Est superbus. Ergò est Grammaticus. Hic superbia sequitur Grammaticam.

Hic locus oratoribus est valdè familiaris.

V. Oratores in persequendis argumentis ductis ex hoc loco, mirificè exultant. Nam inde aperitur latissimus campus orationi: ut, probatur Milonem occidisse Clodium, *ex antecedentibus:* ut puta, ex odio, fulgore armorum, mussitationibus, & taciturnis cum amicis colloquiis: *Ex concomitantibus*, ut gemitu, clamore, sanguine: *Ex consequentibus*, qualia sunt, pallor, fuga, titubans lingua, verba tertiata, fluxus sanguinis ex cadavere objecto homicidæ post dies pluscculos, & cætera id genus, quorum singula injiciunt suspicionem, plura faciunt fidem, feriuntque, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. 1. Antecedentium: Cur quæso reformidas, homo Dei, afflictiones? Hæ antecedant oportet gloriam regni cœlorum. Impii in hâc vitâ suum habent regnum cœlorum, ut vulgò dicimus. Hócne illis invideas? Est enim nihil aliud,

hil aliud, quàm præparatio ad futuros cruciatus. Dum enim affluunt divitiis, copiis, & facultatibus, insolentes & cyclopici fiunt, adeoque ædificant ad gehennam. Tuæ autem afflictiones edomant ferociam carnis, & te præparant ad vitam æternam in hâc vitâ inchoandam. Tenebræ illæ antecedunt lucem. Deus te ducit in infernum, ut ita magis tibi dulcescat vita futura. *Item:* Moriuntur pii, moriuntur & impii. Sed illis mors est janua vitæ, his est introitus è morte in mortem. Mors illorum antecedit vitam sicuti hyems ver, & seminis in agrum projectio atq; putrefactio messem. Horum mors antecedit mortem æternam, sicut infortuniũ aliquod minus prænuncium est majoris subsecuturi. 2. *Consequentium:* ut, Qui est sibi benè conscius, erecto est vultu & fronte liberali, sermone utitur rotundo & minimè perturbato, nullâ deniq; pallescit culpâ. At te prodũt demissio vultus, frontis rigor, pallor oris, verba tertiata, & alia innumera, quæ sequi solent conscientiam malam, eamq; indicant non obscurè. 3. *Concomitantium seu connexorum:* ut, Fidem salvificam comitari videas chorum omnium virtutum. Primò adjungit se amor Dei; cum hâc concurrit timor Dei, qui tantum abest, ut excludat amorem, ut cum eo adamantino vinculo colligatus videatur. Timorem Dei non dico subsequitur, sed statim amplectitur & velut osculo excipit dilectio proximi, quæ nullo unquam tempore à dilectione Dei separari potest. O harmoniam elegantissimam! O copulam sanctissimam! O fœdus arctissimum! Quid verò horum est in hypocritis? Crepant illi suum *Credo*, ut ita dicamus; interim volutantur in cœno peccatorum. Oderunt Deum, quem non colunt. Oderunt Deum; quia proximum oderunt. Hæc ubi regnant vitia, ibi mera infidelitas, primum illud primorum parentum peccatum, locum habet. Cum hâc enim cohærent contemtus Dei, injustitia, fraudes, calumniæ.

II. Syncrisis: 1. Antecedentium: Eversa est politia Judæorum juxta vaticinium Christi *Luc.* 19. Ne igitur dubitate Epicurei, qui existimatis comminationes divinas esse inania quædam terriculamenta, excogitata à sacerdotibus, uti sunt vestra verba, ad populum utcunque retinendũ in officio, & promissiones judicatis esse θέλγητρα, *blandi-*

Argumentatio illustris ab antecedente.

tias demulcentes animum, quales ſunt de campo Elyſio, ne dubitate, inquam, ô homines ter & ampliùs infelices de ultimo judicio. Veniet enim hoc, ſicut everſio politiæ iſtius evenit, quam increduli non putabant eſſe venturam. Idem quippe Deus utraque ventura eſſe prædixit. Daniel prædixit hoc idem Hieroſolymorum excidium *cap. 9.* Danielis prophetiam repetiit ſummus Propheta Chriſtus. Videtis autem Hieroſolyma diruta. Cineres & rudera convincunt vos, ut fateamini Danielem & Chriſtum vera prædixiſſe. Cùm igitur idem Daniel *cap. 7. & 12.* & idem Chriſtus *Matth. 25.* prædixerit futurum diem cenſorium, in quo producenda ſint ſingulorum hominum tum mitium ovium, tum hœdorum iſtorum fœdorum facta, nolite, quæſo vos & obteſtor per ſalutem veſtram, nolite miſeri negare has prædictiones Danielis & Chriſti eſſe veriſſimas. 2. *Conſequentium*: Deus eſt invocandus. Opus eſt igitur fide. Cùm enim Deus ſit ſpiritus, in ſpiritu & veritate vult invocari. Non igitur abſque fide. Malè itaque precantur omnes ii, qui demurmurant preculas non intellectas. Cùm enim fides ſit aſſenſus fiducialis, neceſſe eſt, ut ille qui precatur cognitione aliquâ illarum rerum imbutus ſit, quas à Deo petit. 3. *Concomitantium:* Qui fidem ſine operibus ſibi imaginantur, perinde faciunt atque illi, qui ſolem ſine luce, corpus ſine umbrâ, materiam ſine formâ, ignem ſine calore concipiunt. *Item:* Fides eſt una ſeu tota copulativa, principium eſt Theologicum. Si enim de virtute hoc rectè pronunciant Ethici, longè rectiùs de virtute virtutum, fide illâ ſalvificâ, hoc pronunciabitur. Cùm itaque hæc res ita ſe habeat, non video, quomodo illi ſint boni Chriſtiani, qui profitentur ſe credere remiſſionem peccatorum, & interim dubitant de gratiâ & favore Dei. Nec video, quomodo in Chriſtum Servatorem credant, qui peccata ſacrificio Miſſæ expianda eſſe ſcribunt. *Item:* Rectè Nazianzenus dixit contra Arrianos: Aut totum honora, aut totum abjice: non recipio dimidium pietatis, totum te volo eſſe pium. Et Tertullianus: Non eſt in unam partem inclinandum, & ab aliâ parte fugiendum: quoniam nec tenebit perfectam veritatem, quiſquis aliquam veritatis excluſerit portionem. Non igitur ſatis eſt te credere Chriſtum eſſe Deum, niſi etiam credas eundem eſſe hominem

Inſignis argumẽtatio à conſequẽtibus.

hominem, & viciſſim non ſatis eſt, ut credas Chriſtum eſſe hominem, niſi etiam ſtatuas firmiſſimâ fide, eundem eſſe verum Deum. Noſtrum eſt, qui Chriſto dedimus nomen, totum Paſcha edere, ut Deus præcepit veteri populo. *Exod.* 12. Totum Paſcha edimus, quando integram doctrinam de Chriſto tenemus. Quia unus error pugnans cum fundamento, perturbat omnia. Sicut in catenâ ſi unum trahas annulum, reliqui ſequuntur: ita in negotio fidei, ſi unum articulum credas, reliquos utpote cohærentes credere quoque oportet.

III. Conglobatio. 1. Antecedentium. Firmiſſima conſolatio in Eccleſiâ ſumitur à recordatione præteritorum beneficiorum hunc in modum. Jacobus patriarcha *Geneſ.* 32. in ſuâ precatione, cùm metueret hoſtilem adventum fratris ſui Eſau, ſic fermè Deum compellavit: Domine Deus, tu antea mihi benefeciſti, tu ex paupere divitem feciſti, & jam revocas ab exilio: defendiſti me adverſus ſocerum Laban, avarum & crudelem hypocritam. Quare nunc quoq; ſuſcipe mei patrocinium, defende me, & meam familiam adverſus Eſavum fratrem meum, ne interficat matrem cum filiis, adeoque deleat Eccleſiam. Ita David in Pſalmis ſe erigit. Sic Paulus *2. Cor. 1.* Qui, ait, toties nos ex morte eripuit, deinceps quoque nos liberabit. Horum exemplo nos diſcamus ex recordatione præteritarum liberationum concipere certam & firmam ſpem de futuris liberationibus, & hoc modo interpretemur & nobis applicemus locum *Phil. 2.* Deus qui dedit nobis velle, dabit etiam perficere; Deus qui nos eduxit ex tenebris, & vocavit nos in admirandam illam lucem, pertexet telam inchoatam, inchoatumque beneficium perficiet, & domum extruet totam, ut dici ſolet. Nemo itaque dicat, non poſſe impleri quod cœptum eſt. Quid finem cœpti deſperas? Omnipotens cœpit, omnipotens promiſit ſe impleturum eſſe quod cœpit. Nemo in afflictionibus deſpondeat animum. Nam non deſeret nos in periculo ſeptimo, qui nos eripuit è ſex antegreſſis. Noſtri officii eſt rectè uti gratiâ primâ. Hanc enim comitatur ſecunda, ſi quis primâ rectè utatur. Sin, Deus aufert etiam primam. Ad ſummam: Deus ita in nobis ſua dona coronat, ut hujus ſerti flores non ſinat à ſe in-

Paraphraſis verborum Jacobi patriarchæ.

vicem ſeparari. 2. *Conſequentium:* Deus eſt invocandus. Ergò opus eſt fide. Si fide, ergò & verbo. Si verbo opus, ergò & doctoribus. *Hîc eſt conglobatio argumentorum à conſequentibus ad antecedentia. Plenius hoc exemplum è Rom. 10. evolvi poteſt hunc in modum:* Omnis qui invocaverit nomen Dei, ſalvus erit. Quomodo vero invocabunt, niſi credant? Quia invocatio ſine fide, eſt inanis verborum ſonitus. Quomodo porrò credere poſſunt, nemine docente? Nam Evangelium non naſcitur nobiscum, ſed eſt myſterium à ſeculis absconditum. Quomodo verò prædicabunt, nemine mittente doctores? Nam fides ex auditu, auditus per verbum. 3. *Concomitantium:* Quâ fronte audes negare te illum duriter tractaſſe, cùm miſerabilis gemitus ipſius, vox tua hoſtiles minas ſpirans, & ſonitus, qualem verbera edere ſolent, ſint audita à quàmplurimis? *Item:* In amore omnia hæc inſunt vitia: injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum.

Appendix ad argumentorum conſentaneorum praxin, de modis unitatis ſeu identitatis & diverſitatis.

HÆc eſt nobilis illa argumentorum conſentaneorum praxis, quam obſignabimus celebratiſſimâ illâ coronide, de modis unitatis ſeu identitatis, & diverſitatis, quorum praxin tergeminam pro ratione methodi noſtræ hactenus obſervatæ trademus.

I. Uſus declarationis.

Thema ſimplex cum alio poteſt conferri, vel tanquam idem, vel tanquam diverſum.

Idem dicitur thema ſecundùm tres claſſes *ſive ſyzygias* identitatis.

Primæ claſſis identitas eſt cauſalis & effectiva.

Identitas

Identitas cauſalis eſt, cùm effecta inter ſe conſentiunt unâ eâdemq́; causâ:

Ut, Precatio & gratiarum actio conveniunt causâ efficiente, quæ eſt Spiritus ſanctus: homo & bruta conveniunt materiâ & formâ remotis, nimirum elementis, naturâ & animâ: omnia arma in exercitu conveniunt in fine victoriâ.

Identitas effectiva eſt, cùm cauſæ inter ſe conſentiunt uno eodemq́; effecto:

Ut, Angeli & pii in laudibus Deo decantandis: ſtellæ in cœlo conveniunt ſive ſunt eædem effectis, quatenus in hæc inferiora agunt lumine, motu & influentiâ.

Secundæ claſſis identitas eſt ſubjectiva & accidentalis.

Subjectiva eſt, cùm accidentia idem ſunt ſubjecto:

Ut, Vis purgandi bilem & roborandi viſcera, ſunt eadem ſubjecto, quia inſunt eidem rhabarbaræ: fides, ſpes, charitas ſunt eadem ſubjecto, videlicet homine regenerato: officium propheticum, ſacerdotale & regium idem eſt ſubjecto, videlicet Chriſto.

Identitas accidentalis eſt ſubjectorum, quæ accidentibus conveniunt:

Ut, Animal & homo conveniunt ſenſu; Ariſtoteles & Ramus eruditione; Petrus & Paulus fide; Johannes & Jacobus mortalitate. *Dicitur etiam identitas adjunctiva.*

Tertiæ claſſis identitas eſt anteceſſionis, conſecutionis & cohæſionis.

Identitas anteceſſionis eſt, cùm duo vel plura unam eandemq́; rem antecedunt:

Ut, Stercoratio, & aratio antecedunt ſationem; morbus & agnitio morbi antecedunt curationem.

Identitas conſecutionis eſt, cùm duo vel plura unam eandemq́; rem conſequuntur:

Ut, Flores & fructus arboris conſequuntur reditum ſucci in arborem; ſanctificatio & glorificatio ſequuntur juſtificationem.

Identitas connexionis eſt, cùm duo vel plura cohærent:

Ut, Reſurrectio carnis & ultimum judicium cohærebūt; fides & charitas ſunt idem connexione; ſic materia & forma; generatio & corruptio; remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ.

Thema diverſum dicitur itidem ſecundùm tres claſſes, nempe diverſitatis.

Verbi gratiâ: Theologia & philoſophia differunt cauſis proximis, effectis, ſubjectis, adjunctis & anteceſſione. Sed cùm contrariorum eadem ſit doctrina, facillimè ex traditis de identitate colligi poterit ratio diverſitatis. Cùm igitur naturam alicujus rei declarare volumus, poſſumus illius convenientiam & differentiam hoc modo indiçare: ut, fides convenit cum charitate causâ efficiente, ſubjecto, & adjunctis quibusdam: differt formâ & effectis. Cœlum convenit cum terrâ causâ efficiente, materiâ remotâ, & fine: differt materiâ proximâ, formâ, effectis, adjunctis & anteceſſione. Atque hiç modus declarandi magnæ eſt utilitatis.

II. Uſus demonſtrationis.

Quando quæritur de convenientiâ & differentiâ rerum (quæritur autem ſæpe) ex his topicis argumentorum conſentaneorum peti debent demonſtrationes ſive probationes. Nam aliquoties monuimus nos vocabulum demonſtrationis largè accipere. Sit quæſtio, An philoſophia conveniat cum Theologiâ? Hæc affirmatur è loco cauſæ efficientis: Q. utraque Deum habet authorem. Tum è loco finis: Q. philoſophia eſt inſtrumentum ſubſerviens Theologiæ. Jam verò inſtrumentum debet agere diſpoſitivè, non contrariè. Adhæc è loco adjuncti. Q. utraque eſt bona. E loco concomitantium. Q. multi Theologi fuerunt & ſunt præſtantiſſimi philoſophi. Sit probanda hæc concluſio: Virtutes ethnicorum differre à virtutibus Chriſtianorum. Probatur à causâ efficiente proximâ, quæ in electis eſt fides ſalvifica, quâ deſtituti fuerunt ethnici. Item à fine. Q. piorum bona opera ad ſolius Dei gloriam referuntur. At ethnici ſuam gloriam quæſiverunt. Porrò à ſubjecto: Perſona placet Deo

Deo in Christo. Ethnici autem non fuerunt membra Christi.

III. Usus demonstrationis.

In diffusâ tractatione quæstionum tùm theoreticarum, tum practicarum amplificatio ex modis identitatis & diversitatis instituitur luminosa & pathetica. Concurrunt autem hic antithesis, syncrisis & conglobatio. Sic si velis hominem dehortari à superbiâ, ita procedes: Eloquere quæso, homo misellе, eloquere, inquam, quâ de causâ superbias? Numne cum Alexandro Magno Jovis Ammonii filium te esse credis? Num forsan è nobiliore luto corpus tuum factum esse tibi persuades? Num anima tua est præstantior animâ hominis alicujus abjecti? Falleris ita si statuis. Eundem enim habes patrem, quem illi, quos tu alto supercilio despicis, sive Deum spectes, sive Adamum, sive majores tuos, qui ipsi mortales fuerunt. Porrò ex eâdem massâ corpus tuum productum est. Tuum corpus æquè ac illius, quem fastidis, est esca vermium. Eadem terra tibi domicilium est & mater. Desine igitur artem nefariam contemnendi alios. Desine hujus tuæ insolentis superbiæ, & superbæ insolentiæ. *Ita ostendi potest convenientia & discrimen Veteris & Novi Testamenti.* Fide justificati sunt veteres Patriarchæ, Prophetæ, Reges & credentes, fide inquam in Christum justificati sunt æquè atque nos. In eundem crediderunt Deum Unum & Trinum, in quem nos credimus. In eâdem fuerunt Ecclesiâ Catholicâ, in quâ nos sumus. Eandem vitam æternam expectarunt, quam nos credimus, non verò animos in terram Chananæam solùm defixos habuerunt. Interim nos illis sumus longè longeq; feliciores. Nos enim in Christũ jam missum credimus, illi promissum fide expectarunt. Illorum Ecclesia angustis terræ sanctæ finibus circumscripta erat, at Ecclesia N. T. universos totius mundi angulos occupavit. Illi ceremoniarum multitudine & difficultate premebantur: at nos sacramentis duobus, iisque facilibus per Dei gratiam utimur, & habemus ritus adiaphoros, nec multos, nec operosos, nec sumtuosos. *Item:* Certè aliquod est discrimen inter baptismum Johannis & Apostolorum sive nostrum. At non est tam magnum, ut Pontificii volunt.

Similitudo & differentia V. & N. Testamenti.

Discrimen inter baptismũ Johannis & Apo-

stolorum, & convenientia.

Licèt enim quoad circumstantiam & modum patefactionis Christi aliquod discrimen fuerit, non tamē quoad speciem. Specie unus idemq; baptismus fuit, cùm ut illius, ita & horum eadem sit definitio, & causis omnibus uterq; conveniat. Causa efficiens baptismi princeps est Christus solus per Sp.S. Hic baptismum primò instituit in personâ Johannis Baptistæ, cujus baptisma non esse ab homine, sed ex Deo & de cœlo, Christus ipse testatus est *Johan.1. v.23.31.* Deinde verbo mandati & promissionis, institutum baptismum Johannis confirmavit. *Matth.28. v.19.* Materia baptismi est tum sacramentum, sive signum, tum res sacramenti, sive signatum. Signum est aqua, & ablutio corporis. Signatum est sanguis Christi, & ablutio animæ. At hæc omnia fuerunt in baptismo Johannis. Forma baptismi est analogia & unio illa sacramentalis inter signū & signatum. Et hæc fuit in baptismo Johannis. Finis baptismi est significare, obsignare & præbere sacramentaliter peccatorum remissionem, beneficium regenerationis & unionem nostri cum capite nostro Jesu Christo: item, esse testimoniū nostræ pietatis, esse signum discernens nos à profanis gentibus, & deniq; esse vinculum communionis Ecclesiæ, & reciprocæ eorum charitatis, qui eodem lavacro tinguntur. Hos fines spectavit Johannes instituendo & administrando baptismum. Ex his efficitur, baptismum Johannis specie non fuisse distinctum à baptismo Apostolorum, *ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Item:* Homines pii non multùm inferiores sunt Angelis bonis. Nam & illos & istos Deus confirmavit in statu gratiæ, & extra labendi periculum constituit. Et illi & isti laudant Deum Patrem & Patronum suum. Et illi & isti sunt membra veræ Ecclesiæ Catholicæ. Et illi & isti videbunt Deum de facie ad faciem in omnes seculorum æternitates. Summa: Sunt conservi Dei & *συνθεολόγοι*.

Cap.13. Usus doctrinæ de diversis.

JAm dicemus de applicatione argumentorum dissentaneorum, & primò quidem de diversis.

I. Usus

I. Usus declarationis.

I. *Notæ dissentaneorum generales*, sunt particulæ, *Non*, *Sed*, ejusdem axiomatis partes connectentes: ut, Non operibus justificamur, sed gratis.

II. *Notæ diversorum*, sunt, Non hoc sed illud; quanquam, etsi, licèt, quantumvis, utut, quamvis, tamen; quidem, sed non; ut, Non est dives agri, sed ingenii. *2. Corinth. 4. v. 16.* Etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renovatur indies.

II. Termini simplices sunt:

	Diversa	
	Ratione	
Laudare in os.	*Invidi.*	Favere.
Placere Deo.	*Virtutum ethnicorum.*	Placere ad salutē.
Temperantem esse.	*Catonis.*	Esse hæredem vitæ æternæ.
Dives.	*Ennii.*	Fidei plenus.

III. Hinc axiomata è diversorum connexione:

Scio illum mihi non favere, utut me in os laudet: Virtutes ethnicorum, placuerunt quidem illæ Deo, sed non ad salutem.

Cato non est hæres vitæ æternæ, quantumvis fuerit temperans.

Quanquam Ennius non fuit dives, fidei tamen fuit plenus.

II. Usus demonstrationis.

I. *In genere de usu demonstrativo dissentaneorum hæc sunt notanda: Argumentamur à dissentaneis ratione subjecti & prædicati. Ratione subjecti.* 1. Quod tribuitur uni dissentaneorum, adimitur alteri, non semper contrà. 2. Cui convenit unum dissentaneum, de eo negatur alterum, non semper contrà. *Ratione prædicati.* 1. Cui adimitur unum dissentaneorum, ei tribuitur alterum. 2. Cui tribuitur unum dissentaneorum, ei adimitur alterum.

II. *Communis Logicorum opinio tenet, diversorum usum duntaxat esse axiomaticum seu exegeticum, non etiam syllogisticum seu apodicticum.* Sed falsò, ut supra probatum est. Diversorū usus est etiam syllogisticus.

Non quidem ingredi possunt syllogismum in figurâ 1. vel 2. vel etiam connexum, in sensu nempe diviso, ut ego soleo dicere. At in figurâ tertiâ possunt disponi: ut, Salomon non fuit pauper. Salomon fuit pius. Ergò quidam pius non est pauper. Quidam homo non est doctus. Omnis homo est animal. Ergò quoddam animal non est doctum. Sed hîc objicitur: Via analyseως ostendit in his talibus & similibus exemplis argumentum non esse è loco diversorum, sed è loco speciei: quia videl. quæstio probatur particulari exemplo adducto. e. g. Quidam facundus non fuit formosus: ut Ulysses. Respondetur: in omni syllogismo medius terminus duplicem sustinet relationem. Ad subjectum scilicet & prædicatum quæstionis refertur. Hîc autem videndum, utra relatio sit potior. Sic si disputem hoc modo: David debet agere gratias Deo. Q. ipsum liberavit. argumentum est à causâ impellente vel adjuncto antecedentis, & effecto consequentis. Logica autem jubet, ut principalior relatio attendatur, quæ hic est inter prædicatum quæstionis & medium terminum. Sic etiam in exemplis istis, quæ ad locum diversorum adducuntur, oportet attendere, quomodo medius terminus se habeat ad prædicatum. Certè habet se ad illud tanquam diversum. Hîc puto me operæpretium facturum, si communicem cum Logicæ studiosis, quod mihi in hâc controversiâ versanti occurrit, quodque hactenus à nullo Logicorum observatum memini. Hoc ita habet. Diversa considerantur duobus modis, vel ut divisa sunt axiomaticè, vel ut conjuncta sunt axiomaticè, hoc est, non in sensu diviso, sed in conjuncto, ut quidem hoc loco accipimus istam phrasin. Ibi nullo modo possumus argumentari è diversis in figurâ ullâ, vel etiam syllogismo composito. Nulla enim est sequela: Si est doctus, non est pius. Hîc possumus argumentari in figurâ tertiâ, ita ut suprà l. 2. ostendimus, & hîc repetivimus. Sed possumus etiam in figurâ primâ & syllogismo connexo argumentari ex hoc topico, si nempe duo diversa conjungantur, non disjungantur. e. g. Pii in afflictionibus sint bono animo. Q. etsi premuntur, tamen non opprimuntur. *Item:* Ille dux meretur laudem. Q. etsi non reportavit victoriam, tamen insignia victoriæ reportavit. *Item:* Viro bono, si peccet, ignoscendum. Q. etsi oppugnatur à

tur à Diabolo, tamen non expugnatur. Hinc syllogismi: Qui premuntur quidem, nec tamen opprimuntur, in afflictionibus debent esse bono animo. At pii &c. Vel: Si pii non opprimuntur, licet premantur, debent esse bono animo in afflictionibus. Sed verum est illud. E. & hoc. Hos syllogismos vocemus prolepticos seu occupativos. Atque hactenus ego sic sentio de diversorum usu dianoëtico. Dissentiunt alii. Sed nihil opus, ut comitia super hâc re convocentur. Notant hîc viri λογικώτατοι, ex diversis etiam confieri syllogismum notionalem, uti nos supra in genere monuimus de usu demonstrationis. Hic syllogismus v. g. est è loco diversorum: Diversa dissentiunt solâ ratione. Pater & Filius non dissentiunt solâ ratione. E. non sunt diversa. *Item:* Pietas & eruditio dissentiunt solâ ratione. E. pietas & eruditio sunt diversa.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. 2. Cor. 4. v. 8. 9. In omnibus affligimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus hæremus: persecutionem patimur, sed in eâ non deserimur: dejicimur, at non perimus. *Item:*

Canescant alii mento, nos mente: capillo,
Nos animo: facie, nos pectore: tempora quippe
Virtutem non prima negant, non ultima donant.

Item: Non probanda est mansuetudo atque clementia in principe populi rectore, quæ non habet admixtam severitatem illam, sine quâ Resp. administrari non potest. Interim princeps non sit sævus. Severum volo. Non sit lentus. Lenis esto.

II. Syncrisis: Quid tam distans, quàm à severitate comitas? Quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior. *Ita Cicero commendat Brutum. Item:* Non facilè videas principem gravem & humanum esse simul. At Carolus ille Magnus consecutus fuit difficilimam illam societatem gravitatis cum humanitate. Nam gentes, quas ad fidem Christianam adduxit, eâ humanitate tractavit, ut illæ nihilominus ipsius severitatem fuerint reveritæ.

III. Conglobatio. Licet ambulavero in valle mortis, licet Deus decumanis afflictionum fluctibus me obruat, licet

mihi se contrarium ostendat: non tamen timebo mala, non tamen contra ipsum obmurmurabo, non tamen faciam aliquid contra ipsius voluntatem. *Item:* Scripsit Zvvinglius in libro ad regem Galliarum, ethnicos virtutum studiosissimos frui gaudio in cœlis. Erasmus idem scripsit. Hic error non adeò exaggerandus est, quod faciunt quidam stentores. Quanquam enim error est, non tamen fundamentum salutis evertit. Ex infirmitate sunt lapsi magni illi viri, non ex malitiâ. *Item:* Scelus tu illud vocas Tubero? Cur? Isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii enim errorem appellant, alii timorem; qui duriùs, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissimè, temeritatem; scelus præter te adhuc nemo. *Sed hæc sunt opposita. Item:* Etiamsi externus noster homo corrumpitur: internus tamen renovatur indies. Etiamsi morimur mundo, & carnem nostram abnegamus: tamen Christo vivimus, & spiritum adoptionis accipimus. *Hîc etiam est antithesis.*

Cap. 14. Usus doctrinæ de contradicentibus.

I. Usus declarationis.

I. NOtæ *contradicentium*, sunt voculæ non, nihil, nullus, nemo &ç. ut, homo, non-homo; aliquid, nihil; omnis, nullus; aliquis, nemo. Hîc observa τὸ Nihil ut & τὸ in in compositione accipi negativè & privativè. Negativè significat destructionem subjecti & accidentium: Privativè significat destructionem boni accidentis in subjecto reliquo. Illud est hujus loci. Notæ item hujus loci sunt, controversia, controvertere, disceptare.

II. Termini simplices hoc loco sunt:

Contradicentia

Canonicus.	Non-canonicus.
Sanctus.	Non-sanctus.
Esse.	Non-esse.
Deus.	Non-Deus.

III. Axiomata è binis contradicentibus composita:

Libros non-canonicos Ecclesia non potest facere canonicos.

E non-

E non-ſanctis Papa non poteſt facere ſanctos.
Qui ſunt, illi non dicendi ſunt non-eſſe.
Deus non poteſt eſſe non-Deus.

II. Uſus demonſtrationis.

I. Ab unius affirmatione ad alterius negationem, & contrà ab unius negatione ad alterius affirmationem concluditur: ut, Si ex Deo eſt, qui verba ejus audit, ex Deo non fuerit, qui non audit. Ii qui non credunt, non ſalvantur. Quia ii qui credunt, ſalvantur.

Contradictionis vis quanta?

II. Magna eſt vis hujus argumenti. Nam 1. Adigimus adverſarium ad abſurdum & impoſſibile. Hic enim locus continet axioma, quod ſummum eſt omnium axiomatum totius philoſophiæ, ac maximè univerſale: *Contradicentia non poſſunt eſſe ſimul vera de eodem.* 2. Hâc ratione imminuitur alicujus authoritas, cùm ille coarguitur ſibi contradicere. Sic Cicero Atticum Epicuréum urget *1. Tuſculan.* cùm mortuos eſſe negaret, & tamen eſſe diceret. *Jam mallem,* inquit Cicero, *Cerberum metueres, quàm iſta tam inconſideratè diceres.* Atticus: *Quid tandem?* Cicero: *Quem eſſe negas, eundem eſſe dicis. Ubi eſt acumen tuum? Cùm enim miſerum eſſe dicis, tum qui non ſit eſſe dicis.* Tum poſt longam disputationem Atticus ait: *Age jam concedo non eſſe miſeros, qui mortui ſunt, quoniam extorſiſti ut faterer, qui omninò non ſunt, eos ne miſeros quidem eſſe.* Sic Terentianus ille Phædra elevat, Dori teſtimonium, quòd ipſe ſibi contradicat propter ſermonis inconſtantiam, quo modò ait, modò negat.

III. Uſus amplificationis.

I. Antitheſis. Paulus Apoſtolus ait: Concludimus hominem juſtificari per fidem, ſine operibus legis. Quid verò Patres Tridentini? Anathemate percutiunt omnes eos, qui ſolâ fide hominem juſtificari credunt. *Item:* Sacra Scriptura multis locis tradit, noſtra bona opera in hâc vitâ non poſſe eſſe perfecta. At Pontificii quorundam ſanctorum opera adeò perfecta eſſe poſſe ſtatuunt, ut illi poſſint facere opera ſupererogationis, atque ita aliis illa divendere. O cæcos! ô bardos! Quanta hæc eſt impietas? quanta ſuperbia? Certè omnem Phariſaicam ſuperbiam

longiſſimè excedit. *Item:* Sunt, qui ſcribunt & gloriantur, ſe retinere verba Chriſti teſtatoris in S.Cœnâ, dum ajunt hunc eſſe ſenſum verborum Chriſti, IN, CUM, SUB pane eſt corpus Chriſti. Paucis hoc videamus. Verba Chriſti ſunt: Hoc eſt corpus meum. Falſariorum iſtorum gloſſa eſt: In, cum, ſub pane. Profectò hæc duo enunciata immane quantum differunt? Paulina phraſis eſt: Panis quem frangimus, nónne eſt communio corporis Chriſti? Capernaitarum phraſis eſt: In pane latet corpus Chriſti. Jam videant ii, qui cor habent, quàm benè conſentiat illud dogma Capernaiticum cum veritatis cœleſtis oraculis. *Item:* Hem Petre! Negas te Chriſtum noviſſe, quem antea confeſſus es? Inficiaris te ejus eſſe diſcipulum, cujus diſcipulum te antea eſſe affirmaſti? Deficis ab eo, à quo nunquam deficere voluiſti? Tam inconſideratus es, Petre? Quid agis? *Item:* Arrige aures, Roberte Bellarmine, habeo quod te rogem. *Libro 2. de concil. author. cap. 17.* ſcribis Pontificem Romanum ſimpliciter & abſolutè eſſe ſupra Eccleſiam, & ſupra Concilium generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat. *Libro 1. de concil. cap. 9.* tu ipſe ſcribis, quartam celebrandi concilii cauſam eſſe ſuſpicionem hæreſium in Pontifice Romano: & ſecundam ſynodi convocandæ rationem eſſe ſchiſma inter Pontifices Romanos. Ecce quàm egregiè tibi conſtas! Modò ais, modò negas. Qui enim à Concilio damnari & judicari poteſt, ille non ſimpliciter & abſolutè eſt ſupra Concilium, ſed omninò etiam eſt infra Concilium. Tu Cardinalis Reverendiſſime ipſe aſſume & conclude. Ego ad alia feſtinabo.

II. Syncriſis. Refutare veritatem in philoſophicis eſt immanis feritas. At diſertis verbis obloqui ſpiritui Sancto in Theologicis, intoleranda eſt impietas. Sed non minor eſt impietas rectè & reapſe illi contradicere: id quod faciunt ii, qui dicunt corpus Chriſti inviſibili modo latere in pane euchariſtico. Hoc enim perinde eſt, ac ſi dicerent, lux adeſt ſed tenebroſo modo, tenebræ adſunt, ſed modo lucido. Certè qui dicunt corpus Chriſti eſſe ubique, verbis non dicunt, corpus Chriſti non eſſe verum corpus. At reipsâ dicunt, quod nolunt dictum. Si hæc non ſunt pugnantia, corpus eſt immenſum, neſcio equidem quæ ſint pugnantia.

III. Con-

III. Conglobatio: Qui Deum essentiâ suâ immensum esse negant, Deum faciunt non-Deum. Iidem licet verbis dicant, Christum esse Deum & mediatorem, tamen eundem reipsâ dicunt nō esse Deum, ideoq; nec mediatorem. Omnipotentiam isti stolidi tribuunt ei, cujus essentia est finita & circumscripta. Monstris hæc sunt similia. *Item:* Cerebrum in calcaneo gestatis, adversarii, quando Ecclesiam Romanam Catholicam esse plenis buccis jactitatis; quando Papam vicarium Christi, & successorem Petri esse scriptitatis; quando patrimonium Petri nobis objicitis. Potéstne id universale esse, quod certis limitibus continetur? Potéstne Ecclesia urbis esse Ecclesia orbis? An ille est vicarius Christi, qui est Antichristus, & Christi sicarius? Secedere à Petro, an est succedere Petro? Petrus non habuit patrimonium. Cur itaq; vestri Pontifices patrimonium Petri crepant? Increpet vos Deus!

Cap.15. Usus doctrinæ de relatis.

I. Usus declarationis.

I. NOtæ *relatorum*, sunt omnia vocabula argumentorum & reliquorum instrumentorum Logicorum, item institutorum divinorum & humanorum: ut, causa & causatum, subjectum & prædicatum, quæstio & argumentum, sacramentum & res sacramenti.

II. Termini simplices hîc sunt relatum & correlatum:

Relata

Relatum	*Correlatum*
Pater.	Filius.
Vitricus.	Privignus.
Docere.	Discere.
Regula.	Regulatum.

Hîc excellunt personæ & actiones personarum in quatuor ordinibus vitæ humanæ: ut, pastor & auditor, actor & reus, locare & conducere &c.

III. Hinc axiomata è binis relatis:

Pater non est filius.

Non est turpe docere alios, quod tibi honestum fuit (discere.

Regula non est inferior regulato.

II. Usus demonstrationis.

Relatorum affectio est gemina.

I. E relatis, pro geminâ ipsorum affectione, disputantur quæstiones affirmatæ & negatæ: Affirmatæ; quatenus in illis spectatur consensio: ut, Debemus obedire Deo. Q. est Pater noster. Petrus vixit in conjugio. Quia habuit uxorem. *Matth.8.v.14. Negatæ*; quatenus in illis spectatur dissensio, fundamentum negationis: ut, David est Salomonis pater. E. non est illius filius. Accipere beneficia non est turpe. Q. dare est honestum.

II. Oportet sumere argumentum, quod sit relatum prædicati quæstionis: ut, Socii Romanorum non sunt subditi Romanis. Q. Romani non sunt eorum magistratus. Titius est cliens. Q. habet patronum.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. Esa.1.v.2.3. Filios educavi & extuli, ipsi autem deficientes rebellaverunt me. Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël non agnoscit, populus meus non animadvertit. *Hic etiam est syncrisis imparium.* Similis αὔξησις est *Malach.1.v.6.* Filius honorat patrem, & servus dominũ suum: quòd si pater sum, ubi est honor meus? & si dominus sum, ubi reverentia mei? *Huc pertinet ille lusus:* Est rex sine regno; est maritus sine uxore; est dux sine milite; est præceptor sine discipulo.

II. Syncrisis. Servire aliis est miserum. Servire autem suis affectibus, miserrimum. Nam aliis qui servit, hominibus servit: at qui affectibus servit, Diabolo servit. Qui aliis servit, corpore servit, animum retinet liberum: at qui Diabolo servit, & corpus & animam illi mancipat. *Item:* Patresfamiliâs curent domum, reges subditis imperent, doctores in Scholis disputent: tu Deo servire memento. Deo enim servire libertas. *Item:* Absolom insidias struxit Davidi parenti suo, quem sciebat esse unctum Dei, Regem & Prophetam. Nihil ille legem naturæ, nihil verbum Dei curavit, homo infelicissimus.

III. Conglobatio. O beatos electos, quibus Deus est pater & Dominus; quibus Filius est Doctor, Sacerdos & Rex; quibus Spiritus S. est arrha salutis. *Item:*

Cùm tuba magna Dei dicet taratantara, cuncti
Se sistent homines, populus cum principe, doctor
Atq; auditores, judex ipsiq; clientes;

Servus

Servus cum Domino, natus cum patre, pupillus
Cum tutore, Dei se sistent ante tribunal.

Hic observa amplificationem hanc esse admodum luminosam, si quis percurrat quatuor ordines vitæ humanæ, & ex iis adducat res, personas & actiones, quæ tria in singulis statibus sunt adnotanda. e. g. Bellum agros, prædia, domos, omnemq; supellectilem domesticam devastat. Patresfamiliâs & reliqui domestici suum officium nullo modo facere possunt, quando miles omnia implet cædibus. Pulpita in Scholis trepidant ad aspectum militis: Exercitia Scholastica jacent. Verbum Dei in publico cœtu non annunciatur. Auditores fiunt dissoluti. Imperia corruunt. Principes regnis exuuntur &c. *Huc pertinent commendationes urbium à magistratibus, à politico regimine, à disciplinâ Ecclesiasticâ, à status œconomici rectâ constitutione à Scholarum celebritate:* ut, Athenienses habebant Senatum quingentûm virorum, qui regebatur à Senioribus quibusdam veluti ducibus, quos Prytanes vocabant. Sed & alius erat Senatus sanctior & augustior Areopagiticus, cujus nomen dum recenseo, quilibet intelligit quid velim. Peculiares porrò magistratus erant, qui ædificia publica, fontes, portus, vias quoq; & earũ munditiem curabant. Otiosus in societate civili nullus tolerabatur, à quovis vitæ victusq; ratio exigebatur, unde & quomodo suos aleret. Mendicus nullus ibi reperiebatur, qui ostiatim stipem colligeret. Juventus quoq; in liberalibus & sellulariis artibus quàm studiosissimè instituebatur. Verùm præstat tacere, ut ne forte audiam illud: Cuivis facile est Athenas laudare.

Cap. 16. *Usus doctrinæ de contrariis.*

I. Usus declarationis.

I. *Notæ adversorum*, sunt, inimicũ esse, adversari, destruere, demoliri, expellere, è diametro opponi, è regione adversari, δὶς διὰ πασῶν distare. Huc pertinent res secundæ & adversæ, Deus & Diabolus, virtutes & vitia, quatenus vitia non privationem, sed contrariũ actum notant. Hîc observa, Bonum & Malũ Metaphysicè opponi contradictoriè & privativè, sicut ens & non-ens opponuntur. Sed Ethicè opponi etiã possunt ut contraria.

Bonum & Malũ duob. modis opponuntur.

II. Termini simplices sunt:

Contraria, aliis *Adversa*.

Proprium.	Commune.
Res publica.	Res privata.
Dubitatio.	Assertio.
Sapientia.	Stultitia.

III. Axiomata è binis contrariis:
Proprium non est commune.
Reip. causâ non dicitur abesse, qui ob privatã rem abest.
Dubitatio non est assertio.
Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitiâ caruisse.

II. Usus demonstrationis.

I. Potest sumi argumentum, quod sit contrarium subjecto quæstionis: Dolor est fugiendus. E. voluptas est sequenda. Superbia est odiosa. Ergò humilitas est amabilis. Hujus rei ortus bonus est. Ergò ejus corruptio mala est. Hujus rei existentia est optima. Ergò corruptio illius est pessima. Christus fuit temperamento corporis perfectissimo. Ergò dolores quos tulit in morte, non potuerunt non esse maximi. Vide supra canonem: *Contrariorum contraria sunt consequentia.*

II. Potest accipi argumentum, quod sit contrarium prædicati quæstionis. Valetque hic modus ad affirmandum & negandum: ut, Odium est in appetitu concupiscibili. Quia amor est in eodem. In pecudes non cadit injuria. Q. in easdem non cadit jus.

III. Utimur medio, quod sit contrarium immediatum prædicati, ut uno posito alterum tollatur, aut sublato ponatur: ut, Nullus liber est servus. Libertus est liber. E. libertus non est servus.

IV. Ad subjectum & prædicatum quæstionis pertinet hic canon: Si duo sunt bona, ut divitiæ & valetudo; majoris boni contrarium erit majus malum: ut, Si valetudo est majus bonum divitiis, morbus erit majus malum paupertate: Et, Si amare est melius quàm prodesse, odisse erit majus malum quàm nocere.

V. Con-

V. Contraria habent medium, vel non habent. Si habent medium, non necessum est sublato uno alterum poni: ut, Hæc tabula non est nigra. Ergò est alba. Non sequitur. Potest enim esse coloris alicujus medii, ut rubri, punicei. Si non habent medium, uno sublato alterum necessariò ponitur, & contrà; ut, Est sapiens. Quia stultitiâ caret. Homo justificatur gratis. Ergò non operibus. Non dat operam virtuti. Ergò vitio. Contrariorum duo genera.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. 2. Corinth. 6. v. 14. 15. 16. Ne impari jugo copulamini cum infidelibus. Quod enim consortium justitiæ cum iniquitate? & quæ communio lucis cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quę portio fideli cum infideli? Et quæ consensio templo Dei cum simulacris? &ç. *Huc refer* illud Titinnii poëtæ apud Nonium.

Sapientiâ guber. sam. navem torquet, non valentiâ.

Coquus magnū ahenū quando fervit paulâ confutat truâ.

Hîc nota τὸ *guber.* antiquè positū pro *gubernator*, & *sam*, pro *suam. Item:* Agite Christiani, audiamus vocem Christi, Doctoris nostri, non autē seductoris vaferrimi Diaboli. Cogitate quisnam vocet, & quos vocet. Quis vocat ad studium virtutis? Christus, qui est via. Quis vocat ad studiū vitiorum? Diabolus, qui ducit in avia. Quos vocat Christus? Via vocat errantes. Quos vocat Diabolus? Errones vocat errorum pater. Quis vocat ad studiū virtutis? Christus, qui est medicus. Quos vocat? Ægrotos, ut curet. Quis vocat ad studiū vitiorum? Diabolus ille ἐπιχαιρεκακός. Quos vocat? Vel ægros, ut magis affligat; vel sanos, ut de statu illo ipsos dejiciat. Quos vocat Christus? Peccatores. Lætitia mœstos, panis vitæ esurientes, aqua vitæ sitientes invitat. Quin igitur accurrimus citato gradu. *Tales sunt antitheses multæ inter bellum & pacem, justitiam & tyrannidem, avaritiam & liberalitatem, aliaq; virtutes & vitia, quæ δὶς διὰ πασῶν distant.*

II. Syncrisis. Quidquid gloriæ est in hâc vitâ, æstimari potest. At cœlestis gloria erit inæstimabilis. In hâc vitâ virtus & vitium, bellum & pax, bona & adversa valetudo, inter se confligunt ancipiti Marte. At in futurâ vitâ erit virtus sine mixturâ vitiorum, pax sine bello, sanitas sine morbo. Præ-

ſentis vitæ gloria eſt veluti fœnum: at futuræ vitæ gloria erit ſtabilis & perennis. *Item:* Pax in rebus humanis eſt faſciculus & compendium bonorum, bellum è contrario eſt Ilias malorum. Hoc ſi verum eſt de pace externâ & mundanâ, quid putas de pace internâ, quæ eſt conſcientiæ cum Deo, quid item de æternâ illâ, dicendum erit? At bellum, quod militi Chriſtiano cum Diabolo, peccato, & mundo intercedit, non item malum eſt ut illud externum. Eſt enim continuum exercitium pietatis, de quo poëta Chriſtianus:

Nunquam bella piis, nunquam certamina deſunt,
Et quîcum certet mens pia ſemper habet.
Certandum eſt, nulli veniunt ſine Marte triumphi,
Et niſi certanti nulla corona datur.

III. Conglobatio. O miſeram hominis in his terris conditionem! Quidni miſeram? Perpetua ibi eſt viciſſitudo rerum ſecundarum & adverſarum, & harum quidam quaſi principatus, vel ut rectiùs dicam tyrannis. Fac enim pacem, valetudinem, libertatem, conſilium & ſapientiam ad tempus aliquod habere locum. At non diu, nec ſincera ſunt illa. Nam bellum, morbus, ſervitus, caſus & ſtultitia, vel ſtatim illa bona loco cedere jubent tanquam tyranni, vel certè illis admiſta ſunt. *Invitatio illa Chriſti Matth. 11. Venite ad me &c. ſic ex hoc loco amplificari poteſt:* Quis vocat? Redemtor. Quos? Captivos. Quis vocat? Medicus. Quos? Ægrotos. Quis vocat? Vita. Quos? Mortuos. Quis vocat? Via. Quos? Errantes. Quis vocat? Juſtitia. Quos vocat? Peccatores. Benedictio maledictos: Lux cęcos: Salus damnatos: Lætitia mœſtos: Panis eſurientes. Quis itaq; nō accurrat? *Iſta ſententia, Deus dilexit mundum, ſic amplificari poteſt ex hoc eodem topico: ita ut contraria ſibi ſtatim opponantur.* Optimus dilexit peſſimos; feliciſſimus miſerrimos; lux tenebras; juſtiſſimus peccatores; ſanitas ægrotos; via errantes; Deus homines; Dominus ſervos dilexit. Eo tempore, quo debuit nobis infligere pœnam æternam, obtulit nobis gratiam. O dilectio! Eo tempore, quo poterat nos percutere fulmine maledictionum, benedictionem nobis donavit. O dilectio! Eo tempore, quo cœlum nobis poterat claudere, iſtud aperuit. O dilectio! Eo tempore quo nos à ſe arcere poterat, ſuaviſſimè nos invitat. O dilectio! Uno

ctio! Uno verbo, eo tempore, quo poterat nos damnare, salvavit. O dilectio! O φιλανθρωπία! O anima mea dilatare, & imbrem hunc largissimè fluentem excipe! *Eodem modo in homiliis Adami primi merita, & secundi beneficia magnificè extollimus:* Primus Adam de terrâ terrenus; secundus de cœlo cœlestis. Ille superbus & inobediens; hic humilis & factus obediens usq; ad mortem. Per illum facti sumus inimici Dei; per hunc cum Deo reconciliati sumus. Per illum amisimus justitiam & gratiã; per hunc recepimus. Per illum facti sumus filii iræ; per hunc filii Dei. Per illum venimus in potestatem Satanæ; per hunc Spiritui Sancto in custodiam sumus traditi. Illius crimine è paradiso terrestri ejecti sumus; hujus beneficio in cœlestem paradisum tralati. Per illius peccatum mortis necessitas nobis est imposita; hujus beneficio immortalitatis opes invectæ. O magnam Adami primi, & hæredum ejus miseriam! O è contrario magnam secundi Adami & hæredum ipsius gloriam! Tu Adam secunde, tu abstulisti servitutem, & libertatem restituisti! Tu captivam duxisti captivitatem, & nobis reddidisti adoptionem filiorum Dei! Tibi laus, tibi gloria! Largire nobis gratiam Spiritus tui sancti, ut hæc beneficia agnoscamus, celebremus, corde, ore, & vitâ. *Sic etiam civitatem Dei & Diaboli opponimus, conglobatis variis contrariis:* In civitate Dei, quæ est Ecclesia, Deus docet verba vitæ: in civitate Diaboli, quæ est synagoga impiorum, Diabolus professorem agit. Ibi est lux; hîc tenebræ. Ibi verbum Dei auditur; hîc superstitio & cæca ratio regnat. Ibi validè & variè armantur milites Christi; hîc milites Diaboli plumbeis pugionibus adoriuntur arcem Sionis. Ibi reportatur victoria; hîc insperata ignominia. *Observa in his exemplis cum contrariis seu adversis misceri & intertexi privantia, ut orationis πάθος sit vehementius. Nonnunquam contraria sibi opponuntur post longum intervallum:* ut, *Galat.5.v.19.* & seqq. Primò recensentur opera carnis; tum subjunguntur opera Spiritus. *Sic & in hoc exemplo idem videre est:* Virtus est arbor altissimis defixa radicibus, cujus fructus placent Deo & hominibus. Virtutis radix est amara, sed fructus dulcissimi. Virtuti incumbũt boni viri, quos Deus & homines amant. At vitiũ est arbor putris, cujus

radix corrupta, fructus sordidi. Vitii cujusque tanta est turpitudo, ut vel solum commaculet animam, eamq; morti æternæ obnoxiam reddat. Vitiis se dedunt viri mali, qui Satanæ serviunt, quique jurati hostes Dei & filiorum ejus audiunt. *Ita primò potest depingi Ecclesia Dei à virtute & felicitate suâ; tum subjungi potest vituperatio Ecclesiæ malignantium, uti vocant.*

Cap. 17. Usus doctrinæ de privantibus.

I. Usus declarationis.

I. PRivantium *notæ*, sunt, carere, destitui, habuisse & non habere, privatio, habitus, & vocula *non*, item *in*, στερητικῶς, *privativè*, utraq; accepta. Sic vox *infidelis* accipi potest negativè, & privativè.

II. Termini simplices hîc sunt habitus & privatio:

Privantia.

Habitus.	*Privatio.*
Vita.	Mors.
Lux.	Tenebræ.
Illuminari.	Obtenebrari.
Dives.	Pauper.

III. Hinc axiomata ex habitu & privatione disposita:

Vivens Christo, mortuus est mundo.

Luci nulla est communio cum tenebris.

Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. *Tertul.*

Si pauper est inglorius, dives est gloriosus.

II. Usus demonstrationis.

Privativè oppositorum idem usus, qui contrariorum. Majoris tamē lucis causâ, certas adferemus observationes.

I. Ratione subjecti quæstionis sic arguimus à privativè oppositis: 1. Cui tribuitur habitus, ei adimitur privatio: ut, Crœsus est dives. Ergò non est pauper. 2. Cui adimitur habitus, ei tribuitur privatio: ut, Terra non movetur. Ergò quiescit.

II. Ratione prædicati sic argues. 1. Cui tribuitur privatio, ei adimitur habitus: ut, Sancti sunt mortui peccato. Ergò non

non debent vivere in peccato. 2. Cui adimitur privatio, ei tribuitur habitus: ut, Hæc mulier est minimè muta. E. est loquax.

III. Efficacia sunt argumenta, quæ in orationibus, aliisq; tractationibus popularibus ex hoc topico petuntur. Nam habitus ex privatione, & privatio ex habitu evidenter confirmatur vel refutatur: ut, Pii mortui sunt mundo. Q. vivunt Christo. Pii non ambulant in tenebris. Q. sunt filii lucis. Et vicissim: Pii vivunt Christo. Q. mortui sunt mundo. Pii sunt filii lucis. Q. non ambulant in tenebris.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. 1. Privationi statim opponitur habitus κατὰ παραλληλισμόν. Christus fuit nudus in his terris, ut nos vestiret: pauper, ut ditaret: humilis, ut in cœlum tolleret. Contristata est ipsissima lætitia, ut nobis perpetuum pareret gaudium: passa est salus, ut nos captivos liberaret: mortua est vita, ut nos æternùm viveremus. Papæ! Quid quæso mirabilius? quid stupendum magis? Infirmitas Christi nos confortavit: pavor Christi nobis animum reddidit: passio Christi nos salvavit: labor Christi nobis quietem peperit: mors denique Christi nobis vitam restituit. *2. Habitus primo loco declaratur, demonstratur & amplificatur: dehinc post ejus tractationem habitus exponitur: & ultimo loco habitus & privatio conjunguntur:* ut, O beatam civium, qui cooptati sunt in Rempublicam Israëlis, sortem! Ambulant illi in luce: sunt liberi: reverâ vivunt, quia Deo vivunt: sunt divites, quia animæ divitias possident in Christo. Atque ut hęc beneficia eò altiùs perpendant, jubebo illos cogitare pristinum statum. Annon ambularunt quondam in tenebris? annon fuerunt captivi, mortui & pauperes? Perpendite hoc ô Christiani, & vestram felicitatem, quam à Christo habetis, subinde cum miseriâ, in quam incideratis vestro vitio, componite, ut ita stimulus vobis addatur ad Deum celebrandum. *Observabis hîc, quandoq; cum privantibus misceri contraria seu adversa, sicut supra monuimus cum adversis nonnunquam misceri privantia, ut nempe oratio reddatur nervosior & penetrantior.*

II. Syncrisis. Adam primus ille homo detestabili suo

lapſu nos orbavit imagine Dei, adeoq; intellectum ſpoliavit ſanitate ſuâ, voluntatē ſanctitate ſuâ, corpus immortalitate ſuâ. Quas verò dotes induxit? Sed quid dixi dotes? Quas peſtes invexit? Omnis generis mala in mundum induxit. Unde enim morbi? Annon ex lapſu? Unde caligo mentis, corruptio voluntatis, & uno verbo omnis maledictio? Ex lapſu. Ex hoc etiam ultimus ille noſter hoſtis, mors, extitit.

III. Conglobatio. In Eccleſiâ Dei videas lucē, verbū Dei, veritatem, juſtitiā, milites Chriſti, victores glorioſos. Quid verò horum in conventiculis Satanę? Ibi Cimmeriæ & plusquàm Cimmeriæ tenebræ; ibi ſuperſtitio; ibi mendaciū; ibi injuſtitia; ibi milites, qui ſtipendia merent ſub hoſte ſuo infenſiſſimo; ibi ignonimia; ibi victores qui ſunt, potiùs victi dicendi ſunt quàm victores. *Item:* In homine regenito lux certat cum tenebris, obedientia cum inobedientâ, vita cum morte; nunc homo illuminatus cæco bellū indicit, nunc viciſſim cæcus illuminato: homo internus cum externo, ſapiens cum ſtulto, ſpiritualis cum carnali & viciſſim decertat. Vide *Roman.7.*

Cap. 18. Uſus doctrinæ de diſparatis.

I. Uſus declarationis.

I. NOta *diſparatorum* præter communes illas notas oppoſitorum, nullus, nemo, non, minimè, nec, neque, aut, vel, nullæ ſunt. Cognoſces autem disparata eſſe, ſi una ſubſtantia pluribus pariter opponatur ſubſtantiis; uti ſtella opponitur aquæ, terræ &c. *Item* ſi accidentia diverſorum ſubjectorum opponantur inter ſe: ut, fides Abrahami & Pauli, eruditio Platonis & Ariſtotelis. *Denique*, media inter duo contraria interjecta, ſunt inter ſe disparata, & ratione extremorum.

II. Termini ſimplices hic ſunt:

Diſparata:

Homo.	Deus.
Rus.	Forum.
Viride.	Rubrum.

Viride.

Viride. Album.
Vel sic dispone. Fortitudo. Timiditas. Audacia.
Scientia. Opinio. Ignorantia.
Album. Viride. Nigrum.

III. Axiomata è disparatis sunt:
Homo non est Deus.
Rus non est forum.
Audax non est fortis.

II. Usus demonstrationis.

Ex hoc topico disputantur solùm quæstiones negata. Ea enim est rerum natura, ut tantùm unum aliquod de re dici possit. Quapropter cùm aliquid de eâ affirmaveris, reliqua omnia, quæ ab ea differunt, negabuntur: ut, Christi regnum non est de hoc mundo. Q. est de cœlo. Petrus non fuit Romæ summus Pontifex. Q. Evangelium ordinariè prædicavit inter gentes. At uno negato reliqua non affirmantur: ut, Non est homo. Ergò est asinus. Nulla est consequentia.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis est varia. Nam 1. Disparatum disparato statim è regione opponitur: ut, Nabal non fuit sapiens, sed astutus: non fortis, sed temerarius & audaculus; non severus, sed tetricus; non parcus, sed avarus. *Item:* Abraham fuit humilis sine fictione; hilaris sine dissolutione; tristis sine dejectione; Deum timuit, sine trepidatione; in Deum speravit, sine præsumtione; Deo obedivit, sine contradictione; proximũ juvit animo promto, non coacto; seipsum amavit, non magnificè de se sentiẽdo, sed pulverem se esse cogitando. Hunc ergò tanquam ideam boni Christiani nobis proponamus. *2. Disparata per remotionem præmittuntur, & tandem id quod ponendum est subjungitur:* ut in illo *Baptistæ Mantuani lib. 6. fastorum.*

Post epulas Christus mortem passurus acerbam,
Instituit sacrum, quod tunc mœrore labantes
Prosternente animos fuit huc transferre necesse.
Non fuit ex avibus, non ex cerealis arista
Fruge, nec ex gregibus sacrum, teneróve juvenco;

Qualia gentiles & gens Judæa solebat
Reddere cœlitibus: sacrum fuit ipse sacerdos,
Ipse fuit ———— ————

Item: Sponsus Ecclesiæ non est primus Adam, *Genes.3.* non Isaac, *Genes. 24.* non Joseph, *Genes. 41.* non David, *1.Sam.18.* non Salomon, *1. Reg. 3.* non Assverus, *Esth. 2.* sed Dei Filius. *Huc refer Epitaphium illud Sphingoides, quod Bononiæ visitur, in quo plus sapientiæ meo judicio latet, quàm in omnibus Physicorum libellis. Est autem tale.* Ælia. Lælia. Crispis. Nec. Vir. Nec. Mulier. Nec. Androgyna. Nec. Puella. nec. Juvenis. nec. Anus. nec. Casta. nec. meretrix. nec pudica. sed omnia. sublata. neque. fame. neque. ferro. neque. veneno. nec. igne. nec. peste. sed. omnibus. Nec. cœlo. nec terris. nec. aquis. sed. ubique. jacet. Lucius. Agatho. Priscius. nec. maritus. nec. amator. neque. necessarius. neque. mœrés. neque. gaudens. neque. flens. hanc. nec. molem. nec. pyramidem. neque. sepulchrum. sed. omnia. scit. &. nescit. cui. posuerit. Hoc. est. sepulchrum. intus. cadaver. non. habens. hoc. est. cadaver. extra. sepulchrum. non. habens. sed. cadaver. idem. est. &. sepulchrum. sibi.

Ænigma Physicum mirabile.

3. *Disparato, quod removetur, adduntur rationes: ut ex Johan. 1.* Johannes Baptista non est Christus; quia illius prodromus, nec ipse est θεάνθρωπος. Non est Elias; quia ille in cœlum fuit assumtus. Non Propheta; quia lex & prophetæ usque ad Johannem. Quid ergò est? Est vox clamantis in deserto, præparans viam Christo. 4. *Disparatum, quod removetur, illustratur exemplo:* ut, Christus rex ille noster, cùm ad crucem duceretur, non purpurâ, ut Herodes *Act. 12.* sed sanguine suo fuit vestitus: non aureâ coronâ, qualem David gessit *2.Sam.12.* sed spinis intertextâ fuit redimitus: non in eburneo sedit throno, ut Salomon *1. Reg. 20.* sed in arâ crucis pependit, clavis transfixus, & lanceâ vulneratus.

II. Syncrisis. Concisa est sententia: Christus cum Diabolo pugnavit: *Matth. 4. quæ sic augeri potest ex hoc topico.* Ecqui duces hîc in arenam descenderunt? Num Hector dux fortissimus, & Achilles princeps invictissimus? Minimè. Num Æneas rex ille bellicosus, & Turnus Ausonius ille audax? Nullo modo. Ecqui igitur? Fortè David & Goliath? Ne hi quidem. Christus & Diabolus, David ille cœlestis &

Goliath

Goliath infernalis congressi sunt armati. Quæ verò arma? Non gladii, non hastæ, non tela, non tormenta bellica: sed ignita tela tentationũ, & sacra Scriptura, gladius ille Dei &c. *Hæc arma amplificari possunt ex Ephes. 6. vers. 11. 12. & sequentibus ubi describitur panoplia militis Christiani. Item:* Dulcissime Servator Jesu Christe, sanctissimum tuum caput fuit cæsum & vulneratum; facies tua divina sputo impiorum fuit commaculata; manus & pedes tui clavis transfixi; latus tuum lanceâ transfossum; anima tua sensit ignem infernalem iræ divinæ. Quas, ô Jesu Christe, pro hoc beneficio (nam pro me passus es hæc talia) gratias mea mens concipiet, lingua eloquetur, tota vita exprimet? Mea siquidem peccata te crucifixerunt, & tu horum debitorum meorum chirographum crucifixisti. Quid ergò differs, anima mea, crucifigere veterem, & vivificare novum hominem, cùm Christus excitaverit istius fomitem, & vitam illius extinxerit? Tu fac idem quod Christus fecit. Quod, inquam, ille fecit ut caput, tu fac ceu membrum gloriosi istius capitis. *Item:* Ah impii, quid vos fiet ultimo illo die? Quid facietis impii? Terra vos expuet. Quid facietis? Num latebras quæretis ac recessus? Absolom quondam fugâ sibi consuluit, *2. Sam. 13.* At quò vos fugietis? Totus namque orbis terrarum igne conflagrabit. Et David dicit *Psalm. 139.* Quò ibo à spiritu tuo Domine, & quò à facie tuâ aufugiam? Quid facietis? Num peccatorum sordibus vos coinquinatos esse inficias ibitis? Fecerunt hoc filii Jacob, *Genes. 37.* Sed judex vester erit καρδιογνώστης omniscius. Quid facietis? Num vos excusabitis & purgabitis? Licet hoc in foro soli, imò nec semper ibi licet. In foro poli nunquam. Sed paulò mitius vobiscum agam. Agite quam adferetis excusationem, si forte illam ibi locum habituram persuasum habetis? Num dicetis vos ignorasse Deum? At cœlum & terra vos refutabunt. Num vobis non sat temporis fuisse datum ad pœnitentiam prætendetis? At judex respondebit: Ego vobis dies: dies autem? imò menses & annos multos concessi. Cur helluando, cur fallendo alios, cur contemnendo verbum meum, tempus illud transmisistis? Quid ergò facietis? Forsan animo demisso & humili ad clementiam judicis supplices confugietis? At ibi nullus misericordiæ ful-

Panoplia militis Christiani.

gor vobis illucescet, propterea quòd tempus gratiæ in hâc vitâ neglexistis. Ideò hanc vocem ex Deo audietis: Non novi vos. Quid facietis? Num judici vos opponetis? Equidem si cum homine vobis res esset, possetis, & sæpe non possetis. Nunc verò quando judex est Deus omnipotens, quid agetis? Quæ cùm ita sint, ô impii, ferte fructus dignos Evangelio, si in hoc judicio consistere vultis. Velle autem debetis, si vestram salutem amatis, hoc est, si homines estis.

III. Conglobatio. Ratio Deum colendi non peti debet ex philosophorum, Platonis, Aristotelis, Senecæ, & aliorum scriptis. Affirmant quidem illi hoc, sed errant: Non ex Pontificiorum traditionibus & legendis; quia repugnant verbo Dei. Non ex Anabaptistarum & fanaticorum deliramentis; non ex poëtarum fabulis: sed ex scriptis Mosis, Davidis, Esaiæ, Jeremiæ, Matthæi, Marci, Pauli &c. Prophetarũ & Apostolorũ: ex illorum inquã scriptis rectè lectis & intellectis peti debet ratio Deum colendi. *Item:* In S. Cœna accipimus non fructum arboris vitæ, quæ fuit in paradiso: non agnum paschalẽ V. T. quem manducarunt Israëlitæ: non manna illud cœleste, quod iidem acceperunt in deserto: non aquam, quæ ex petrâ erupit: sed panem illum vitæ, qui nutrit animas nostras ad vitam æternã. *Item:* Nos ex potestate Diaboli liberavit, non Abraham, qui fratrẽ suum Loth eripuit è manibus hostium; non Josua, qui innumerabiles hostes fudit, sed Diabolum nõ potuit vincere; non David, qui plurimis quidẽ fuit terrori, sed tamen pro se & aliis non potuit satisfacere Deo; non Angelus, qui unâ nocte in castris Assyriorum aliquot millia fudit: sed Christus, Dei & hominis Filius, arma induit, hostes invasit, cum iis bellum gessit, victoriam deportavit, nobis quietẽ suis laboribus, libertatẽ suâ servitute, vitã deniq; suâ morte peperit. *Item:* Christus non lapidibus est obrutus, ut Zacharias Propheta *2. Chron. 24. v. 1:* non ædificio est oppressus, ut Samson. *Jud. 16.* nec ejus caput est amputatum, ut Johannis Baptistæ: sed cruci est affixus, adeoq; appetiit mortẽ, quæ erat maledicta. *Item:* Quis est ille gladius, quo ignita Satanæ tela repellere possumus? Num Mosis baculus, qui devoravit serpẽtes magorum. *Exod. 7.* Nequaquã. Num Davidis funda & lapides, quibus gigas ille gloriabundus per-

dus percussus est. 1. *Sam.* 17? Minimè. Num asini maxilla, quâ magnus ille Samson magnā hominum stragem edidit *Jud.* 16? Neutiquam. Quis igitur? Verbum Dei. *Eph.* 6. *Huc pertinent versus, rerum magis quàm verborum elegantiâ plausibiles, qui Patavii extra portam S. Mariæ annunciatæ leguntur:*

Si tibi pulchra domus, si splendida mensa; quid inde?
Si species auri, argenti quoque massa; quid inde?
Si tibi sponsa decens, si sit generosa; quid inde?
Si tibi sint nati, si prædia magna; quid inde?
Si fueris pulcher, fortis, divésque; quid inde?
Si longus servorum inserviat ordo; quid inde?
Si doceas alios in quâlibet arte; quid inde?
Si faveat mundus, si prospera cuncta; quid inde?
Si Prior, aut Abbas, si Rex, si Papa; quid inde?
Si rota fortunæ te tollat ad astra; quid inde?
Annos si felix regnes per mille; quid inde?
Tam citò, tam citò prætereunt hæc, ut nihil inde.
Sola manet virtus, quo glorificabimur inde.
Ergò Deo servi, quia tot tibi provenit inde,
Quot fecisse voles in tempore quo morieris.
Hoc facias juvenis, dum corpore sanus haberis.

Cap. 19. Usus doctrinæ de paribus.

SEquitur applicatio argumentorum comparatorum, ubi primò occurrunt paria.

I. Usus declarationis.

I. NOtæ parium contractorum, sunt. 1. Nomina, par, parilis, pariter, æqualis, dignus, tantus, tantundem, totidem quantus. 2. Verba, æquare, componere, æquiparare, comparare, consentire, exæquare, æquipollere. 3. Negationes imparium: ut, non impar, haud dispar, non inæquale, nec majus nec minus, non latius nec angustius. 4. Repetitio ejusdem verbi in eâdem ratione: ut, Qui spernit ministros Christi, Christum spernit. 5. Exemplum, cujus est par ratio: ut, Abraham justificatus est

Paria sunt 1. Contracta.

fide, & omnes pii sic justificantur. 6. Pariter inesse: ut, Abrahamo & Paulo pariter peccatum inest.

2. Explicata. *II. Notæ parium explicatorum*, sunt, Idem quod; tam quam; tamdiu quamdiu; tantum quantum; tanti quanti; tot quot; tantopere quantopere; toties quoties; tam ac; æquè ac; non magis, non minus; non magis quàm; non minor quàm, ut:

Non minor est virtus quàm quærere parta tueri.

Amplitudo hujus loci. *III. Paria dici possunt*, quæcunque cum alio noëmate Logico comparantur: ut, causa finali, efficiente, materiâ, formâ, effecto, subjecto, adjuncto, genere, specie &c. quæ vulgò à Logicis vocantur *Eadem.* Supra quidem quædam tradita sunt in hanc sententiam. Sed in praxi quædam subinde iteranda. Dicuntur itaque *Eadem*

Fine; ut sunt actiones hominum piorum, quæ ad gloriam Dei referuntur.

Efficiente; Sacramenta V. & N.T. sunt à Deo.

Materiâ; Res sublunares sunt ex eodem chao.

Formâ; scilicet genericâ & specificâ, non individuificâ. Sic Petrus & Paulus sunt idem animâ rationali.

Effecto; Piper & zingiber conveniunt effectu; Sol & ignis luce, splendore, exiccatione & liquefactione.

Subjecto; Fides & charitas subjecto conveniũt; sic triplex Christi officium. Huc referunt illa, quæ dicuntur *eadem numero* seu *individuo*, uti est quodlibet ens singulare.

Adjuncto; Petrus & Paulus æquè sunt mortales. Huc referunt *eadem loco & tempore*.

Genere; Sic Baptismus & S. Cœna sunt idem genere.

Specie; Sic conveniunt Alexander & Aristoteles; item fides Petri & Abrahami, quatenus utraq; fuit justificãs.

IV. Termini simplices sunt hoc modo:

Paria

Extremum I.	*Tertium*, seu *Quantitas*	*Extremum II.*
Abraham.	Justitia Christi.	Fideles N.T.
Petrus.	Apostolatus.	Paulus.
Imperiũ Romanũ	Amplitudo.	Orbis terrarum.
Pater in SS. Trinitate.	Creatio mundi.	Filius & Sp.S.

V. Hinc

V. Hinc axiomata è paribus disposita, quinque modis: E paribus disposita axiomata quinq; modis.

1. *Simplicia, brevibus notis contracta*: ut,

Abraham & fideles N. T. imputatâ Christi justitiâ sunt pares.

Paulus æquè fuit Apostolus atque Petrus.

2. *Composita, in quibus disponuntur paria explicata*: ut,

——— ——— *Fama est*

Tam ficti praviq; tenax, quàm nuncia veri.

Catullus tantò pessimus est omnium poëta, quantò Cicero optimus omnium patronus.

3. *Sine notis*: ut,

Si Petro licuit gentibus annunciare Evangelium, cur non & Paulo?

Cæsaris & Antonii facinus est commune, cur non & eorundem præda?

4. *Bis bina, contraria disponuntur.* Dicitur συμπλοκὴ τῶν ἐναντίων: ut,

Si pater est dominus, filius est servus.

Si vitia ad miseram vitam, virtus ad beatam suffecerit.

5. *Ficta paria hîc sunt insignia*: ut,

Tam deridentur qui grandia professi, vilia & parva præstant, quàm montes parturientes edito mure.

Non magis sapiunt qui divitias bonis literis præferunt, quàm gallus ille Æsopicus, inventæ gemmæ granum hordei præponens.

II. Usus demonstrationis.

I. A subjecto quæstionis te docet argumentari hic canon: Paria paribus conveniunt: seu, Quod uni parium tribuitur, etiam alteri debet tribui, seu, Quod in re pari valet, valeat in hâc quæ par est; &, Quod in illâ non valet, nec in hâc valeat, ut, Abraham fide fuit justificatus. Ergò & nos fideles. Paulo licet vivere ex prædicatione Evangelii. Q. cæteris Apostolis licuit. Aqua baptismi non convertitur in sanguinem Christi. Ergò nec panis Eucharisticus in corpus Christi.

II. A prædicato quæstionis sic argumentabere: Cui unum parium convenit, vel non convenit, ei etiam alterum convenire vel non convenire probabile est: ut, Christus

in momento ſanat paralyticum. Ergò poteſt remittere peccata. *Matth.9.verſ.5.*

III. Uſus amplificationis.

I. *Antitheſis parium diſſentaneorum ſeu contrariorum, ut lib. 2. vocavimus, hic eſt illuſtris :* ut, Quemadmodum pii ſunt filii Dei:ita impii ſunt filii Diaboli. Ut illi rerum cœleſtium amore flagrant:ita hi terreſtria ſolùm bona cogitant & anxiè quærunt. Ut illi verbum Dei libenter audiunt:ita hi illud contemnunt. Ut illi gratiam Dei ſibi colligunt ad diem gloriæ:ita hi theſaurizant ſibi iram ad diem iræ. Ut denique illi in cœlum aſſumentur:ita hi in gehennam præcipitabuntur. Confer *Rom.6. v.19. Item cum illo Cicer. pro Syllâ:* Neque verò quid mihi iraſcare, intelligere poſſum; ſi, quòd eum defendo, quem tu accuſas, cur tibi quoq; ipſe non ſuccenſeo, qui accuſes eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum : & amicum, inquam, ego defendo meum. *Sic 5. Tuſcul.* Quod cùm fateantur, ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nonne fatendum eſt, eandem vim in virtute eſſe ad beatam vitam? *Item :* Neque verò quid nobis iraſcamini, ſatis intelligere poſſumus, Romanenſes. Si, quòd Eccleſiam defendimus, quam vos accuſatis, cur vobis quoque ipſi non ſuccenſeamus, qui accuſatis eam, quam nos defendimus. Eccleſiam, dicitis, accuſamus eam, quæ nobis inimica : & Eccleſiam, dicimus, nos defendimus eam, quæ nobis amica. *Item:* Hæretici adverſarii noſtri non ſunt otioſi, non ſegnes in defendendis dogmatis ſuis : num nos è contrario torpebimus in aſſerendâ veritate cœleſti. Illi fallacibus argumentis falſitatem propugnant:nos vera non tuebimur? Illi Diabolo inſerviunt alacriter: nos Deo fideliter inſervire abnuimus? Illi etiam atq; etiam advigilant, ut ne, quos habent, amittant auditores: nos patiemur oves fidei noſtræ commiſſas nobis eripi? Illi denique ſuum agmen muniunt, ne iſtud perfringatur: nos mœnia à Chriſto fundata pro virili noſtrâ non defendemus? Nullo modo. Sed hoſtibus occurremus; tela ipſis extorquebimus; propugnacula ſubvertemus.

II. *Syncriſis hic fit duobus modis. 1. Variæ perſonæ & res conferuntur tanquam pares:* ut, Johannes Baptiſta reverâ fuit ille Eli-

ille Elias, de quo apud Malachiam. Elias vixit in deserto: Johannes itidem. Elias incidit in tempora corruptissima. Johannes in æquè corrupta. Elias Achabi favorem non curavit: nec Johannes Herodis gratiam, quam ne titivilitio quidem æstimavit. Elias putabat se unum reliquum esse è servis Dei, cùm tamen aliquot millia adhuc superarent: Johannes quoq; idem expertus est. *Item:* Macte quisquis es homo fidelis! Æquè dives es atque Abraham, cui Deus fuit merces permagna. Æquè justus es atq; David, in capite nimirũ Ecclesiæ Jesu Christo. Tam beatus, quàm Simeõ, qui Jesum in ulnis gestavit. Æquè beatus es atque Apostoli, qui viderunt Christũ. Credis enim, ut Abrahã. Es membrũ Christi, ut David. Manu fidei apprehendis Christũ, ut Simeõ. Oculis fidei adspicis Christũ, ut Apostoli. *Sic comparabis Cyrũ cum Christo, Mosen & Josuam cum Christo, adeoq; typos V.T. cum antitypis: item Romã cum Babylone, Gesnerũ cum Plinio, Lipsium cum Varrone; & pones tum in principio tum in fine amplificationis comparationẽ contractam hoc modo:* Christus est verus Josua, Gesnerus est Plinius Germaniæ, Lipsius est seculi nostri Varro. *Huc refer & aliarũ rerum cõparationes, ut urbiũ, dicasteriorũ, scholarum.* e.g. Quo loco olim Judæis fuit Sanhedrin; Atheniensibus Areopagus; Gallis hodie Parlamentũ Parisiense; Bohemis Appellatio Pragensis; Anglis, Danis, Polonis Senatus regni: eo loco in Germaniâ nostrâ est augusta Camera Spirensis. 2. *Regestio huc pertinet, cùm provocati par pari reponimus.* Exemplum illustre est *Luc. 20.* ubi Christus Pharisæis interrogantib. cujus authoritate ementes & vendentes è templo ejiceret, reponit illam quæstionẽ: baptismus Johannis è cœlo erat, an ex hominibus? Sic Martialis.

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus:
Si fiam locuples, simq; repente potens.
Quenquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi si fias tu leo, qualis eris?

Similiter & pastores illi Vergiliani *eclogâ.* 3.

Dic quib. in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium, non ampliùs ulnas.

Reponit alter:

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

III. Conglobatio duobus modis hîc fit. 1. In laude vel vituperio instituitur prolixa comparatio rerum cum rebus, factorum cum factis, personarum cum personis: ut illa sententia: Pharisæorum vestigiis insistunt Pontificii, sic potest amplificari: Papistas in doctrinâ & moribus pharisaizare quis ignorat? Pharisæi traditiones suas nimiùm quantum extollebant. Pontificii annon idem faciunt? Pharisæi religionem metiebantur externâ pompâ, ceremoniis, amplitudine. Idem faciunt Pontificii. Pharisæi gloriabantur de cathedrâ Mosis: Papistæ de cathedrâ Romanâ sibi gloriantur, & successionem non doctrinæ, sed personarum, crepant. Pharisæi conciliis suis multum tribuebant, bona opera jactabant, ceremonias nescio quas in deliciis habebant, de magistratu non honorificè sentiebant, suos discipulos armabãt in principes, erant avari, hypocritæ, & quis omnia dinumeret. Ponamus Papistas nostros in bilance cum Pharisæis, & videamus, utri periculosiores & graviores errores erravint. Si non periculosiùs errant Papistæ quàm errarunt Pharisæi, saltem æquè periculosè & perniciosè. *Sed tamen hîc opus modestiâ, cujus limites transiliunt, qui Calvinianos cum Sadducæis, Judæis & Turcis comparant: unde illi librorum tituli: Calvinus Judaizans, Turco-calvinismus, & similes. Scapham quidem debemus appellare scapham, sed necessum est, ut priùs cognoscamus scapham, ne vocemus scapham id, quod quidvis potiùs est quàm scapha. 2. Ficta comparata insigniter faciunt ad amplificationem. Sic apud Ciceronem in Inventione:* Sic Xenophontis uxor malit aurum, vestem, & cæterum ornamentum muliebre majoris pretii, mavult etiam vicinæ suæ meliorem virum. Si Xenophon malit equum & fundum vicini sui meliorem quàm suum, mavult etiam uxorem. *Hoc exemplum fusiùs tractatum vide apud Ramum. lib. 1. Dial. c. 18. in fine. Huc refer exemplum illustre Jud. 8. v. 1. & seqq. Item fabulas Æsopi & aliorum unà cum affabulatione. Hic mythologia Natalis Comitis tibi inserviet. Non tamen hîc imitaberis illos, qui fabulas aptant ad mysteriorum sacrorum tractationem: ut fabulã de Jasone & Argonautis reliquis ad Ecclesiam &c. quâ de re videris Clavem Reneccij ad locũ comparatorũ. Potes & ipse fingere comparata, uti videre est in historiâ Josaphat apud Damascenũ, cujus exemplum ego contraham*

traham in pauca: Homo fugit furentem unicornem. Decidit in barathrum. Dum cadit, apprehendit arbusculã, cui innititur. Despiciens videt duos mures radicem arrodentes, & draconẽ in fundo barathri. Ad latera videt quatuor aspides. Suspiciens videt mellis guttulas de ramis destillantes. Oblitus mala quibus implicatur degustando melli est intentus. Homo certè hic fuit miser. At æquè miseri sunt voluptarii, quos persequitur mors tanquam unicornis. Illi incidunt in barathrum, id est, mundum immundum. Arbuscula est vita, quam pugna quatuor elementorum affligit. Draco est Diabolus. Mel est voluptas, hamus Diaboli. *Hæc etiam ad locum similium rectè retuleris.*

Cap. 20. Usus doctrinæ de majoribus.

I. Usus declarationis.

I. NOtæ *majorum, sunt. 1. Particulæ relativæ:* Non solùm, sed etiam; non solùm, verùm etiam; non modò, sed quoque; malo hoc, quàm illud; cùm, tum; non solùm, sed ne quidem; nondum hoc, nedum illud; tantum abest, ut; ante hoc, quàm illud; plus quàm, ne quidem. *2. Comparativi excellentiam rei aut personæ, itemq; excessum significantes:* ut, Terrâ major est Sol; Aurum argento nobilius; Johannes est doctior Petro. Huc refer nomina illustrior, majus, dignius, utilius. *3. Verba significantia comparationem:* præstare, superare, præire, antecellere, vincere, superare. *4. Phrases:* Præter cæteros, præ reliquis, multò magis, quantò magis. *5. Negatio minoris:* ut, Non inferior, non minùs excellens, nulli secundus, non ultimo loco. *6. Præpositiones* supra, ultra.

II. Termini simplices hîc sunt ita:

Majus.	*Quantitas.*	*Minus.*
Charitas.	Duratio.	Fides & spes.
Adulterium.	Enormitas.	Furtum.
Anima.	Præstantia.	Corpus.
Homo.	Ali.	Volucres cœli.

III. Hinc axiomata,

1. *Cum notis:* ut,

Charitas est major fide & spe.

Anima est præstantior corpore.
2. *Sine notis*: ut,
Si Deus alit volucres cœli, hominem sanè, quem condidit ad suam imaginem, alet.
Si faciunt hoc in ligno virente, in arido quid fiet? *Luc. 23.*

II. Usus demonstrationis.

I. Discernantur hìc probè phrases istæ, à majori ad minus, &, à magis ad minus. Christus non oravit pro impiis. Ergò nec pro iis est mortuus. Est argumentum à minori, quia oratio superatur à morte. Sed est à magis probabili; quia magis probabile est aliquem pro aliquo orare, quàm pro aliquo mori.

II. Argumenta ex hoc topico ducuntur & negativè, & affirmativè. Negativè: Angeli non sunt puri coram Deo. E. nec homo. Justus vix servatur. Ergò multò minùs impius. *Affirmativè:* Deus dedit vitam. E. dabit etiam alimentum. Dedit corpus. E. etiam vestimentum. *Matth. 6.* Christus lavit pedes discipulorum. Ergò multò magis discipuli hoc idem facere debent.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis majorum & minorum est in illo Ciceronis pro Mur. Noli tam esse injustus, ut cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere. *Item in illo Juvenalis adversus gloriosum nobilem:*

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas:
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Item: Plato de tribus agebat gratias Deo, quòd mas & nō fœmina, quòd Græcus & non barbarus, quòd Athenis & quidē tempore Socratis natus esset. At nos agamus ipsi gratias, quòd non paganos sed Christianos nos esse voluerit, & quòd tempore Novi non V. Testamenti. *Item:* Veteres dicebant, tria esse impossibilia, eripere Jovi fulmen, Herculi clavam, & Homero versum. At nos rectiùs dicemus, hæc tria esse impossibilia, eripere Christo oves ipsius, Deo fulmen iræ, & Scripturæ sacræ articulum fidei.

II. Syn-

II. Syncrisis. Si Deus dedit corpus & animam, cur victũ & amictum non suggerat? Si formavit ventriculum, cur non porrigat quod ille concoquat? Num qui dedit cibum cœlestem, alimoniam terrenam negabit? Num qui nos induit veste justitiæ sempiternæ, vestimentum corporis denegabit? Profectò qui majora nobis dedit, minora non denegabit. *Item:* Facinus est, Judæi sceleratissimi, vincire Dei Filium, Dominum illum gloriæ; scelus, verberare; plusquàm parricidium necare; quid dicam in crucem tollere? *Item:* Magnum est, quòd Jehova Deus noster nos creavit; majus quòd nos lapsos erexit; maximum verò quòd Filium suum unigenitum nobis dedit. *Item:* Nobilitatis & antiquitatis Germaniæ argumentum citra controversiam maximum est, quòd inter Hispanos, Gallos, Anglos, Belgas, populos omnium judicio excellissimos, ut quisque nobilissimus est, ita ad aliquam Germanorum gentem stirpis suæ antiquitatem refert. Ita seipsâ major Germania, alias passim nationes nobilitavit, limitesque suos egressa finitimos à barbarie revocatos repurgatosque ad humanitatis cultum perduxit.

III. Conglobatio hîc fermè fit per gradationem, quæ sæpè Climacem Rhetorum habet adjunctam, ita ut per gradus à parvo ad magnum, à magno ad majus, à majori ad maximum, à maximo denique ad summum perveniatur: quam amplificationem vulgò vocant Incrementum. Exempli gratiâ: Perpende, anima mea, quid Christus tuâ causâ pertulerit. Odio est habitus & sannis exceptus. Quid? Captus est & arctissimè vinctus. Quid? Morti adjudicatus, & in crucem ut latro, ut seductor, ut author apostasiæ, ut blasphemus, actus est. Quomodo igitur tibi peccata non condonaret, ô anima mea, qui tuâ causâ tam indigna passus est? *Item:* Magnum est, quòd Christus è cœlo descendit propter nos. Majus, quòd famem, paupertatem, & id genus alia sexcenta mala sustinuit. Maximum, quòd mortem crucis maledictam pro nobis oppetiit. Tum quoq; illud summum, quòd pro nobis inimicis suis hæc talia sustinuit. *Item:* O homo cogita quàm vehementer Christus te dilexerit? Naturam tuam assumsit. Neq; hoc tantùm, sed tuam quoq; culpam in se derivavit. Neq; solùm culpā tuam in se deriva-

Incrementum est species amplificationis.

Incrementu[m] (Ba[illegible]) est [illegible] gradus ab in[illegible] ad sum[illegible]

vit, ſed pœnam quoque ſuſtinuit, pertulit. *Item:* Fortiſſima ac generoſiſſima Germanorum natio, humanitate Aſiaticis; militari diſciplinâ Romanis; religione Hebręis; Philoſophiâ Græcis; Geometriâ Ægyptiis; Arithmeticâ Phœnicibus; Aſtrologiâ Chaldæis; opificiorum varietate omnibus omnium gentium populis eſt ſuperior. *Vagetius è Bodino. Hîc etiam poteſt eſſe Sorites:* ut, Chriſtus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedeck. Melchiſedeck eſt major quàm Abraham: Abraham eſt major quàm Levi. Ergò Chriſtus habet majus & efficacius ſacrificiũ Levitico. *Hic Sorites urgetur & illuſtratur in epiſtolâ ad Hebræos. Item:* Miſerum eſt à beſtiis dilaniari. Miſerius multò eſt in manus tyrannorum incidere: unde & David judicavit ſatius eſſe in Dei quàm hominis alicujus manus incidere. At illud miſerrimum, cruciari à Diabolo. Teſtis eſt Saul; teſtis eſt obſeſſus ille apud Lucam; teſtis eſt Chananæa illa apud Matthæum; teſtes duo illi, quos Chriſtus liberavit. Verùm enimverò vexatio illa in hâc vitâ eſt duntaxat præludium illius, quam impii in inferno patientur. Nam ibi non ad aliquot annos, ſed in omnes ſeculorum æternitates torquebuntur. Torquebuntur eheu torquebuntur in omne ævum. Luctuoſum eſt, exturbari bonis terrenis: luctuoſius privari cœleſtibus & æternis. Tortor ille infernalis impios privabit iſtis bonis. Acerbum eſt à viro forti & honeſto jugulari: acerbius ab eo, qui ſub electorum pedibus jacet contritus. Indignum eſt à pari vinci aut ſuperiore, indignius ab inferiore atque humiliore. O igitur ineffabilem miſeriam hominum damnatorum! *Item:* Jeſus Chriſtus Zachæum in arbore ſedentem adſpectu dignatus eſt; neque adſpectu tantùm, ſed etiam alloquio: neque ſolùm allocutus eſt hominem, ſed vocavit, & ædes ipſius ſubintravit. Sed non ſolùm intravit, ſed divitias & honores in ipſum contulit ampliſſimos. Dixit enim: Hodiè ſalus huic domui contigit &c. Hæ ſunt veræ divitiæ, hi honores & tituli, quos Chriſtus ſuis tribuit.

Cap. 20.

Cap. 21. Usus doctrinæ de minoribus.

I. Usus declarationis.

I. NOtæ minorum, sunt *1. Hæ formulæ:* Non solùm, sed ne; non hoc, sed illud; potiùs hoc, quàm illud; cùm, tum; non solùm, sed ne quidem; imò ne quidem. *2. Negatio parium & majorum.* Iis enim negatis minus intelligitur: ut, Anima est præstantior corpore; Maledicus est sævior crudelissimis tyrannis; Consilio recto nihil tutius; Nihil pulchrius, nihil melius, nihil amabilius pietate. *3. Comparatio Grammatica*; quando positivus ponitur juxta comparativum, vel comparativus juxta superlativum. Item *Genitivus pluralis*, quem regit superlativus: ut, Cicero fuit disertissimus omnium Romuli nepotum. *4. Voces imminuentes:* ut, Leviculus, levior, vilior. *5. Adverbium comparationis* Quàm: ut, *1. Corinth. 1. v. 25.* Stultitia Dei sapientior, quàm homines, & infirmitas Dei validior quàm homines. *6. Particula* nedum, Græcè μήτιγε. *Horat. de arte poët.*

Nedum sermonum stet honos & gratia vivax.

Item particulæ, multò minùs, vix, satius.

II. Termini simplices sic habent:

Minus.	*Quantitas.*	*Majus.*
Fortitudo.	Utilitas.	Justitia.
Vincere hostem.	Fortitudo.	Vincere se.
Victus.	Præstantia.	Vita.

III. Hinc axiomata:

Justitia melior est fortitudine.

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire potest.

Vita est plus quàm victus.

II. Usus demonstrationis.

I. *Diligenter discernantur phrases istæ*, à minori ad majus, &, à minùs inesse ad magis inesse: ut, Christum afflixit mundus. E. etiam discipulos affliget. Est argumentum à majori; sed à minùs inesse ad magis inesse.

II. Argumentamur ex hoc topico affirmativè & negativè. Affirmativè: Ciconia,grus & hirundo obſervant tempus adventus ſui. Ergò multò magis homines tempus ſalutis ſuæ obſervare debent. *Jerem.8. v.7.* Hiſtrio quid deceat quærit, & non idem faciat orator? *Negativè:* Ne obolum quidem habet. E.nec centum aureos. Per angelos datus ſermo non fuit irritus.E. multò minùs,qui datus eſt per Filium erit irritus.Hebr.2.

III. Uſus amplificationis.

I. Antitheſis. Quotieſcunque princeps favore & gratiâ ſuâ proſequitur aliquem è ſubditis virum prudentem, magni hoc æſtimamus, magnum interpretamur beneficium. Magis autem admiramur, ſi quando princeps hominem abjectum & miſerum inuſitatâ quâdam complectitur clementiâ. Quid ergò eſt,quòd beneficia Chriſti in nos collata admirari & deprædicare ceſſamus? Nam ille rex regum nos non prudentes,non divites,non felices,ſed ſtolidos,pauperes,omniq; infelicitate infeliciores dilexit. In rebus humanis ita comparatum eſſe videmus,ut amicis noſtris benè velimus,& in illorum gratiam omnia. At Deus nos hoſtes ſuos dilexit. O longitudo,latitudo & profunditas amoris!

II. Syncriſis. Si Abraham præ gaudio geſtivit, quando
Geneſ.19. Filium Dei hoſpitio excepit,& cum eo cibum ſumſit: Si Ja-
Geneſ.28. cob gaviſus eſt, quando per quietem vidit portam cœli,vo-
1.Reg.8. cemque Dei audivit: Si Salomon lætitiâ perfuſus eſt, quan-
Matth.17. do Deus templum ipſius gloriâ complevit. Si Petrus in monte Thabor, in quo Chriſtus glorificatus eſt, admirabile ſenſit gaudium: quo putas gaudio pii in alterâ vitâ perfundentur. Si enim tantus eſt ſplendor in viâ,quantus erit in patriâ? Si magna eſt pulchritudo in hâc lacrymarum valle,maxima erit in cœlo. Si permagna eſt gloria in caligine, ineffabilis erit in luce. Si magna eſt jucunditas in Dei ſcabello, quanta erit in ipſius throno? *Item:* Si Democritus poſt longinquas peregrinationes, quas ſapientiæ causâ ſusceperat, in Græciam reverſus oculos ſibi eruit, lucidiſſimo lebete oculis objecto, radiiſque ſolaribus verberato, hoc nomine, ut oculos mentis acueret, adeoque præcepta quæ hauſerat inter peregrinandum ſolidiùs ruminare poſſet: Si, inquam, philoſophus iſte mundo quaſi mori voluit, cur non multò magis nos Chri-

Christiani veterem Adamum crucifigimus, quò cœlestium mysteriorum studiis meliùs & expeditiùs vacare queamus? *Item:* Si Epaminondas vigilantissimus ille Thebanorũ dux, gravissimo vulnere propemodũ enectus, hilari admodum & magno animo mortẽ oppetiit, propterea quòd tum clypeus adhuc illæsus, tum hostes maximam partẽ fusi essent: cur nõ multò magis nos milites Christi magno cum gaudio ex vitæ huj' valle migremus, cùm fides, clypeus ille noster, sit superstes, cumq; hostes prostrati sint & penitùs devicti? *Item:* Etiã ciconia in cœlo cognovit tempus suum, & turtur, & grus, & hirundo observant tempus adventus sui: populus autẽ meus non novit tempus Jehovæ. *Jer. 8. v. 7. Talis amplificatio est Matth. 6. v. 26. & seqq. Itẽ:* Tota Spartanorũ Resp. nitebatur quinq; Lycurgi legibus, quas Rhetras appellabat, quia scribi nolebat, sed memoriâ comprehendi, cùm paucæ forent, tum ꝙ instar oraculi sibi haberet à Deo dictatas. Nos Christiani habem' quinq; capita Catechetica, quib. regitur Resp. Israëlis. Hæc cõplectamur memoriâ, & circũferamus mente. *Itẽ:* Cicero de Orat. dicit: Fremant omnes licet, dicã quod sentio, bibliothecas me Hercle omniũ philosophorum unus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. Sic ille. At ego sic. Decalogus XII. tabularũ leges, ideoq; omnes philosophorum bibliothecas longo intervallo post se relinquit. *Huc refer quando exempla alicui rei firmãdæ adducuntur, sed infirma:* ut, Purgationis per ferrum candens indicio Genildis Henrici III. conjunx, cùm ab æmulo adulterii postularetur, absoluta est. Eodẽ modo Comitis cujusdam in aulâ Othonis III. tentatæ pudicitiæ Imperatricis falsò insimulati & injustè damnati vidua mariti mortẽ & famam vindicavit. Nec absimili probationis genere ii se olim purgabãt, quos aut virgines corrupisse, aut quas corruptas esse suspicio erat. Hæc quamvis ita se habeant; hodiè tamen istiusmodi probatio per leges è judiciis relegata est. Non enim tanti sunt illa, quæ adducuntur exempla, ut regulam & legem facere possint.

III. Conglobatio. Dolendum est, quòd Turcæ & Tartari sobrietatis, unicæ illius magistræ magnarum actionum in rebus humanis, palmam præripiant orbi Christiano. Quippe lege apud eos cautum, sobriè vivere; & ut fiat, vini potu

interdictum. Inebrios non secùs ac alîus gravis criminis reos animadvertitur. Sic & Turcæ in judiciis brevitatem amant. Nam actor & reus ultrò ad judicem tendunt. Ibi nullo advocato aut causidico, quisque rem narrat, adhibitis consciis, si habent. Judex, re pensiculatâ, secundùm hunc vel illum pronunciat. Ita lis finitur. At Christiani immania pocula exhauriunt, vino se ingurgitant, adeò ut rationis arcem illud petat, pedes tentet, & fulcra illa corporis convellat, manus, magistras artium, occupet. In foro quoque litem è lite serunt. Advocati partibus porrigunt pomum Eridos & funem contentionis ducunt. Causam, quæ suâ naturâ est unius diei, in multos annos prorogant. *Item:* Abigail magnam meretur laudem, quòd iracundiam Davidis vicerit. *1. Sam. 25.* Mulier, quæ Joabum revocavit, ne Abelam civitatem solo æquaret, digna est encomio. *2. Sam. 20.* At Chananæa muliercula de quâ *Matth. 15.* multis parasangis est superior utrâq; illâ; Nam Christum θεάνθρωπον contrarium se ostendentem vicit, & ita vicit ut Christus in hæc verba erumperet: O mulier magna est fides tua! Hoc est encomium amplissimum. *Item:* Splendidum fuit convivium, quod Abraham Angelis apud ipsum divertentibus apparavit. Lauta fuit mensa, quam Joseph fratribus suis adornavit. Magnifica fuit cœna Assueri. Porrò sumtuosissima fuit tractatio, quâ Antonius Cleopatram, & hæc illum excepit. At quid ista omnia ad cœnam illam magnam, quam Deus in cœlis paravit electis suis? *Item:* Admirentur alii pyramides & obeliscos Ægypti; alii extollant templum Dianæ Ephesiæ; alii deprædicent veterum regum monumenta magnificentissima. Nos contemplemur cœlestis illius Hierosolymæ structuram, quam mysteriorum archipræsul Johannes in Apocalypsi suâ divinissimâ vivis depingit coloribus. *Item:* Jacob multos labores exantlavit, & eos quidem libenter, ut Rachele potiretur. *Genes. 31.* Mosen increparunt frater & soror, quia æthiopissam duxerat uxorem. *Num. 12.* David quoque ante gravia adire pericula necesse habuit, quàm cum filiâ regis nuptias contraheret. *1. Sam. 17.* At ea, quæ Christus propter suam sponsam Ecclesiam perpessus est, acerbiora longè, longeque duriora fuerunt. *Item:* David *2. Sam. 24.* è tribus pœnis unam elegit. At impiis in extremo illo

mo illo die non dabitur optio eligendi aliquam pœnam, unam è tribus, ſed innumerabilibus pœnis afficientur, & audient illam vocem *Matth. 25.* Abite &ç. Nam ibi ſingula membra non ſingulis ſed centenis obnoxia erunt morbis. Ibi anima coarctabitur. Ibi ſpiritus perturbabitur. *Item:* O impios longè infeliciſſimos! Præcipitabuntur enim in gehennam, in barathrum inferni, in lacum profundum. Si magnus eſt luctus in terrâ hâc, quantus erit in gehennâ? Si magnus eſt cruciatus in hâc vitâ, maximus erit in barathro inferni. Si denique magna eſt afflictio in hoc mundo, quæ erit in lacu profundo? *Ad hunc locum pertinent thraſonicæ quorundam maleferiatorum voces:* Talis eſt illa Stancari, qui dixit unum Petrum Lombardum, magiſtrum illum ſententiarum, plus valere, quàm centum Lutheros, ducentos Melanchthonos, trecentos Bullingeros, quadringentos Martyres, quingentos Calvinos. Quippe ſi in mortario omnes contunderentur, veræ Theologiæ unam unciam exprimi haud poſſe.

Cap. 22. Uſus doctrinæ de ſimilibus.

I. Uſus declarationis.

I. *Notæ ſimilitudinis contractæ,* ſunt. 1. *Nomina:* ſimilis, effigies, imago, typus, figura, more, exemplo, ritu, modo, in modum, ſimilitudo, character, icon. 2. *Adverbia ſimilitudinis:* ut, ſicut, quemadmodum, inſtar, tanquam, quaſi, velut, veluti, ceu, uti. 3. *Negatio disſimilitudinis:* non diſſimilis, haud ſecus, haud aliter. 4. *Verba:* imitor, refero, non diſcrepo, æmulor, ſpeciem exhibeo, appareo, repræſento. 5. *Epitheta qualitatem notantia:* ut, lac niveum, ſcriptor lacteus, ſtylus floridus, ſtylus oſſeus.

II. Notæ ſimilitudinis explicatæ, ſunt, Talis, qualis; ſicut, ita; quemadmodum, ita; ut, ita; non aliter, quàm; non ſecus, ac; ad eum modum, quo; ſicut, ſimiliter; cujusmodi, ejusmodi; perinde, ac ſi.

III. Ad hunc locum referri debent parabolæ, apologi, fabulæ, typi, imagines Rhetorum.

IV. Termini ſimplices hic ſunt tribus modis:

1. *In similitudine contractâ:*

Extremum 1.	*Qualitas.*	*Extremum 2.*
Pius.	Viror.	Palma in ripâ.
Formica.	Providentia.	Sapiens.
Stultus.	Mutabilitas.	Luna.

2. *In similitudine disjunctè explicatâ:*

Aurum.	Ignis.	Fortuna.	Fides.
Luna.	Sol.	Christus.	Ecclesia.
Oculus.	Corpus.	Intellectus.	Anima.
Eurus.	Venter.	Disputatio frivola.	Animus.

3. *In similitudine continuè explicatâ:*

Lex.	Magistratus.	Populus

Axiomata è similibus disponuntur tribus modis.

V. Hinc axiomata tribus modis consiunt:

1. *Simplicia, in quibus similitudo contracta:*
Pius instar palmæ virescit.
Sapiens veluti formica providet futurum.
Stultus ut luna mutatur.

2. *Talia, in quib. similitudo disjuncta:*
Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum;
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Quemadmodum luna nonnisi à sole illustrata lucet: Sic Ecclesiæ salus nonnisi à Christo profluit.

Quod est oculus corpori, hoc est intellectus animæ.

Qui disputationibus frivolis deditus est animus, replet Euro ventrem suum.

3. *E similitudine continuâ:*

Ut magistratibus leges; ita magistratus præsunt populo.

II. Usus demonstrationis.

Similium similis est ratio: ut, Quæ ratio est gubernatoris ad navem, eadem est magistratus ad Remp. Hinc fiunt syllogismi è quæstione & argumento simili disputante: Pio semper benè erit. Q. instar palmæ florescit, & sicuti cedrus in Libano multiplicatur. Peccatum est fugiendum. Q. est vetus fermentum. Precationi est sedulò vacandum. Q. est suffitus & hostia, quâ Deus delectatur. Observandum autem est illud: Simile extra & ultra scopum disserentis non extendatur.

III. Usus

III. Usus amplificationis.

I. *Antithesis*. Homo in hâc vitâ, quam dicunt statum viæ, est bulla, est flos & umbra, Deumque videt in speculo veluti per transennam. At in alterâ vitâ, qui est status patriæ, erit veluti arx, cujus fundamentum est æternum; erit flos perpetuùm virens; erit stella nunquam occidens, Deum denique videbit à facie ad faciem. *Item:* Italia est illa quidem ocellus regionum, literarumque dulcis & diligens nutricula: interim etiam est paradisus terrestris, quem habitant Diaboli incarnati. Quemadmodum enim ferassimis agris filix, lolium, sterilesque avenæ, nisi diligenter caveas, ingenti copiâ proveniunt, & optima ingenia maximis obnoxia vitiis: ita nobilissima hæc regio immane quantum vitiis redundat. Religionis primùm dogmata tenebricosa & de veritatis viciniâ longiùs peregrinantia, mores & vitia vulgi supra modum flagitiosi; quæ tamen culpa proceres etiam, inprimis Ecclesiasticos, hamis suis innexuit. Multa imprimis suæ libidini, etiam illi, quam vocant peccatum mutum, in secreto condonant. Quid? Illud peccatum etiam literis consignant & laudant. Testis sit Johannes de la Casa Archiepiscopus Beniventanus, qui abominandum Sodomiæ scelus publico celebravit scripto Venetiis excuso. Quantâ igitur objurgatione sunt digni parentes, qui puros suos pueros in id lupanar detrudunt? Sed finis sit huic querelæ, ne honestas forte aures offendere necesse habeam. Status viæ & status patriæ quis sit?

II. *Syncrisis*. Qui hominis dignitatem monstraturi, eum appellarunt deum terrestrem, satis benè illius præcellentiam ostenderunt. Meliùs tamen illi, qui eundem vocarunt copulam & hymenæum mundi cœlestis & terrestris. Omnium rectissimè hi, qui eundem vocitarunt microcosmum. *Item:* Vehementer dubito, num vitam nostram his in terris cum Pindaro debeam dicere σκιᾶς ὄναρ, *umbræ somnium*, an potiùs cum Græcorum vulgo exclamare, γρῦ ὁ βίος, *vita est gry. Huc pertinent allegoriæ sacræ, qualem habet Apostolus Galat. 4. vers. 22. Item illæ Syncrises:* Quemadmodum olim Astrologi Chaldæi, posteaquam viderunt & audiverunt Solem decem gradibus descendisse, Hierosolymam venerunt, de portento isto, quod acciderat, interrogaturi: ita 2. Reg. 20.

Matth.2. Magi in Persiâ quam primum se contulerunt in Judæam, postquam stellam regis novi viderunt. *Item:* Quemadmodum Elias jam jam in cœlum assumendus instruxit discipulum suum Elisæum: ita Christus suis discipulis valedicturus, ipsos præmonuit de multis, quæ ut ipsi scirent, pernecessarium erat. *Item:* Quemadmodum Elisæus unà cum pallio Eliæ Spiritum illius accepit: sic nos unà cum verbo Dei externo Spiritum Dei accipimus. *Item:* David citharâ suâ repulit malum spiritum à Saule. Cithara ista nobis est Evangelium de Christo. *Adhæc similia ficta parem cum veris arguendi vim habent, cùm extra comparationem pro mendaciis habeantur; ubi apologi, fabulæ, & parabolæ maximè excellunt:* ut, Quemadmodum bestiæ ad leonis antrum descendentes, in periculum vitæ veniebant: sic sapientes jacturam sapientiæ faciunt, si vulgi judicia sequantur. *Item:* Ut equus cum cervo congressus, eoque pugnâ inferior invocato hominis auxilio, ei parêre coactus est: sic liberæ sæpe civitates & gentes inter se digladiantes, fiunt vectigales, advocato externo auxilio. Elegans exemplum vide *2. Sam. 12.* ubi Nathan cum Davide agit.

2. Reg. 2.
Johan. 16.
2. Reg. 2.
1. Sam. 16.

III. Conglobatio. Elegans exemplum est Æneid. 7. de bellico furore:

Arma amens fremit arma toro tectisq; requirit,
Sævit amor ferri, & scelerata insania belli,
Ira super: magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exultantq; æstu latices, furit intus aqua vis,
Fumidus atq; altè spumis exuberat amnis,
Nec jam se capit unda, volat vapor ater ad auras.

Item: Mirum profectò est, quòd maxima Christianorum pars mortem adeò reformidant. Viator fessus gaudet, cùm se videt propemodum esse emensum iter suum. Operæ rusticæ cum desiderio finem laboris expectant. Agricolæ tempus messis avidè expectant. Homo curis & laboribus interdiu emaciatus, & tantùm non fractus atque enectus, somno quasi obviam it. Jam verò nos sumus viatores, operarii, agricolæ & homines defessi. Non igitur mortem, quæ est janua vitæ, finis laborum, introitus messis,

messis,& somnus dulcissimus, mortem, inquam,non adeò extimescere debemus. *Elegantem amplificationẽ vide 1.Corinth.12. ubi Apostolus Ecclesiam cum corpore comparat. Hîc excellit illa conglobatio,quâ redduntur causæ comparationis:* ut, Quare Christus in Cantico Canticorum comparatur flori? Flos habet in cœlo patrem,& in terrâ matrem,ut dixit Pythagoras. Sic & Christus. Flos delectat visum suâ pulchritudine , olfactum suaveolentiâ , tactum lenitate, gustum dulcedine. Ita & Christus animam delectat,reficit,&, uno verbo, in integrum restituit. *Item:* Hæretici sunt instar serpentis, de quo *Genes. 3.* Sicut enim illo ceu instrumento usus est Satan: ita & hæreticis utitur. Hi enim concedunt & gratificantur illi hosti generis humani corda sua, linguas, & calamos. Hæretici sunt similes avibus illis,de quibus *Genes.15.* Sicut enim illas abegit Abraham, ut ne depascerent sacrificium:ita & hæretici abigendi sunt, ut ne sacrificium Jesu Christi nobis eripiant. Hæretici sunt velut cicadæ illæ, de quibus *Exod. 10.* Sicut enim illæ segetem depastæ sunt: ita hæretici viridem Ecclesiæ segetem vastare student. *Item:* Christus est vera illa lux. Quemadmodum enim arcano nobisque incognito modo lumen de lumine quasi gignitur: sic Christus ab æterno genitus est à Patre suo. Quemadmodum lux primo die extitit ante omnes creaturas, quarto autem die compacta est & distributa in corpora cœlestia: sic etiam ὁ λόγος, qui ab æterno extitit ante omnia, quarto mundi millenario incarnatus est. Denique sicut lux tenebras pellit, è somno excitat, tempora distinguit, insidias prodit, mœrores abigit, securitatem parit, visum delectat, pudorem incutit, ad labores honestos vocat: sic & Christus Dominus noster &c. *Item:* Evangelium est lignum illud, quod injectum in aquas amaras, reddit illas dulces. Aquæ istæ amaræ ebulliunt ex scaturigine iræ divinæ, quæ in multos diffunditur rivulos, quæ sunt calamitates. Amarities ista occupat animam juxta & corpus. Arbor autem, quæ amaritiem istam tollit, est lætum illud nuncium de nostri per Christum redemtione. Hæc exhilarat corda nostra, & pellit omnes tribulationes, & sex illas, de quibus *Job 5. versu 19.* & septimam, de quâ idem: Exod 15.

ubi per ſex tribulationes,ut hoc obiter moneam,è quibus Jehova Dominus noſter nos eripit, Theologi nonnulli intelligunt omnes afflictiones in hâc vitâ,quia ſex diebus homo creatus eſt; per ſeptimam intelligunt mortem, quæ ſeptimo die (nam putantur protoplaſti lapſi ipſo Sabbato) in mundum introiit. *Item:* Precatio eſt veluti ventus. Ventus è terrâ ſurgit: precatio ex hominis corde. Sol ventum è terrâ evocat ſuis radiis: Chriſtus,Sol ille juſtitiæ,ſuos radios demittit in corda ſuorum, & hanc auram format, formatam fovet, fotam elevat. Format per verbum & crucem: fovet per aſſiſtentiam Spiritus: elevat per ſuum meritum. Ventus ab unâ mundi plagâ ad alteram fertur: ſic precatio è terrâ in cœlum aſcendit. Ventus interdum leniter ſpirat,ut vix poſſit exaudiri, interdum edit ſonum maximum: ita preces electorum nunc ſunt ſuſpiria cordis, nunc oris eloquia. Porrò ventus quandoque excitat pluvias cogendo nubes: ſic oratio ſæpè fit cum lacrymis. Ventus quotidiè verberat aërem: ſic precationi ſemper deditus eſt homo pius. Ventus pluvias & rorem adminiſtrat, poros terræ aperit, gramina producit, nutrit & auget: precatio eodem modo fructificat. Impetrat enim rorem & pluviam ſpiritus Sancti, ſimiliaque beneficia ſpiritualia. Ventus nubes ſæpe diſpergit, & ita terram exiccat: precatio pellit nubes peccatorum & calamitatum. Ventus purgat aërem: precatio impuritates animæ tollit. Ventus ſæpe variatur: ſic & precatio. Ventus propellit naves: ſic oratio promovet naviculam illam Chriſti, quæ eſt Eccleſia. Ventus frangit & diruit proceras arbores, non humiles frutices: ita precatio ſubvertit tyrannos, juvat pios fratres. Ventus impedit homines, quò minùs poſſint progredi: precatio impedit Diabolum, leonem illum rugientem. Ventus reficit in æſtu: ſic precatio in calamitatibus. Ventus cogit pulverem: ita precatio colligit peccata in confeſſione, ut iſte mons pulverulentus amoveatur. *Non poſſum hoc loco præterire elegantem illam Plutarchi ſimilitudinem ad Trajanum Imperatorem:* Scito Imperator Trajane, Domine, te & imperium tuum nihil eſſe aliud, quàm corpus myſticum, ad corporis vivi verique modum. Ea quippe requiritur utrinque concin-

nitas,

nitas, ut & Imperator tales se habere subditos gaudeat, & imperium de tali sibi Domino placeat. Ut igitur corpus mysticum, quod est Imperium, ad exemplum hominis vivi pingamus: *Caput* omnium est princeps, penes quem imperii summa est. *Oculi,* quibus videmus, viri in Republ. boni sunt, quorum ductum sequimur. *Aures*, quæ audiunt, quæ dicimus, sunt subditi, qui imperata faciunt. *Lingua*, quâ loquimur, sunt eruditione præstantes viri, ex quibus leges & disciplinas audimus. *Capilli* è capite penduli, sunt oppressi & injuriâ affecti, qui opem regis implorant. *Manus & brachia* sunt equites & nobiles, qui hostem reprimunt. *Pedes*, qui omnia sustinent membra, sunt agricolæ, qui victum omnibus ordinibus subministrant. *Ossa dura*, quæ carnem fulciunt fragilem, sunt viri sapientes, qui onus sustinent Reip. *Corda*, quæ palàm non videmus, sunt familiares intimi, qui in arcano consilium dant Senatu. Deniq; *collum*, quo capiti corpus cohæret, est amor regis & regni, ex quibus constat Resp. *Huc pertinet illud elogium psalterii:* Nullius tantum est flumen ingenii, quod libri psalmorum dignitatẽ & utilitatem non dicam exornare, sed enarrare queat. Paucis tamen dicã multa. Psalterium est theatrum Dei, operũ ejus & piorum. Illa enim spectanda exhibentur. O beatam animam, quæ se oblectat in hoc theatro! Psalterium est pratum suavissimum, & amplũ rosarium, ubi plurimos intuemur flores. Quid? Est ipsissimus paradisus, in quo fructus dulcissimi, in quo arbor vitæ. Psalteriũ est pelagus potentissimum, in quo margaritæ pretiosissimæ latent, quæ nonnisi ab illis, qui tempestatum procellis jactantur, inveniri queunt. Psalterium est cœlestis illa Schola, in quâ Deum alloquimur, Doctorem nostrum. Psalterium est universę scripturæ compendium. Psalterium est gratiæ divinæ speculum, in quo facies amœnissima benignissimi nostri Patris relucet. Psalteriũ est κοινὸν ταμιεῖον ἀγαθῶν διδαγμάτων, & officina continens alexipharmaca animæ. Deniq; psalteriũ est animæ nostrę anatome artificiosissima, indicans omnes animi motus, motuũ causas & remedia. *Huc refer commendationes virorũ illustriũ, quales sunt:* Plutarchus fuit ἔμψυχος βιβλιοθήκη, & vivum quoddam museũ; Plinius helluo temporis; Wesenbecius Jurisprudentiæ Sol & oculus; Scaliger

i. Est commun
promtuarium
narū doctrina

aquila eruditorum; Casaubonus Atticus ille cygnus; Xenophon 'Αττικὴ μέλιττα; Erasmus Phœnix Germaniæ; Philippus Melanchthon Philomela Germaniæ. *Memineris hic quidlibet de quolibet dici quidem posse, sed observandum esse τὸ πρέπον.*

Cap. 23. Usus doctrinæ de dissimilibus.

I. Usus declarationis.

I. NOtæ *dissimilitudinis contractæ*, sunt. 1. *Nomina:* dissimilis, dispar, differens, diversum, aliud, discrepans. 2. *Verba dissimilitudinem significantia:* differo, disto, non congruo, non respondeo, nō quadro, discernor, discriminor. 3. *Adverbia dissimilitudinis:* dissimiliter, differenter, dispariter, aliter secùs. 4. *Negatio similitudinis:* non similis, non idem, non talis, non ita, non sic. 5. *Conjunctiones discretivæ:* at, ast, verùm, verò, autem.

II. Notæ dissimilitudinis explicatæ, sunt: non ut, ita; non sicut hoc, ita illud; non quemadmodum, sic; non talis, qualis; non tam, quàm; aliter, quàm.

III. Termini simplices sic habent:

Extremum. 1.	*Qualitas.*	*Extremum. 2.*
Sapiens.	Mutabilitas.	Luna.
Bonus Pastor	Ovium cura.	Mercenarius.
Corporalis exercitatio.	Utilitas. (cere.	Pietas.
Abraham.	Christū interfi-	Judæi.

Axiomata duob. modis fiunt è loco dissimilium.

IV. Hinc axiomata existunt, duob. modis:

1. *Aliquando cum notis:* ut,
   Sapiens non mutatur veluti luna.
   Bonus pastor dissimiliter mercenario curat oves.
2. *Aliquando sine notis, & tum dissimilitudo plenius explicatur:* ut,

Corporalis exercitatio ad pauca est utilis. Pietas ad omnia est utilis, ut quæ promissionem habeat præsentis & futuræ vitæ 1. *Timoth.* 4.

——— Facilis descensus averni:
Sed revocare gradum superasq; evadere ad arces,
Hoc opus, hic labor est ———

Brutus

Brutus liberos molientes proditionem occidit: Manlius virtutem filii morte multavit.

II. Usus demonstrationis.

Dissimilium dissimilis est ratio: ut, Alia est ratio piorum quàm impiorum. Quia hi tanquam gluma à vento disturbantur, illi verò tanquam palmæ virescunt. Judæi non sunt semen Abrahæ. Quia Abraham olim Christum videre exoptavit, at Judæi eum interficere student. *Johan.8.*

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. Pastores Ecclesiarum non sunt reges, qui dominantur. Sed nec servi sunt, quibus vel levissimus homo & ciniflo aulicus præscribere habeat, quæ multorum hodiè est opinio. Præterea non sunt mercenarii. Quamvis enim illis stipendia numerentur: non tamen illi propter hoc faciunt suum munus, ut augeant rem familiarem, sed ut Deo serviant. *Item:* Christus est bonus pastor, dissimilis mercenario. Nam mercenarius spectat suum commodum, non autem heri sui: at Christus suarum duntaxat ovium salutem, & Patris sui cœlestis gloriam quæsivit. Mercenarius fugiente lupo fugit: Christus venientem lupum expectat & humi sternit. Mercenarius vitam non ponit pro ovibus: Fecit id Christus. *Item:* Christus noluit nasci Hierosolymis urbe celebri, quæ erat ῥίζα τῶν πόλεων; sed Bethlehemi oppido obscuro, quod erat veluti minimus Judææ ramusculus. *Item:* Antiochus ille Epiphanes (Epimanes dicere volebam) fuit ῥίζα ἁμαρτωλός: Judas Maccabæus fuit ῥίζα εὐγενής. *Talis antithesis est Luc. 7. versu 44. 45. 46.* *Item:* Si Romam, quæ nunc est, contuleris cum priscâ illâ, cadaver quoddam invenies, non corpus. Prisca illa erat caput orbis; nova hæc vix Italiæ est caput. Prisca illa ostentabat innumera palatia: nova innumeras ruinas ostendit. Prisca mores integerrimos, nova corruptissimos facit & fovet.

II. Syncrisis. Ecclesia Christi non est similis navi rimas agenti, nec ovili ruinoso; sed est navis compacta solidissimè, & ovile undique munitum probè. Non est similis collegiis ethnicorum, deos deasq; colentium, neq; illis Pontificiorum cœtibus idololatricis est similis.

III. Conglobatio. O impios post hanc vitam infelicissimos! Nam quando electi dicent, sumus in domo Dei; ipsi dicent, sumus in domo Diaboli. Quando illi dicent, fulgemus ut Sol in regno Patris nostri; isti dicent, Ah sumus in regno tenebrarum. Quando electi dicent, Venimus ex multâ tribulatione, & lavimus stolas nostras in sanguine agni, ideò stamus ante thronum Dei: tum reprobi dicent, nos vobis afflictionem omnisq; generis molestias creavimus, nos effudimus sanguinem agni & vestrum, ideò conversi sunt torrentes deliciarum nostrarum in picem, & felicitas nostra in sulphur, & divitiæ nostræ in picem ardentem. Nimirum sicut in hâc vitâ est dispar piorum & impiorum conditio: ita & post hanc vitam erit. *Item:* Christus bonus ille pastor, dissimilis est patriarchis, qui ipsi fuerunt pastores, Abeli videlicet & Jacobo, nec non Davidi. Hi enim fuerunt solùm homines: Christus est & Deus & homo. Paverunt illi oves bestias: Christus pascit oves homines. Illi vivas oves curarunt, mortuas rejecerunt: Christus suscepit oves mortuas, iisq; vitam restituit. Illi emerunt oves pecuniâ, vel permutatione acceperunt: Christus oves suas suo sanguine emit. Illi paverunt & potarunt oves suas gramine, fœno & aquâ: hic oves suas carne suâ & sanguine suo alit & potat ad vitam æternam. *Item:* Christiani in Ecclesiâ militante sunt milites. Cùm igitur nos amabili illo Christianorum nomine gaudeamus, cur militare bonam illam militiam abnuimus? Non insistimus vestigiis majorum nostrorum. Illi Diabolum ejusque squamas aggressi sunt armis spiritualibus; neque solùm aggressi sunt, sed etiam devicerunt, & immortalitatis coronam bravii loco reportarunt. At nos sumus segnes & pusillamini. Inducias, imò pacem, facimus cum hostibus nostris professis, qui nobis bellum ἄσπονδον indixerunt. *Item: Josua 10.* legimus, Josuam superasse quinq; reges. At Christus cœlestis ille & æternus Josua gessit bellum longè dispar. Josua cum hominib. conflixit: Christus cum Diabolo ejusq; stipatoribus. Josua quinq; hostes superavit: Christus omnes suos & nostros hostes prostravit. Josua fuit dux Israëlis: Christus est dux omnium fidelium. Josuæ se opposuerunt alii hostes superatis istis quinq;: At Christo ne unicus quidem se opponere potuit, vel adhuc potest. Conantur

quidem

quidem id multi, ſed conantur tantùm. Irritus eſt omnis illorum conatus, labor inanis. *Item:* Eccleſia Chriſti eſt ſponſa alia quàm fuit filia Pharaonis, quam uxorem duxit Salomon. Filia Pharaonis deſponſata fuit homini: Eccleſia θεανθρώπῳ. Illa cum rege terreſtri matrimonium iniit, & reginæ titulum adepta eſt: Eccleſia cum rege cœleſti nuptias celebravit, & facta eſt regale ſacerdotium in ſeculum. Maritus filiæ Pharaonis fuit ſcortator impurus: Sponſus Eccleſiæ eſt ipſiſſima ſanctitas & caſtitas.

Cap. 24. Uſus doctrinæ de conjugatis.

JAm dicendum eſt de applicatione argumentorum ortorum, ubi primò ſunt conjugata.

I. Uſus declarationis.

I. NOtæ *conjugatorum*, ſunt cùm à ſubſtantivo formam denotante deducitur vel aliud ſubſtantivum, ut ab humanitate homo; vel adjectivum, ut ab humanitate humanus: cùm item ab adjectivo deducuntur adverbia, ut à juſtus juſtè.

II. Termini ſimplices ſic habent:

Conjugata

Abſtractum.	*Concretum.*
Juſtitia.	Juſtus.
Humanitas.	Homo.
Libertas.	Liber.

III. Hinc axiomata è binis conjugatis:

Juſtus Jehova juſtitiam diligit.
Hominem maximè decet humanitas.
Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.

II. Uſus demonſtrationis.

I. Argumentum ſumi poteſt quod ſit conjugatum prædicati: ut, Ubi contemnuntur religioſi, ibi contemnitur religio. In Sarmatiâ contemnuntur religioſi. Ergò. Qui juſtus eſt, facit juſta. Ariſtides juſtus eſt. Ergò. Ager compaſcuus eſt. Ergò jus eſt compaſcendi. Syllogiſmus eſt in quolibet modo figuræ primæ. Nota hîc, conjugata negantia

firma esse & necessaria: ut, Non justè agit. Non igitur est justus. Mori non est miserum. Mors igitur non est misera. Affirmantia verò tum demum sunt necessaria, si habitus est constans, & longo usu confirmatus: sin minùs, non fuerint: ut, David rapiens Uriæ conjugem tyrannicè fecit. Tyrannus igitur. Cambyses injusto judici cutem detrahens, ejusque filium in tribunali eâ strato collocari jubens, additis his verbis: Disce justè judicare: justè fecit. Igitur fuit justus. Utrumq; est falsum.

II. Argumentum adduci potest, quod sit conjugatum subjecti atq; prædicati: & tum conclusio potest esse affirmans vel negans: ut, Si albedo est color, album est coloratum. Si opulentus non est felix, opulentia non est felicitas. Excipe ea, quæ conveniunt alteri conjugatorum per accidens: ut, Non sequitur: Aliquod album est dulce. Ergò aliqua albedo est dulcedo.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. Jesuitæ disserunt quidem doctè, cùm doctrinâ omnigenâ sint imbuti: sed non sincerè, non orthodoxè, propterea quòd sinceritas ibi nulla esse potest, ubi præconcepta opinio arcem rationis occupavit. Ibi enim veritati nullus est locus. Jesuitæ loquuntur eleganter & Logicè disputant. Nec mirum, cùm oratoriam elegantiam & Logicam quàm diligentissimè doceant & discant. Verùm non sapienter, non religiosè; quoniam à sapientiâ Spiritus sancti longissimè absunt, qui traditiones cerebri humani præferunt Scripturæ Spiritus sancti. *Item:* Qui è terrâ sunt, terreni sunt, & terrena loquuntur, sapiunt atque quærunt. At nos, qui è cœlo ducimus originem, cœlestia meditemur. Quod natum est ex carne, caro est. At nos ex Spiritu nati, Spiritus sancti sumus peculium. Quare meditemur ea quæ sunt Spiritus.

II. Syncrisis. Si rex subditum suum ab hoste detentum in libertatem asserat, liberum illum hominem censemus, idque jure. Cùm igitur nos liberaverit unicus Servator Jesus, quantò magis erimus liberi dicendi? *Item:* Sublimiora philosophiæ decreta nos homines capere non possumus, cùm tamen humana sint. Quænam igitur, putatis, furiæ agitant illos, qui cœlestia & divina mysteria decem-

decempedâ rationis metiri satagunt, cùm solus Deus illa nôrit,& illa doceat,non eos,qui intelligere volunt ut credant,sed duntaxat illos, qui credunt ut intelligant. Præcedat igitur fides intelligentiam, non contrà intelligentia fidem. *Item:* Justum est punire ingratos. Justè igitur fecit Philippus Macedo, qui militi ingrato erga hospitem, inuri has literas jussit, INGRATUS HOSPES. Deus bone! Quæ stigmata hodiè inurenda essent ingratis cuculis, qui toti, quanti quanti sunt, ex ingratitudine & calumniâ sunt consuti ἐκ κεφαλῆς πρὸς πόδας.

III. Conglobatio. Deus ita est misericors, justus, & omnipotens,ut sit ipsa misericordia,justitia,& omnipotentia. Quid enim? Annon ipsius misericordia implet cœlum & terram? Annon justitia ipsius ubique claret? Annon omnipotentiæ ipsius vestigia ubique apparent? *Item:* Deus amore paterno nos complectitur. Ergò est pater noster. Deus nos ditat. Ergò dives. Deus nos vivificat. Ergò est ipsa vita. *Item:* Deus bonus est. Illius itaq; bonitate utendũ, non abutendum. Deus justus est. Illius itaque judicia justè fieri censenda sunt. *Item:* Prophetæ & Apostoli divina nobis tradiderunt. A Deo enim acceperunt,quæ nobis tradiderunt. Prophetæ & Apostoli vera docuerunt. Nam Spiritus veritatis illos in omnem veritatem duxit. Prophetæ & Apostoli salutaria docuerunt. Nam Jesum, fontem illum salutis, sibi scopum & veluti centrum in scriptis suis proposuerunt.

Cap. 25. Usus doctrinæ de notatione & nomine.

I. Usus declarationis.

Notationis amplitudo.

I. *Notatio sumitur è consentaneis, dissentaneis & comparatis, hoc modo:*

Ex causâ efficiente: Senatusconsultum sic dicitur,quia Senatus constituit illud.

Ex materiâ: Homo ab humo.

Ex effectis: Pomona à pomis.

E subjecto occupante: Mulier à mollitie.

Ex oppositis: Lucus,quòd parum luceat.

E similibus: Pyropus dicitur, quia lucet instar ignis.

Quòd si igitur unius vocis dentur plures notationes, illa est præferenda, quæ ex nobiliori topico ducitur: ut, bellum aliis dicitur q. minimè bellum, aliis à belluâ, aliis ab Hebraico *Bel*, id est, Diabolo. Hæc postrema notatio est è loco efficientis, ideoq; reliquis anteferenda. Cautio ad hanc notam est lib. 2. pag — 219 — canon — 2.

II. Termini simplices sic habent:

Nomen.	*Notatio.*
Virtus.	A viro.
Homo.	Ex humo.
Lucus.	Minimè lucens.

III. Axiomata è nomine & notatione sic disponuntur:

Virtus à viro nomen habet.
Homo sic dicitur ab humo.
Lucus nomen habet à non lucendo.

II. Usus demonstrationis.

Potest argumentum sumi, quod sit etymologia subjecti vel prædicati quæstionis: idq; virium est parium sive affirmes, sive neges. Ratione subjecti sic: Quod affirmatur vel negatur de notatione, affirmatur vel negatur etiam de notato, & contra, si notatio æquipolleat nomini, & cum eo convertatur: ut, Prædicit futura. Ergò est propheta. Non est propheta. Ergò non prædicit futura. Est Jesus. E. salvabit populum suum. Non dat consilium. Ergò non est consiliarius. Est ars numerandi. Ergo Arithmetica. *Ratione prædicati ita:* De quo affirmatur vel negatur notatio, de eodem etiam affirmatur, vel negatur notatum: ut, Christus salvat populum. E. verè dicitur salvator. Sancti non salvant nos. E. non sunt appellandi salvatores. Bibulus non consulit Reip. Ergò non est consul.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. Soleo sæpe ante oculos ponere dementiam gentilium, in quâ & hoc facilè ducit familiam, quòd singulis rebus singulos fermè deos deasq; præfecerunt, indeq; nomina illis imposuerunt. Pomonam, Mellonam, Florã, Carnam, dixerunt deas, quæ tuerentur poma, mella, flores, cardines. Apagite miseri ista nomina. Nomen unius veri Dei est lon-

Bellona a bello

est longè augustius, nempe Jehovah; qui sic dicitur, quòd ipse solus sit ab ævo in ævum, quodque omnibus iis, quæ sunt, esse det, quòd denique sit verax in promissionibus. Tu quidem, Apollo, voluisti hoc nomen tibi transcribere, quando jussisti ut sacerdotes tui templo Delphico præfigerent verbum Εἶ, *Es*. Sed quo jure? Quo eventu? Tu ipse hoc docuisti, quando Imperatori Augusto te consulenti hunc in modum respondisti:

Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Orcum.
Ergò dehinc aris tacitus discedito nostris.

Item: Fœda quibusdam dicitur hæc notatio, quâ fœdus deducitur ab adjectivo fœdus. Illi dictum volũt à fide, quòd in fœdere interponatur fides. Alii à ferio deducunt, eò quòd in paciscendo hostia necaretur. Cùm enim fœdus sanciebatur, fetialis porcum producebat in medium, eumq; saxo feriebat, & dicebat: Sic à Jove feriatur is, qui sanctum hoc fœdus ruperit, ut ego porcum hunc ferio. Verùm enimverò prima illa notatio mihi minimè est fœda. Nam Servius ad illum Vergilii versum *lib.8.*

Stabant, & cæsâ jungebant fœdera porcâ:

Fœdera, inquit, *dicta sunt à porcâ fœdè & crudeliter occisâ.* Et legimus, fetialem hâc formulâ usum: *Sic, ut porca fœdè cadat, qui fœdus ruperit.* Hunc ritum *Liv. lib.1. dec.1.* clarè ob oculos ponit. Hanc igitur notationem ab illâ notâ criticorum quorundam liberandam esse censeo. *Item:* Civitates Ansaticæ sic dictæ sunt, non quasi **an see**, quòd sint maritimæ: sed à vocabulo Gothico ANSI, vel HANSI, ut sonat nostra vox vernacula corrupta; quod eos notat, qui cõmunis sortis veluti terminos egressi cæteris mortalibus fortunâ & opibus antepollent. Atque hinc civitatibus illis Teutonicæ societatis nomen obtigit; quia maximam partem opulentæ sunt ob amplissima, quæ exercent mercimonia. *Hoc modo multæ notationes regionũ, ut Italiæ, Germaniæ, Austriæ; Urbium, Heidelbergæ, Romæ; montium: item & fluviorũ, καὶ ἄρσεν καὶ θῆλυ tractari possunt. Neque solùm, notationes nominum propriorum, sed etiam appellativorum sic tractandæ sunt:* ut, Bellum alii à belluis dictum volunt, quòd non tàm hominum quàm brutorum sit in se invicem sævire.

Civitates Ansaticæ, **Hänsestädt.**

Alii quasi minimè bellum. Alii ab Hebraico *Bel* & *Belial.* Ego salvo meliore judicio postremam amplector. *Nomen Jesuitarum hoc ipso modo explicari potest.* Jesuitas qui à Jesu Servatoris nomine dictos putant, nimium errant. Alii E-savitas, alii Jebusitas, alii Suitas ipsos appellant, non contumeliosè, sed verè. Quidvis enim potiùs sunt isti homines, quàm socii Jesu Christi. *Hoc etiam modo confutari potest Goropius ille Becanus qui in Antiquitatibus Antverpiensibus nomina propria Hebraica, quæ in V. T. occurrunt, miserè corrupit. Antithesis erit talis:* Quò temeritatis progressus es Becane, qui Adamum dictum putas quasi **am dam**/ Evam quasi **Eh vat**/ & reliqua nomina veteris Instrumenti mirum in modum detorques? Adam sic appellatus est, quia è rubrâ terrâ, quam Hebræi vocant *Adam*, corpus ipsius formatum est. Eva sic dicta est, à *Chavah*, quia fuit mater viventium. Sed tam ridicula sunt tua, quæ adducis, ut non opus sit illa refutare. Qui ista commemorat, eo ipso dum commemorat, refutat. *Consimiliter refutari possunt omnes ridiculæ notationes, quarum multæ sunt apud veteres barbaros.*

II. Syncrisis. Romani sibi mirè placuerunt in nominibus illis suis propriis, cùm tamen illa fuerint rustica, utpote sumta à fabis, cicere, pisis, lentibus, cæsarie & similibus: unde Fabii, Cicerones, Pisones, Lentuli, Cæsares dicti sunt. At nomina, quæ Deus electis suis imposuit, quàm splendida, quàm augusta sint, paucis perpendamus. Abraham sic dictus est, quòd futurus esset pater magnę multitudinis. Jacob appellatus est Israel, quia princeps & victor Dei factus est in luctâ illâ, quâ Filium Dei superavit. Johannes Baptista id nominis sortitus est, quia gratiam Dei annunciare debebat tanquam prodromus Messiæ.

Variæ notationes ejusdem nominis etiam κατὰ σύγκρισιν proponi possunt: ut, Quando excutio doctorum virorum de homine scripta, & incido in tractationem vocabuli istius *homo*, hæreo inter sacrum & saxum, nescius utri sententiæ album adjiciam calculum. Alii enim hominem ab humo dictum volunt, & pro se adducunt vocabulum Hebraicum *Adam.* Alii ab ὁ μῶς deducunt, & nituntur ratione non ineptâ. Ego hîc nolo esse Palæmon. Vos videritis ipsi. *Sic & peccati & religionis notationes proponantur.*

III. Con-

III. Conglobatio. Sic est, Hermes Trismegiste! Nullum est Dei nomen; quod scilicet augustam ipsius majestatem æquet. Sunt tamen infinita illius nomina, qui infinitus est, ut ita quodammodo ipsius gloria exprimatur. Nam Deus est *El*; quia fortis est. Est *Schaddai*; quia est essentia *Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.* Est *Adonai*; quia ipsius est dominium in omnia. *Est* Jehovah *&* Ehejeh; quia solus est, & ab eo est, quidquid est. Est Jehovah Zebaoth; quia omnes creaturæ tanquam exercitus militant huic imperatori uni, vero, bono. *Eodem modo nomina Christi & Ecclesiæ, quæ multa sunt, conglobari possunt.*

Cap. 26. Usus doctrinæ de toto & partibus.

I. Usus declarationis.

I. *Termini simplices per præcipua genera totius & partium sic sunt:*

Totum essentiale.	*Pars.*
Animal.	Anima sentiens.
Homo.	Anima rationalis.
Totum integrale homogeneũ.	*Pars similaris.*
Aqua.	Gutta.
Sacra Scriptura.	Liber Scripturæ.
Ecclesia Catholica.	Ecclesia particularis.
Caro.	Pars carnis.
Totum integrale heterogeneũ.	*Pars dissimilaris.*
Mundus.	Cœlum.
Corpus humanum.	Pes.
Totum continuum.	*Pars continuata.*
Corpus humanum.	Caput.
Linea.	Punctum.
Totum discretum.	*Pars discreta.*
Grex ovium.	Ovis.
Exercitus.	Miles.

II. Hinc axiomata è toto & unâ parte disposita. (Nam dispositio totius & partiũ pertinet ad locum distributionis.)

Animal præditum est animâ sentiente.
Quælibet gutta est aqua.
Epistola ad Hebræos est sacra Scriptura.
Mundus complectitur cœlum.
Caput est pars corporis humani.
Miles pertinet ad exercitum.

II. Usus demonstrationis.

Propositâ quæstione quâvis ad inveniendum argumentum probans, oportet videre, an subjectum aut prædicatum sit pars alicujus totius, an totum constans aliquibus partibus. Tum an sit pars similaris vel dissimilaris, integralis vel essentialis.

I. Totum homogeneum subjecti quæstionis, erit argumentum aptum ad probandam quæstionem tum affirmantem tum negantem, in quovis modo figuræ primæ: ut, Summa aëris regio est humida, vel non est sicca. Q. totus aër est humidus.

II. Si argumentum erit totum heterogeneum prædicati, concludetur affirmatè: ut, Civitas est. E. ibi sunt familię. Conchylium habet animam. Q. est animal. Syllogismus erit in Barbara aut Darii.

III. Si argumentum erit pars integralis prædicati, syllogismus necessariò concludet negativè in Camestres: ut, In infantibus non est fides, uti est in adultis. Q. non est cognitio in ipsis.

IV. Argumentum potest esse pars subjecti quæstionis, ad affirmandum & negandum particulariter in tertiâ figurâ: ut, Anima est incorruptibilis. Anima est in homine. Ergò aliquid in homine est incorruptibile. *Veruntamen si omnes partes subjecti simul fuerint argumentum, conclusio fiet universalis in Barbara aut Celarent:* ut, Lex, Prophetæ, Evangelia & Epistolæ non præfigunt certò tempus Judicii. Scriptura est Lex, Prophetæ &c. Ergò Scriptura non præfigit certò tempus Judicii.

III. Usus amplificationis.

Imago Dei qualis in homine fuerit ante lapsum?

I. Antithesis. Deus condiderat hominem ad imaginem suam. In animâ erant omnia summa. In intellectu fulgebat cognitionis plenitudo, rectitudo, claritas & ordo. In

voluntate

voluntate erat ſanctitas, quâ homo ad bonum ferebatur, & illud exequebatur. Corpus ornabat ſumma pulchritudo, quæ conſiſtebat in proportione humorum & membrorum, in membrorum item æquali dignitate, & coloris admirabili ſuavitate. In toto denique homine erat gloria & majeſtas admirabilis. O igitur hominem beatum! Sed non diu retinuit iſtam imaginem. A Diabolo ſiquidem ſeductus, illius imaginem accepit præmium. Quàm deformis illa ſit, vel ſolo Diaboli nomine audito, cogitare poteſtis. Ut tamen magis pateat, paulò penitiùs illam inſpiciemus. Imago itaque Diaboli in hominis animâ eſt ſervitus, quâ corporis tyrannidi illa ſubjicitur. In intellectu eſt cognitionis imperfectio, falſitas, obſcuritas & confuſio. In voluntate eſt corruptio, quâ homo in malum fertur, & illud exequi allaborat unicè. In corpore eſt morborum quidam quaſi populus & exercitus, obſcœnitas quorundam membrorum, & color luridus. O igitur hominem ter miſerum, & ampliùs! *Item:* Juſtus eſt veluti arbor, cujus radix eſt Chriſtus; truncus eſt fides; fructus ſunt bona opera, pietas nempe erga Deum, temperantia erga ſeipſum, & juſtitia erga proximum. Impius contrà eſt arbor, cujus radix eſt Diabolus, truncus eſt infidelitas, mater illa omnium vitiorum, & primum quod in Adamo fuit, peccatum; fructus ſunt mala opera, puta impietas erga Deum, intemperantia erga ſeipſum, & injuſtitia erga proximum. *Egregiam antitheſin vide Eſa. 3. verſ. 16. & ſeqq.*

II. Syncriſis. Ethnici miris laudibus extulerunt Athenas & Romam, adeò quidem ut illas πόλιν, hanc urbem quâdam excellentiâ vocarint. Quid verò in illis fuit adeò inſigne & eminens? Tria occurrunt, ſi quis excutiat veterum monumenta, locus, ædificia, & gubernatio. Locus fuit amplus & amœnus. Ædificia multa & ſplendida. Gubernatio propemodum divina. Sed hæc ſi contuleris cum urbe ſanctâ, Homericum illud quàm rectiſſimè uſurpaveris,

——— ——— ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης?

Athenæ & Roma ſitæ fuerunt in loco amœno quis negat? At Hieroſolyma in amœniori. Roma 7. montibus fuit inſi-

gnis. Hierosolyma solùm tribus, sed talibus, ut septem illis fuerint longè eminentiores sanctitate & dignitate. Lycéum, Academia & Stoa fuerunt Athenis, Capitolium Romæ. At Hierosolymis templum Dei, refertum divitiis, quas ne septem quidem reges hodiè possident: ut jam nihil dicam de spirituali ipsius ornatu, qui ipsi à cultu divino accedebat. Athenis fuerunt leges absolutissimæ, Romæ leges XII. tabularum. At Hierosolymis fuerunt leges ab ipso Deo latæ. *Hoc modo variæ regiones & urbes inter se conferūtur, ut Italia & Germania, Gallia & Hispania, Roma & Constantinopolis. Variæ item disciplinæ sic comparantur:* ut, Philosophiam ejusque studium gentiles omnibus rebus hujus mundi anteposuerunt, eò quòd doceret cognitionem veri & actionem boni. Illam disciplinæ theoreticæ, hanc practicæ tradunt. At si Philosophiam illorum cum Theologiâ conferas, tenebras cum luce conferre videberis. Theologia enim complectitur legem & Evangelium, quibus duabus partibus continetur solida cognitio Dei & operum ejus, adeoque modus perveniendi ad salutem. *Sed paulò aliter argumentaberis ex Senecâ lib. 2. de irâ:* Nefas est nocere patriæ, quæ nobis est charissima. Ergò nec civi nocere debemus. Hic enim est membrum illius corporis. *Huic affine est illud:* Nefarium est bellum inferre civitati Dei, cœlitumque Reipubl. Ergò non minùs nefarium est singulis Ecclesiæ civibus & membris nocere sine justâ causâ.

III. Conglobatio. Brevis est sententia: Christus innumera passus est pro nobis: quæ sic amplificatur enumeratione partium. Caput Christi spinarum aculeis fuit transfixum; oculi velati; aures opprobriis saturatæ; malæ alapis dehonestatæ; facies consputa & sanguinis largo velut imbre irrigata; lingua aceto & felle amaricata; brachia in cruce porrecta; manus clavis transfixæ; latus lanceâ perfossum; pedes ligno affixi. Quid his addi posse putas ad extremum passionis colophonem? Pendet in cruce corpus illud corporum omnium pulcherrimum & præstantissimum; pendet collisum, tortum, cæsum, flagellatum, cruore fœdatum, plagis, vibicibus, tuberibus, livore, vulneribus horridum. O Domine Jesu, ubi pulcherrima tua species? ubi labiorum gratia? ubi oculorum venustas? ubi decor? ubi splendor? ubi glo-

riæ tuæ

niæ tuæ fulgor? Hæc ſubinde perpende, anima mea. Perpende,inquam, & caput tuum non concedes Satanæ,qui illud inanibus cogitationibus oppleat, oculos tuos non convertes ad contemplandum vana, aures non fœdis colloquiis & cantionibus demulcebis, linguâ tuâ non blasphemabit Deum,proximō non nocebis,manibus denique tuis non ad injuriam aliis inferendam abutêre: ſed caput contemplationibus ſacris, oculos lectioni, aures auditioni,linguam annunciationi,manum executioni verbi Dei conſecrabis.

Atque talis eſt amplificatio è loco totius & partium,ubi non ſpectatur distributionis natura (hæc enim paulò pòſt erit conſideranda) ſed qualiscunque partium enumeratio.

Cap. 27. Uſus doctrinæ de genere & ſpecie.

I. Uſus declarationis.

I. *Termini ſimplices ſic habent:*

Genus.	*Species.*
Ens.	Subſtantia.
Animal.	Homo.
Elementum.	Aër.
Elocutio.	Tropus.

II. *Hinc axiomata, ubi tantùm una ſpecies cum genere diſponitur:*

Subſtantia eſt ens.
Homo eſt animal.
Aër eſt elementum.
Tropus eſt elocutio.

Hîc obſerva perperam hunc locum confundi cum distributione generis in ſpecies.Ibi enim tantùm una ſpecies cum genere disponitur: at hîc duæ ſpecies ſunt. Idem de toto & parte judicium eſſe diximus,quem locum itidem malè confundunt cum distributione integri in membra.

II. Uſus demonſtrationis.

I. *Genus ſubjecti erit aptum argumentum ad probandam quæſtionē tam affirmantem quàm negantem.* Ibi ſyllogiſmus

erit in Barbara, vel Darii: ut, Visus potest errare. Q. sensus potest errare. Justitia potest doceri. Q. virtus potest doceri. *Hic* syllogismus erit in Celarent aut Cesare: ut, Justitia non est extremum. Q. nulla virtus est extremum.

II. Si argumentum erit genus prædicati, oportet quæstio sit negans, & syllogismus in Camestres: ut, Deus non afficitur injuriâ. Q. ipsi non potest noceri. Memoria non est virtus. Q. non est habitus.

III. Quia species specialissima ad individua se habet instar generis, ea quæ dicta sunt de genere, quomodo illud possit esse medium, etiam ad speciem specialissimam pertinent.

III. Species subjecti erit argumentum accommodatum ad syllogismos affirmantes & negantes, sed particulares, & in tertiâ figurâ: ut, Aliquod quadrupes non videt. Q. talpa non videt. Aliqua virtus intellectualis versatur circa singularia: ut, Prudentia. *At si non una, sed omnes species subjecti fuerint argumentum probans, fiet Inductio, concludens universaliter tam affirmativè quàm negativè:* ut, Justitia, Temperantia &c. versantur in cogendis in ordinem cupiditatibus. Virtus moralis est Justitia, Temperantia &c. Ergò virtus moralis versatur in cogendis in ordinem cupiditatibus.

IV. Species prædicati erit argumentum aptum, si illud idem, quod est species prædicati, fuerit genus subjecti, aut proprium, aut accidens: ut, Pondus est qualitas; Q. est potentia naturalis. Omne animal sentit. Q. omne animal tangit. Conclusio erit affirmans, & syllogismus in Barbara.

III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. Insanis, Flacci, insanis, quando, scribis peccatum originis esse substantiam. Privatio num potest esse substantia? Non-ens privativum, quomodo potest esse ens? Vel concedam tibi, peccatum esse ens, sed privativum. Num ens privativum potest esse ens positivum? Apage istas Milesias. *Item:* Justitiam cùm virtutem esse concedas, quâ fronte tyrannidem & injustitiam quandam cum Machiavello suscipere posse rationem justitiæ clamitas? An vitium unquam virtutis naturam induere potest?

Larvam

Larvam poteſt induere, non naturam virtutis. Mentiri poteſt virtutem, non exprimere.

II. Syncriſis. Anima noſtra æquè eſt ſpiritus atq; Angelus. Sed hoc intereſt. Angelus eſt ſpiritus à corpore liber: anima eſt ſpiritus ſocietate corporis gaudens; unde & multa patitur à corpore, non naturâ ſuâ, ſed juſti judicis voluntate. *Inductio hîc eſt admodum inſignis:* Laudantur Alexander Magnus, Julius Cęſar, Octavianus, Tiberius, M. Antoninus, Theodoſius Junior, Carolus Magnus, Robertus Neapolitanus, Alphonſus Arragonius, Leo Imp. Conſtantinus Ducas, Matthias Corvinus Pannoniæ, Franciſcus Franciæ reges, Laurentius & Coſmus Medicei Hetturiæ duces, Choſroës Perſa, Mahumed Turca, quòd literis, neceſſario prudentię adminiculo, & ſingulari virtutis ornamento, ſe dederunt. Nullus ergò princeps vituperari poteſt, ſed omnis laudem meretur, qui

Arte togaq; valet, Marte ſagoq; valet.

In hâc inductione non ſpectatur cõglobatio, ſed collatio imparium, quatenus Imperatores, Reges & Principes recenſentur. Talis etiam eſt collectio exemplorum, ubi à majori ad minus proceditur: ut, Abraham juſtificatus eſt fide, pater ille credentium. Ergò & latro in cruce eodem modo juſtificatus ſit oportet. Cùm enim ſimilis ſit ratio ſingularium in unâ ſpecie, ut aliquid mihi de ſuo largiantur Logici, non video, quare hoc ipſum non ſit admittendum. *Eſt hic etiam talis proceſſus à genere ad ſpeciem:* Omnis vera agnitio & conſideratio rerum à Deo conditarum & ordinatarũ, eſt res bona. Nam ideò hominum oculis propoſitus eſt ordo rerũ in naturâ, ut conſideretur, & ſit teſtimonium de Deo. Cùm igitur doctrina de motibus cœleſtibus ſit hujusmodi agnitio rerum à Deo conditarũ, & ordinis motuum, injurii ſunt in Deum, architectum naturæ, & evertunt primum ſymboli Apoſtolici articulum, qui veram Aſtronomiam culpant & tantùm non proſcribũt. *Hujus loci eſt translatio hypotheſeωs ad theſin, id eſt, ſpeciei ad genus. Hanc Cicero uſque adeò laudat, ut dicat, nihil eſſe utilius ad amplificandũ & ornandum, quàm hanc rationẽ, quâ revocatur cauſa ab individuo ad ſpeciem, vel à ſpecie ad genus. Vide 3. de orat. Exemplum petatur ex oratione pro Archiâ, in quâ transfertur cauſa ſingu-*

Translatio theſeos ad hypotheſin, & viciſſim, quæ ſit?

laris, An Archias poeta sit civis Romanus, ad locum communem de studiis doctrinæ. Vide etiam lib.1.epist.famil. longam illam epistolam ad Lentulum, ubi tractatur locus communis de Repub. Concionatores quoq; sic procedere debent. Si tractent locum communem, thesin revocabunt ad hypothesin. Si tractent exempla, hypothesin revocabunt ad thesin. Exempli gratiâ: *Thesis ad hypothesin, seu genus ad speciem, sic potest revocari:* Concedunt omnes sanâ mente præditi, philosophiam homini esse necessariam. Cùm enim sit Dei donum, evehens rationem supra communem vulgi sortem, nemo non videt, illius studium esse laudabile, idemq; utile. Quantus itaq; furor est, Christiano interdicere illius studio, cumprimis Theologo? Potéstne id, quod homini prodest, obesse Christiano, & cumprimis nobili Christiano, qualis est Theologus. *Hypothesis ad thesin, seu species ad genus sic potest revocari:* Abraham credidit, & imputatum est ei ad justitiam. Quis adeò demens fuerit, ut dicat, duplicem esse viam ad salutem, aliam, quam Abraham institerit, aliam, quæ nobis sit calcanda? Una est ad salutem via, nempe Christus, in quem qui credit, justus est; & quia justus, utiq; hæres vitæ æternæ. *Item*: Justitia est laudabilis. Hinc tot ipsius encomia, tot tituli apud varios authores. Omnis itaq; virtus est laudabilis.

III. Conglobatio. Hîc inductio plurimorum exemplorũ dominatur: ut, Brevis est sententia: Per multas afflictiones oportet ingredi in regnum cœlorum: quæ hunc in modum amplificatur: Ponite vobis ante oculos unumquemque patriarcharum, prophetarum & Apostolorum. Omnes ad unum in scholâ crucis fuisse versatos & exercitatos cognoscetis: Jacob dies peregrinationis suæ paucos & malos fuisse conqueritur. Job ait: Si appenderetur afflictio mea in staterâ, & calamitates meæ apponerentur, tunc graviores essent, quàm arena maris. David rex ait: Dolor meus coram me est semper. Paulus magnum suarum ærumnarum catalogum texit, *2. Cor.12.* Sed quid ego hæc talia commemoro, cùm Christus Servator per multas passiones intraverit in gloriam suam? Quæ cùm ita sint, manet illud Spiritus sancti oraculum: Per multas afflictiones oportet ingredi in regnum cœlorum. *Item:* Ecclesiæ doctores operam navare de-

re debent sedulam eloquētiæ, cùm id omnibus temporibus fecerint ipsorum antecessores. Quis enim Chrysostomo disertior? Quis Basilio Magno in poliendâ oratione accuratior, in amplificando uberior? Quid Gregorium Nazianzenum hoc loco commemorem? In oratione solutâ Thucydidem imitatus est, cujus singula verba, singulas sententias esse Cicero pronunciavit. Idem in carmine Homerum, fontem illum ingeniorū, sibi imitandum proposuit. Latinos Patres placet ut adducam? Hieronymū, Augustinū, Cyprianū, Hilarium, Bernhardum? Longū foret illorū eloquentiam oculis hîc subjicere. Altiùs assurgamus, & videamus quomodo in S. literis eloquentiæ artificiū sit expressum: Esaiam, Johannē Baptistam, Jacobum & Johannē filios illos tonitrui; Paulum deniq; Apostolū ab eloquentiâ abhorruisse quis dicat? Horum itaq; vestigiis insistite, pastores populi Dei, & ne spernite à vobis, id quod hodiè nimis quàm familiare est vestri ordinis hominibus, eloquentiam. *Item:* Sunt qui juvenes ad munia & functiones publicas cum fructu admitti posse negant. At aliud infinita testantur exempla, cumprimis Salomonis, Pauli, Timothei; quos populi pervicaces, alienigenæ, impii, juvenes audierunt & stupuerunt. Alexander certè, cui à rebus actis & auctis Magni cognomen, juvenis decessit. At jam orbem perdomuerat. Julius Cæsar ea juvenis fecit, quæ nullus unquam senex. Neque hoc volo, dum talia adduco, promiscuè quibuslibet juvenibus committenda esse publica munera. Absit. Contra illos hîc ago, qui omnes omninò juvenes arcent à publicis muneribus. Disputo hîc contra canonem illum Bonifacii Papæ *canon. dist. 78. cap. si quis.* ubi ait: *Si quis triginta ætatis suæ annos non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde dignus sit.* Ibidem cap. presbyter: *Presbyter ante 30. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ. Pertinent huc Soritæ, in quibus conjunguntur vocabula ejusdem prædicamenti:* ut, Homo est animal. Animal est natura sentiens & vivens. Natura sentiens & vivens est substantia. Ergò homo est substantia. *Item:* Fortitudo est virtus. Virtus est habitus. Habitus est qualitas. Ergò fortitudo est qualitas.

Cap. 28. Usus doctrinæ de testimonio & testato.

I. Usus declarationis.

INter argumenta simplicia communia ultimum est testimonium, cujus applicatio sic habet.

I. Notæ testimonii, sunt *1. Nomina*; testis, testimonium, suffragium, suffragator, opinio, judicium, præjudicium, censura. *2. Verba:* testari, testificari, assentiri, subscribere, succinere, arbitrari, censere, opinari, credere, dicere, affirmare, fateri, confiteri, profiteri, vidisse, audivisse, expertum esse, ajunt, ferunt, perhibent. *3. Phrases:* fama est, rumor est, adjicere atrum vel album calculum, & simpliciter, adjicere calculum, uno ore fateri, suis oculis vidisse.

II. Ad hunc locum pertinent. 1. Singulorum authorum peculiares gnomæ, chrię, sentētię illustres. 2. Apophthegmata magnatum. 3. Proverbia vulgi. 4. Lex naturæ seu non scripta, & scripta. 5. Consuetudo. 6. Experientia universalis & particularis. 7. Conscientia. 8. Confessio libera, vel vi expressa, vel actu elicita. 9. Obligationes, sponsiones & stipulationes. 10. Juramenta. 11. Pignora, monumenta, libelli, vades, arrhæ, præsides, obsides, arma, trophæa, cruentatio cadaverum, mutatio vultus & affectuum, immutatio coloris, variatio pulsus, excitatio sudoris. 12. Chirographa. 13. Miracula, ritus, ceremoniæ, & alia signa innumera.

III. Termini simplices hujus loci sunt ita:

Testimonium.	*Testatum.*
Paulus ad Romanos & Galatas.	Justificari fide, sine operibus.
Esaias cap. 7.	Christus nasciturus ex virgine.
Deus promisit.	Abraham pater credentium futurus.

IV. Hinc axiomata è testimonio & testato disposita.

Paulus testatur, hominem justificari fide.

Esaias vaticinatus est, Christum è virgine nasciturum.

Deus promisit Abrahamo, ipsum fore patrem credentium.

II. Usus

II. Usus demonstrationis.

I. *Tres sunt certitudinis gradus in testimoniis.* Summus in divinis; medius in testimonio conscientiæ, sensuum & experientiæ; infimus in testimoniis humanis. Sic quidam procedunt. Et quidem hæc non pugnant cum iis, quæ lib. 2. diximus de testimonio. Nam primus ille gradus, cujus ibi facta fuit mentio, dividitur in duos, quorum alter est in divinis, alter in naturalibus.

II. *Ex hoc loco ducuntur syllogismi affirmantes & negantes:* ut, Permissa est cuiq; defensio sui. Q. lex naturæ hoc dictat. Christus resurrexit. Q. id testantur Evangelistæ & Apostoli. Nullum est purgatoriũ. Q. nihil de eo habet Scriptura. Hîc nota, testimoniũ divinum etiam valere ad negatè concludendũ in negotio salutis, aliâs non. Nec enim valet: Scriptura non dicit esse Americam. E. non est. Alioquin & affirmatè concludimus è testimonio divino in rebus ad salutem non pertinentibus: ut, Scriptura testatur, 72. familias à Noacho ortas. E. hoc verum est.

III. Usus amplificationis.

I. *Antithesis.* Quousq; tandem ementitũ illum Catholicismum jactabitis Romanẽses? Quousq; utemini his forlis: Sic Ecclesia statuit: Sic Augustinus, sic Bernhardus, sic alii Patres docuerunt: Sic sanctissimus Dominus noster Papa sancivit? Hui Pontificii! Cur vobis sordent hæ formulæ, quibus nos utimur: Deus sic loquitur: Spiritus sanctus sic testatur: Christus sic docet: Prophetę & Apostoli sic scriptum reliquerunt? Hui Pontificii respondete! Pauculis interrogationibus vos fatigabo. Potéstne Ecclesia statuere contra Ecclesiæ authorem? Aut potest Deus contraria loqui, hoc in Scripturis affirmando, illud in Ecclesiâ negando? hoc per Prophetas & Apostolos probando, illud per Patres & Pontifices Romanos, Martyres, Canonistas, Summistas, Scholasticos, Monachos, Jesuitas, & similis farinæ homines probando? Pensitate hæc amabò, si ullam micam rationis vel fidei habetis. *Item:* Quotiescunque cupis aliquid laudabile efficere, non imperitam multitudinem testem tui facti exopta; sed hoc age, ut duce Deo, comite Scripturâ, teste conscientiâ, incipias, continues, absolvas. Hæc est illa trias, Trias regulativa nostrarum actionum.

cui te, cui tua approbare debes. *Item:* Non ex meo cerebro allata hæc est sententia; non eruta è sapientissimorum ethnicorum monumentis; non à vulgo accepta; non Aboriginum seculo nata: sed unà cum primordio mundi & Ecclesiæ nascentis à Deo tradita, in sacrarum originum libro primùm consignata, in libris Propheticis & Apostolicis confirmata & repetita. Hanc itaque doctrinam amplexemur, hanc Dei vocem veneremur.

II. Syncrisis fit tribus modis. 1. Figuratur interrogatione: ut, Nescio quale cacoëthes habeat Pontificis Romani sectatores, qui Scripturæ credunt propter Ecclesiæ testimonium. Hoc nempe est Solis splendorem illustrare radiis Lunæ, quæ tamen nullos nisi à Sole habet radios. Sed enormitatem hujus dogmatis unâ atque alterâ interrogatione ostendam. Quæro igitur abs te, Roberte Bellarmine, annon statuas libros Ciceronis à Cicerone scriptos esse? Quæro abs te porrò, quare sic statuas? An quia majores tui dixerunt, hos esse libros Ciceronis? Non opinor. Hæc quidem est occasio, causa non est. Quid enim si majores tui dixissent, mendicabula illa, quæ Ciceronis nomine circumferuntur, esse Ciceronis, an ideò fidem habuisses? Non certè. Quid ergò est, cujus beneficio scripta Ciceronis germana à suppositititiis discernis? Character styli. Sic ergò habeto; characterem in scriptis divinis divinum, in Ecclesiasticis ecclesiasticum & medium, in philosophicis philosophicum, & merè humanum esse. *2. Opponuntur imparia:* ut, Oppono tibi, inquis Antagonista, authoritatem principis philosophorum Aristotelis. Oppono tibi, inquam ego, authoritatem Pauli Apostoli. *Item:* Mirificè tibi places in illo Aristotelis testimonio. Non igitur mihi vitio dabis, quòd testimonium Spiritus sancti pro me allego. *Item:* Accommodate aures & animos, non mihi, sed Deo sic loquenti in verbo suo. *Item:* Non mea sunt, sed Pauli, sed Spiritus sancti, quæ adduco. *3. Increpatio admiscetur;* ut, Egregiam verò tuam orationem, & homine Christiano dignam! Sententiæ tuæ firmandæ congessisti innumera ex Homero. Patronos illius laudasti Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & sexcentos alios ethnicos in theatrum produxisti. Non equidem culpo, quòd meliores ethnicorum adduxisti.

Character scriptionū est varius.

Hoc

Hoc enim modo deteriores illi Chriſtianorum confundun-tur maximè. Sed quòd ab iis duntaxat petiiſti veſtem & purpuram, ut cum Comico loquar, orationis tuæ, ſacris libris præteritis, hoc eſt quod culpo, & vehementer culpo.

III. Conglobatio fit duob. modis. 1. Teſtimonia ponuntur absq; intervallis, ita ut unum ſequatur alterum continuè: ut, Reſurrectionem mortuorum fore teſtatur Job *cap. 19.* teſtatur Eſaias. *cap. 26.* teſtatur Ezechiel *cap. 37.* teſtatur Daniel. *cap. 12.* teſtatur Paulus. *1. Corinth. 15. Item:* Deſideratis hujus rei exempla? Vultis teſtimonia? Expatiamini mecum in hortum SS. literarum. Primo loco occurrit Moſes, divinus ille hiſtoricus, qui hunc in modum ſcribit &c. Huic adjungit ſe chorus ſanctiſſimorum Prophetarum. Hîc quem priore, quem poſteriore loco ſtatuam, vix eſt ut ſciam. Primus tamen ſit Eſaias. Illius concio ſic habet &c. Neq; verò Chriſtus aliter docuit. Sic enim ille &c. Idem docuerunt Apoſtoli. Nam Paulus &c. *Item:* Sed quid ego meis verbis hæc diffusè perſequor! Quin potiùs veterum hâc de re ſententiam recito. Adſis igitur Hermes Triſmegiſte, & tuam de cœlo ſententiam tuis verbis, meo ore huic ampliſſimo conſeſſui ediſſere. Accede Pythagora, & tuam mentem explica. &c. *Item:* Videatur fortè alicui nova hæc ſententia. Sed ne videatur. Nam jam olim Academia Platonis, Lycéum Ariſtotelis, Stoa Zenonis, omnes deniq; Scholæ unanimi conſenſu hanc ſententiam comprobârunt. Sic enim Plato ſcriptum reliquit &c. Hæc ſunt verba Ariſtotelis &c. *Item:* Si dubitatis hâc de re, conſultum ite Prophetas & Apoſtolos. Quærite ex Eſaiâ &c. Porrò Paulum interrogate &c. *Item:* Utinam exiſtat nunc in hoc cœtu Doctor ille gentium Paulus, vel potiùs ipſe Chriſtus! Quanquam quid eſt, quòd illorum opto præſentiam, qui reverâ nobis adſunt in ſcriptis ſuis? Hæc igitur eo loco habeamus, quo loco ſubditi habent diplomata principum ſuorum. *Item:* Nunc videamus, ſi placet, fundamenta hujus noſtræ ſententiæ. Principiò quæro abs te vir Dei Moſes, quid &c. Quid eâdem ſuper re Paulus? Annon confirmat ſententiam Moſis? *Item:* Largire mihi aliquid de tuo Ariſtoteles &c. *Item:* Ut mihi aliquid de ſuo largiantur Phyſici. *Hæc formula παρενθέτως inſerenda. Item:* Ciceronis verbis loquor. *Item:* Ex ore Chriſti ſic habete.

Item: Sunt verba Pauli. *2. Testimonia ponuntur per intervalla, ita ut singulis addatur expositio:* ut, Audite, adversarii, Paulum hâc de re disserentem. Sic ille *Rom. 3. v. 28.* Colligimus igitur, fide justificari hominem absq; operibus Legis. Quæ quidem verba tam clara sunt, ut glossarum tenebris obscurari non possint. Dicit enim &c. Sed dicitis, hunc locum solùm habetis, quem toties nobis objicitis. Dicam ego: Blasphemia hæc est. Interim videamus, annon alibi Scriptura hoc idem tradat. Quomodo legitis *Gen. 15. v. 6. &c.*

Cap. 29. Usus doctrinæ de prædicamentis.

SEquitur applicatio argumenti incomplexi proprii, quod diximus prædicamentum; ubi similiter expendemus usum declarationis, demonstrationis & amplificationis.

I. Usus declarationis.

I. Termini simplices hîc oriuntur è variâ relatione, quæ est inter substantiam & substantiam, substantiam & accidens, itemq; accidens & accidens. e. g.

1.	*Substantia.*	*Substantia.*
	Deus.	Homo.
	Homo.	Petrus.
2.	*Substantia.*	*Quantitas.*
	Arbor.	Longitudo.
	Substantia.	*Qualitas.*
	Oculus.	Lux.
	Lignum.	Testudo.
	Substantia.	*Actio.*
	Homo.	Disputatio.
	Magnes.	Trahere ferrum.
	Substantia.	*Passio.*
	Homo.	Morbus.
	Homo.	Institui.
3.	*Actio.*	*Passio.*
	Docere.	Doceri.

Regere.

Regere. Regi.
Qualitas. *Qualitas.*
Lux. Color.

II. Hinc axiomata è prædicamentis inter se collatis:

Deus non est homo.
Petrus est homo.
Arbor est longa.
Lux afficit oculum.
Regere præstantius est quàm regi.

III. Singularis hic indicanda est utilitas prædicamentorum, quòd nimirum ordo ipsorum gignat peculiarem methodi doctrinam, quæ ad maximarum rerum explicationem accommodata est, quam *Raimundus in Rhetoricis* & *Philippus in Dialecticis* commonstrarunt. Possunt enim prædicamenta applicari ad omnia causarum genera, demonstrativum, deliberativum, & judiciale. Sic Platonem laudamus

Singularis utilitas prædicamentorum.

è prædicamento
- *Substantiæ:* ut à materiâ & formâ.
- *Quantitatis:* ut à staturâ, humeris latis & præcordiis magnis.
- *Qualitatis:* ut, à sapientiâ.
- *Actionis:* cùm recensemus ipsius opera.
- *Passionis:* cùm laudamus eum à patientiâ & laborum tolerantiâ.
- *Relationis:* cùm laudamus ejus disciplinam & discipulos.
- *Ubi:* ut, à patriâ, peregrinationibus in Siciliam.
- *Quando:* ut, à tempore & ætate mundi quâ claruit.
- *Situs:* ut, à symmetriâ membrorum.
- *Habitus:* ut, à vestibus.

Aliud exemplum.

Epatis
- *Substantia:* est sanguinea, similis coagulato sanguini.
- *Quantitas;* est similis lunæ corniculatæ.
- *Qualitas;* temperamentum est calidum & humidum, conveniens naturæ sanguinis, & elixationi, ad quam requiritur calor & humor.

Hanc methodũ Melanchthon vocat anatomicam.

Actio; gignit humores, & transmittit singulos ad vasa & receptacula convenientia: ut, bilis flava magnâ ex parte transmittitur ad vesiculam fellis: bilis atra ad splenem: serosa humiditas ad renes & vesicam: sanguis admixtus reliquis humoribus servatâ proportione conveniente nutritioni, per cavam venam primùm vehitur ad cor, ac postea spargitur in totum corpus.

Passio; hydrops, scirrhus, inflammatio, obstructio.

Relatio; est officina sanguinis, quo nutritur totum corpus. Nam ex epate prodit vena cava, quæ postea in alios ramos ascendentes & descendentes dividitur, ut omnibus membris per venas distribuatur sanguis. Atque sic epar refertur ad totum corpus.

Ubi; est sub diaphragmate in infimo ventre.

Situs; est situm in dextro hypochondrio.

Aliud exemplum.

Solis:

- *Substantia*; est quintæ essentiæ, quæ in S. appellatur lux. Ex hâc materiâ conditus est Sol.
- *Quantitas*; superat magnitudinem terræ sexagies sexies cum trib. octavis. [handwritten margin note: "centies"]
- *Qualitas*; Sol est fons vitalis potentiæ, sicut Luna est fons naturalis potentiæ. Vitalis potentia est calor vivificus. Naturalis potentia dicitur humor.
- *Actio*; Sol efficit diem; item quatuor vicissitudines seu quadrantes anni; metitur annum. Sicut Luna est gubernatrix mensium: ita Sol est moderator anni.
- *Passio*; Eclipsis, parallaxis, id est, aberratio visus à vero Solis loco, & varii aspectus ad reliquos planetas.
- *Relatio*; est χόραγος, *dux chori cœlestis*, i. e. moderator reliquorum luminum. Nam omnes reliqui planetæ suos motus accommodant ad motum Solis.
- *Ubi*; est in medio planetarum tanquam Rex.
- *Quando*; motum periodicum absolvit diebus 365. horis 5. minutis 55. scrupulis secundis 12.

Possunt

Possunt tamen hæc meliùs proponi in modum quæstionum: ut, de Ecclesiâ quæres juxta hanc seriem, quid sit, quàm latè pateat, qualis sit, quid agat, quid patiatur, ubi sit & fuerit semper, quamdiu mansura sit &c. De angelis, quid sint, quotuplices, quid agant & patiantur tum boni tum mali, ubi sint boni & mali, quando cœperint esse & tales esse.

IV. Est & hæc utilitas prædicamentorum, ut mens in quæstionis simplicis causis, effectis, subjectis &c. argumentis communibus perlustret prædicamenta. Sic si de ministerio verbi sit dicendum, inquire quas causas habeat, quæ effecta &c. in tabellâ substantiæ, quantitatis, qualitatis &c. invenies non contemnenda, de quib. sine hâc directione nunquam cogitaturus fuisses: ut causæ ministerii verbi è prædicamento substantiæ sunt Deus, Christus, sancti homines; è prædicamento quantitatis est oratio divinitùs enunciata &c.

V. Serviunt prædicamenta constituendis definitionibus. Vide plura *in theatro nostro pag. 83.*

II. Usus demonstrationis.

I. Usus demonstrationis quis sit, facilè colliges ex iis quæ diximus *ad lib. 7. cap. 20.* Exempla adducamus paucula: Homo habet accidentia. Q. est substantia creata. Homo est substantia creata. Quia præditus est accidentibus. Verborum pronunciatorum nulla est efficacia ad sanandos morbos. Q. quantitatis nulla est vis. Logica est habitus. Q. est qualitas. Testudo est in prædicamento qualitatis. Q. sic denominatur à figurâ. Peccatum originis non est substantia. Q. non subsistit per se. Discere non est adversum naturæ. Q. est passio perfectiva. Morbus est adversus naturæ. Q. est passio destructiva. Contemplatio est nobilior architectatione. Q. actio immanens est nobilior transeunte. Paternitas non componit. Q. est relatio. Ad summam: Oportet cognoscere proprietates & regulas pertinentes ad quodcunq; prædicamentum, quæ sunt fundamentum veritatis syllogismorum ductorum ex prædicamentis, & summa κριτήρια. Et vel hinc patet, quàm necessaria sit in Logicis hæc de prædicamentis doctrina.

II. In tractatione quæstionis conjunctæ non solùm causæ,

effecta &c. argumenta communia exquirenda sunt ratione subjecti & prædicati, sed inventa sunt applicanda certis prædicamentis. e. g. An mundus est æternus? N. argumento ducto à partibus mundi. Quia partes non sunt æternæ. Hoc argumentum transfer in tabellam substantiæ, & mirum in modum te juvari senties. Sic: An Logica docet modum disserendi de omni re? A. argumento ducto à distributione prædicati. Q. docet nos disserere de omni ente & nonente. Jam ingredere tabulas prædicamentales, & entis divisiones percurre, ubi egregia invenies hanc ad rem pertinentia. Et hinc patet, quomodo prædicamenta restringant argumenta generalia.

III. Usus amplificationis.

PRÆDICAMENTUM SUBSTANTIÆ.

I. Antithesis. Illustre exemplum est Esa.51. ubi instituitur antithesis rerum humanarum & divinarum. Item: Perpende, ô homo, tuam excellentiam præ reliquis creaturis, ut ita exciteris tum ad Deum laudandum, tum ad officium tuum alacriter faciendum. Deus creavit te animal ratione præditum, cùm potuisset te bestiam abjectissimam creare, aut plantam, aut lapidem, aut stellam. Hæc tibi serviunt, ut tu servias conditori. *Item:* Non cernimus substantiam arboris aut lapidis, aut alterius cujuscunq; rei: sed accidentia, colores, magnitudinem, figuram utcunq; aspicimus. Verè de nobis dici potest, quod Vergilius de Æneâ contemplante res Romanas in clypeo sculptas canit:

Miratur, rerumq; ignarus imagine gaudet.

Sumus enim & nos ignari substantiarum, & contenti esse cogimur accidentium inspectione, ex quibus tamen ratiocinando colligimus, quales sint ipsæ substantiæ. Quanquã animam hominis non vides; tamen ex actionibus mirandis, quas efficit in corpore humano, ipsius vim & excellentiam agnoscis. Eodem modo substantiæ aliarum rerum non incurrunt in sensus: sed vestitæ & ornatæ accidentibus.

II. Syncrisis. Formica æquè est substantia atque cœlum: imò nobilior est substantia. Cœlum enim solummodò est corpus simplex. Formica est corpus animatum sentiens. *Item:* Homo reverâ est microcosmus. Est enim sub-

stantia

stantia partim incorporea, partim corporea. Quatenus est incorporea substantia, accedit ad Deum & Angelos, animâ & mente suâ. Corpore accedit ad cœlum, elementa, & omnia ex elementis composita. Cœlum in homine est caput. Ignis est calor & cholera. Aër est Spiritus. Aqua est sanguis. Terra est caro. Meteora in ipsius corpore sunt multa, ut vapores & exhalationes. Videas in ipso ventos, fulmina, pluvias, rorem, & alia multa. Vivit, ut planta. Sentit ut animal. Et quis omnia recenseat? *Item:* Sicut tres sunt gradus spiritualis substantiæ, Deus, Angelus, & Anima: sic tres sunt gradus corporum simplicium, videlicet, cœlum, stellæ, & elementa. Et rursus sicut tres sunt gradus corporum simplicium: ita tres quoque sunt gradus corporum perfectè mixtorum. Alia enim sunt mineralia; alia vegetabilia; alia animalia. Et hoc est triplex illud regnum mundi inferioris.

Mirabilis trias ter gemina substantiarum.

III. Conglobatio. Si amplificanda sint illa axiomata: Deus omnia fecit valdè bona: Omnes creaturæ huc collineant, ut Deus glorificetur: Nulla creatura potest nobis summum bonum suppeditare: Omnes creaturæ indigent auxilio divino: ex arbore substantiæ optima amplificatio peti potest. Dici non potest, quantum jucunditatis habeat sic ire per singulas naturæ partes. Exempla illustria vide *Job 28. 36. 37. 38. 39. 40. 41. capp. & hinc inde in Psalmis. Exemplum unicum apponemus:* Adeste Epicurei, contemtores numinis, & juxta mecum legite magnum illud volumen, quod obversatur ante oculos omnium. Primò evolvamus supremam hujus libri paginam cœlum. Occurrunt ibi orbes distincti, motus admirabili lege & ordine variati, stellæ multæ & illustres, lumen pulcherrimum, & alia, quæ nullius hominis lingua assequi potest dicendo. Hæc eructant Dei sapientiam, bonitatẽ, & omnipotentiam. A se non potuit existere hęc stupenda machina. Ab alio igitur. Et hunc necesse est infinitũ, independentẽ & increatum esse. Nam à finito, dependente, & creato ente ista, quæ modò dixi, quæq; quotidie videtis ipsi, nec produci, nec gubernari possunt. Quid dicemus de elementis? Singula sedes suas obtinent, & in gremio suo continẽt foventq; incolas suos. Ex iis, tanq̃ divinâ favissâ, nobis nascunt᷑ omnis generis opes & veluti fœtꝰ eruunt᷑, obste-

Liber naturæ quomodo evolvendus?

tricante cœlo. Num hæc casu fiunt? Perpendite meteora, cometas, trabes, faces, virgas, iridem, ventos, terræmotus, nubes, nebulas, pluviam, nivem, grandinem, tonitrua, fulmina, fulgetra, procellas. Omnipotentiam numinis si nondum videtis, inferiores estis ipsis bestiis, quæ percelluntur & trepidant, quando Deus fulmina sua disjicit. Et vos Deum esse negatis? Nihil jam dicam de metallis, de gemmis, de lapidibus, de fossilibus; nihil de plantis & arboribus. Latere patiar innumerabiles bestias. Vestra vos corpora intueri jubebo. Habetis hîc domesticam bibliothecam, si spectetis ortum membrorum, si multitudinem, usum, & connexionem illorum. Ortus ipsorum mirabilis est. Nam ex parvulâ sanguinis guttulâ formata sunt. Adeò multa sunt, ut artifices penè defatigentur ipsorum enumeratione. Usum singula habent talem, ut una Troja ædificetur à variis operariis, ut ita dicam. Connexionem admirandam quis explicet? Sed præstat hîc tacere, quàm pauca & ea incondîta dicere, ut ne dignitati materiæ aliquid decedat per indignitatem materiæ, quæ est stylus.

Hominis bibliotheca domestica, quam semper circumfert.

PRÆDICAMENTUM QUANTITATIS.

I. Antithesis. Ridiculum est Mathematica dicta intelligere Physicè. Sunt enim diversa genera disciplinarum, Physicum & Mathematicum: Mathematica linea, superficies & corpus, cogitatione abstrahuntur à materiâ. Physicus talia non considerat, sed ipsa entia in oculos incurrentia. *Talis est antithesis illa jocosa:* Non numeratur nuntio pretium pro latitudine, sed tantùm pro longitudine itineris. *Item:* Datur quidē quadratura circuli, sed nō exacta. Nam artifices nondum deprehenderunt præcisam & absolutam proportionem lineæ curvæ ad rectam. *Item:* Cœlum est major substantia quàm terra, sed non est magis substantia. *Item:* Mathematici magnitudinem cœli corporumque cœlestium, & terræ investigarunt: at Dei misericordia est ἀμέτρητος καὶ ἀναρίθμητος.

II. Syncrisis. Fluit tempus, & avidissimos sui deserit, nec quod præteriit meum est, nec quod futurum est. In puncto fugientis temporis pendeo, & magni est modicum fuisse: *Senec. in 6. quæst. nat. Sic Plin. lib. 2. cap. 68.* In puncto si quis velit

velit choreas ducere, numquid insaniet? At verò terra ad universum mundum quid? Mundi punctus. Hæ tot portiones terræ, imò verò ut plures tradidere, mundi punctus (neque enim terra aliud in universo) hæc materia gloriæ nostræ, hæc sedes: hîc honores gerimus: hîc exercemus imperia: hîc opes cupimus: hîc tumultuatur genus humanum: hîc instauramus bella, etiam civilia, mutuisque cædibus laxiorem facimus terram. *Huc pertinent variæ similitudines ex hoc prædicamento petitæ.* Sic Medici figuram pyramidalem coni attribuunt cordi humano. Philosophia confertur cum circulo, unde vocatur ἐγκυκλοπαιδεία, & eodem sensu κυκλοπαιδεία, quasi dicat, circulum disciplinarum. Trismegistus Deum quoque comparat circulo. Theologia dicitur κυκλοειδής, quia ab æternis incipit, & terminatur ad æterna. Simonides & Plato virum constantem & sui similem in rebus secundis & adversis vocant τετράγωνον: Difficile est, inquiunt, nasci virum verè bonum, qui manibus, pedibus, & mente sit τετράγωνος. Talis τετράγωνος fuit Joseph in carcere & in statu florenti. Talis quoque fuit Marcus Antoninus Imperator, de quo scribit Dion, quòd semper fuerit sibi ipsi similis, nec ullâ in re mutatus sit. Plato dixit Deum ἀεὶ γεωμετρεῖν. Multa quoque arcana latent in doctrinâ de numeris.

III. Conglobatio. Magnitudo corporum cœlestium, terræ item & aquæ conglobari debet ad Dei majestatem extollendam: ut, Certum est multas stellas multis modis esse terrâ majores. Solis magnitudo centies sexagies sexies superat magnitudinem terræ. Hujusmodi stellæ multæ sunt. Quòd si stellæ sunt tantæ, quid dicemus de ipso cœlo, quod illas veluti gestat. Exclamemus itaque; Major his omnibus est architectus, Deus laudandus in secula. *Item:* Deus est optimus Arithmeticus, & Geometra, ut dixit pia antiquitas. Nam ille omnia disposuit atque dispensavit in numero, pondere, & mensurâ. Ille numerat multitudinem stellarum, & omnes suis nominibus vocat. Magnus est Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Ipse numerat lacrymas piorum. Ipse numerat capillos capitis nostri.

Sap. 11. Psal. 147. Matth. 10.

PRÆDICAMENTUM QUALITATIS.

I. *Antithesis hic est varia. 1.Habituum.* De naturalibus notitiis magna est inter Platonicos & Peripateticos contentio. Nam Plato docet, non omnia, quæ scimus, comparari discendo, sed multa nobiscum nasci, & à naturâ nobis insita & quasi insculpta esse. Contra hanc sententiam Platonicam Aristoteles disputat in Analyticis posterioribus, & in libris de animâ: Nullam esse in intellectu humano notitiam naturalem, sed omnia transfundi in intellectum docendo & discendo. Sententia Platonica congruit cum Paulo *Roman.1. & 2. & 1.Cor.11.* Vera igitur, & proinde in Scholis Christianorum defendenda. *Item:* Christiani pugnant non pro opinionibus, sed pro articulis, quorum certissima sunt fundamenta. Neque ita addicti sunt suis imaginationibus anteceptis, ut eas cum errore velint anteponere veritati. *Item:* Candor approbat aliorum sententias & voluntates propter rationem probabilem, ac benè sperat, sed ut de rebus mutabilib. cogitans posse mutari hominum voluntates, & homines posse errare de alienâ voluntate, cùm latebræ humani cordis penitùs perspici nequeant. Quàm rara est hæc virtus hoc nostro tempore? Ab unâ parte ipsam oppugnat stulta credulitas, ab alterâ suspicacitas. Stulta credulitas nititur hominum sententiis, & benevolentiâ, non aliter quàm immotis demonstrationibus. At nihil est stultius, quàm ex arenâ facere rupem immotam, ex cerâ adamantem. Hoc autem faciunt illi creduli, illa mancipia & serva pecora, dum de re maximè mobili cogitant, tanquam de re firmissimâ & immobili. Debebant cogitare illud Platonis: φίλος ἐστὶ ζῶον τῇ φύσει δυσμετάβολον. Suspicacitas est notitia incerta, in quam ferimur sine probabili ratione, ut magis in deteriorem partem inclinemus, nec suspendamus asseverationem. Hæc floret & dominatur non solùm in aulis, sed etiam inter privatos homines. Estque vel præcipua causa odiorum, æmulationum, simultatum. De hâc veteres eleganter dixerunt: Suspicioni securis est adhibenda. *Eodem modo virtutes & vitia alia possunt opponi ex hoc prædicamento. Opponuntur etiam virtutes ethnicorum & Christianorum:* ut, Ethica quàm diligentissimè nobis est cognoscenda. Hæc enim doctrina est παιδαγωγὸς

Controversia nobilis inter Academiam & Lycéum.

Duo vitia admodum noxia.

Ethica dili-

τῆς θεο-

τῆς θεογνωσίας, testimonium de Deo multiplex, testificans quòd sit Deus,& qualis sit,& quòd judicaturus sit. Hæc doctrina est etiam regula vitæ,normaq; consiliorum & actionum nostrarum. Est præterea fons veræ eloquentiæ. Nullam enim possumus scribere epistolam aut orationem,nisi verba tingantur sententiis Ethicis,& subinde adspergantur loci sumti ex hâc doctrinâ. Adhæc doctrina Ethica est gubernatrix lectionis omnium poëtarum, historicorum, & oratorum, quorum scripta sunt referta sententiis & locis communibus Ethicis. Sed ita cognoscenda est, ut cogitemus duplices esse virtutes. Aliæ sunt propriæ Ecclesiæ Dei, aliæ sunt communes cum ethnicis hominibus. Propriæ sunt virtutes primæ tabulæ, vera agnitio Dei, verus Dei timor, vera fides, vera invocatio. Virtutes Ecclesiæ communes cum hominibus ethnicis sunt illæ, de quibus agit secunda tabula. Sic castitas non tantùm est in Josepho, sed etiam in Scipione. Justitia est in Davide & Aristide. Differunt tamen hæ ipsæ virtutes in renatis & non renatis. In illis sunt fructus fidei. In istis sunt fructus legis naturæ. In illis placent Deo ad salutem. In istis placent Deo ut sint inexcusabiles. Hoc discrimen oportet observare eum,qui velit in doctrinâ morali cum fructu versari. *2. Potentia & impotentia naturalis est oppositio.* Στοργαὶ sunt semina plurimarum virtutum, sunt opera Dei, sunt res in naturâ ordinatæ,ut conserventur status vitæ humanæ, referunt denique misericordiam Dei Patris nostri cœlestis. Hinc cogitare licet, quàm dira & tetra depravatio sit in Diabolis, qui abjecerunt στοργάς, & in multis hominibus, qui hoc naturali amore & vinculo consociationis extincto, bellum gerũt cum Deo,& cum naturâ generis humani,imò secum ipsis. Tales ἄστοργοι fuerunt Cain,interficiens Abelem fratrem suum; Medea, quæ filios suos interfecit; & Nero, qui matrem jussit dissecari,& Senecam præceptorem natum annos 114. jussit includi in balneũ,& ibi caloris vi & humorum copiâ suffocari. Hæc sunt opera Diaboli. *3. Opponuntur objecta sensuum & affectus:* ut,Pythagoras dixit esse sonitus quosdam harmonicos in cœlestibus corporibus. Hoc non est sic intelligendum,quasi quidam concentus Musicus

genter cognoscenda ob quatuor causas.

στοργαὶ quales & quàm mirabiles.

efficiatur motibus corporum cœlestium. Non adeò stupidus fuit divinus Plato. Admirabilem illam congruentiam motuum cœlestium significare voluit, quæ est omni Musicâ jucundior. *Item:* Lætitia & spes sunt dulcissimæ nutriculæ vitæ. At tristitia & metus sunt duo tortores & carnifices, quibus utitur Deus ad nos castigandos & flagellandos propter peccata. Fugiamus itaq; peccata contra conscientiam, quæ horribiliter lacerant cor, eique perpetuam trepidationem adferunt, de quâ dixit Seneca: Etsi fortuna aliquos liberat pœnâ, tamen neminem potest liberare metu. *4. Figurarum:* Terra non est quadrata, non cylindracea, non pyramidalis: sed globosa, similis pilæ.

II. Syncrisis. Horatius comparat inter se naturam & institutionem seu artem hoc modo:

Naturâ fieret carmen laudabile, an arte,
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite venâ
Nec rude quid prosit video ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè.

Hoc est quod Cicero dicit pro Archiâ: Cùm ad eximiam atq; illustrem naturam accesserit ratio quædam conformatioq; doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac insigne solet existere. *Item:* Etsi in omnibus sanis hominibus sunt στοργαὶ: tamen in sanctis sunt ardentiores & puriores, quia reguntur à Spiritu Dei, qui non est destructor naturæ, sed medicus, ut Lutherus ait. Nam is non delet, non destruit ea quæ sunt in naturâ: sed sanat & evehit. *Item:* Si parentum amor in filios est magnus, quid dicemus de amore Dei erga electos? Adeò dilexit illos, ut ipsis dederit Filium suum unigenitum. Sicut autem amor potiùs descendit, quàm ascendit: ita & hic non est ἀντέρως, *amor reciprocus,* si nos spectemus, æquè vehemens & ardens. *Item:* Apud Platonem de Republ. quidam senex ait: Cui adest bona spes, is habet dulcem nutriculam senectutis. Hoc ethnicus ille pronunciavit de spe illâ inani, quâ se consolati sunt philosophi. Nos longè rectiùs usurpabimus de illâ spe, de quâ *Job 19. Roman. 5. & 8. Galat. 5.* quâ certò scimus Deum nos glorificaturum esse, & ornaturum novâ luce, sapientiâ, justitiâ, vitâ & lætitiâ inenarrabili & sempiternâ. Hæc spes est præcipua consolatio, quæ lenit omnes hujus vitæ dif-

Consolatio philosophica differt à Christianâ.

vitæ difficultates & miſerias,& eſt implicata omnibus aliis conſolationibus. Si igitur volumus in Deo vivere in hoc brevi curriculo & poſt hanc vitam,audiamus vocem Evangelii, quæ excitat lætitiam & ſpem in noſtris cordibus. *Item:* Viſus principale objectum eſt lux, minùs principale eſt color. Eodem fermè modo ſe habet objectum fidei Principale eſt Chriſtus mediator. Minùs principale objectum ſunt bona corpori neceſſaria. Sicut enim ſine luce non poſſumus discernere colores; ideoque etſi lucem expreſsè non nominas,tamen quoties de dijudicatione colorum fit mentio,intelligis præſupponi lucem:ſic non poſſumus petere à Deo panem quotidianum, niſi prælucente fide in Chriſto fundatâ.

III. Conglobatio. Veri philoſophi nomen meretur, in quo ſapientia, ſcientia, prudentia, ars, & domina iſtarum notitia principiorum arcto quodam fœdere inter ſe copulatæ ſunt. *Item:* Qui volet in ſtudiis ſuis feliciter progredi, is ordine diſcat præcepta; & non modò discernat vera à falſis, ſed etiam certa ab incertis. Tum ſe exerceat. Nam exercitatio omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. Hæc non tantùm accipit aliena dictata & ſcripta, ſed etiam conatur aliquid ex ſe gignere, & ab aliis tradita, lecta, audita in ſuum ſuccum convertit. Inprimis autem cogitandum eſt de utilitate doctrinarum in vitâ communi. Hoc modo Logicam, Phyſicam, Ethicam, & ſimiles diſciplinas facillimè diſcent ii, qui bonitatem ingenii & diligentiam adferunt ad ea,quæ modò expreſſimus. *Potentiæ naturales, quæ ſunt in homine, conglobantur, ut ille excitetur ad Deum laudandum:* ut, Deus ſingulis membris aſſignavit certa veluti munia. Hinc alia cibum attrahunt, alia attractum retinent, alia alterant, alia distribuunt, alia ſordes expellunt. Niſi Deus has facultates in noſtris corporibus conſervaret, aut cibum faſtidio quodam repelleremus, aut aſſumtum non retineremus, aut retentum non alteraremus,aut deniq; ſequerentur tales obſtructiones,ut non poſſemus liberari à ſordibus. Nihil jam dicam de motu cerebri & cordis,deque facultatibus aliorum membrorum.Duntaxat illa attigi,quæ incurrunt manifeſtè in ſenſus, ut Deo gratias agamus pro beneficiis hiſce, eundemq; ro-

gemus ut illas facultates nobis conservet, semper memores illius: Non solo pane vivit homo, sed quolibet verbo, quod egreditur ex ore Dei. Si ille baculum pani, & vim membris subtrahat, anima nostra habitat in malo & ruinoso domicilio. *Item:* Στοργὴ est mirificus quidam amor erga cognatum sanguinem, non accensus consuetudine, sed naturale incendium est, quod Deus in intimo sinu cordium flagrare voluit, ut esset vinculum humanæ societatis, & commonefactio de suo amore erga filium & erga nos. Hoc incendium, hic ignis conspicitur inter parentes & natos, inter fratres, inter veros conjuges, & denique erga patriam. Amor ille erga sobolem ex timidis facit audaces, & ex ignavis sedulos, & ex edacibus frugales. Hinc asinus, animal timidum, ignavum & miserum, tanto amore complectitur pullos, ut animadvertens pullum aliquem periclitari, non dubitet per medias flammas penetrare, easque corpore suo dividere, ut pullum redimat. Fratrum quoque amor, quem Græci φιλαδελφίαν vocant, est permagnus, adeò quidem, ut sanguis incalescat & commoveatur, si frater videat fratri inferri injuriam. Amor inter conjuges est arctissimus, unde & CHRISTUS cum illo confert suum amorem, quo complexus fuit Ecclesiam. Amoris denique erga patriam quanta sit vis testantur monumenta ethnicorum. Atque hæ στοργαὶ sunt imago amoris quo DEUS nos complectitur, quo item nos complecti debemus fratres nostros συσσώμους in corpore Christi; item illius, quo Christus sponsam suam Ecclesiam fovet, quóque nos illum prosequi debemus: & denique illius, qui debetur patriæ cœlesti. *Item:* Sex sunt gradus naturalium amicitiarum & inimicitiarum, quas Græci vocant συμπαθείας καὶ ἀντιπαθείας. Primus est plantarum & membrorum corporis humani: ut fœniculum oculis medetur. Secundus est plantarum inter sese, ut oleæ & vitis. Tanta enim est illarum συμπάθεια, ut altera alteri insita, vel vitis oleæ, vel olea viti, altero anno gignat utriusque fructus, uvas & olivas. Tertius est membrorum corporis humani, ut venarum & arteriarum. Nam venæ suppeditant spiritui materiam, spiritus verò in arteriis calore suo fovent sanguinem. Ideoque mutua sunt orificia, ut spiri-

Matth. 4.

Στοργὴ descripta.

Sex gradus sympathiæ & antipathiæ.

ut ſpiritus ceu flammula rapiat nutrimentum ex venis, & venæ ſpiritum & calorem ex arteriis. Quartus eſt beſtiarum & plantarum. Ita ſerpentes quærunt fœniculum propter oculos; hirundines chelidonium, propter eandem cauſam; aſini aſplenum, ut pellant è corpore redundantem bilem atram. Quintus beſtiarum inter ſeſe: ut aquilæ & cygni naturale diſsidium eſt. Sextus gemmarum & metallorum: ut adamas impedit magnetem, ne poſſit trahere ferrum. Hos gradus utile eſt ſubinde repetere, ut admiremur opificis omniſapientiam & omnipotentiam.

Prædicamentum Actionis.

I. Antitheſis. Veri JCti ſunt, qui, ut de Sulpitio refert Cicero, ad æquitatem facilitatemque omnia referunt, & tollere controverſias malunt quàm conſtituere. Et planè in hunc uſum apud innocentius ſeculum parati fuerunt JCti, ut lites quàm citiſſimè prudentiâ ſuâ dirimerent ac finirent. At hodie maximam partem ſunt contortores legum, ſerentes lites ex litibus, deglubentes ſuos clientes, depeculantes Remp. ludificantes judicia. *Opponuntur ſæpe generatio & corruptio, accretio & deminutio, itemq; actiones Dei & creaturarum.* **Veri JCti qui ſint?**

II. Syncriſis. Veteres ante Chriſtum obtulerunt Deo multa ſacrificia. Nos offeramus ipſi ſacrificia illa, quibus maximè delectatur, cordium videlicet & labiorum. *Item:* Nulla naturæ pars ad otium & quietem eſt condita: ſed omnia naſcuntur ad aliquem finem & actionem. Corpora cœleſtia aſſiduè moventur, motu harmonico. Terra etſi non movetur localiter, alios tamen habet motus. Producit fruges, ſuppeditat victum & remedia, & inſtrumenta neceſſaria vitæ hominum & animantium. De reliquis creaturis idem eſt judicium. Deus quoque, merus ille actus, ſemper aliquid agit: unde Chriſtus, Pater meus adhuc operatur, & ego operor. **Johan. 8.** Hæc ſubinde revolvamus animis noſtris, & noſtri quid ſit officii diſcamus. Sumus creaturæ præſtantiſſimæ. Non igitur ad otium Deus nos condidit, ſed ad agnitionem & celebrationem ſui. *Sic inter ſe conferes actiones politici magiſtratus & miniſtrorum verbi; adminiſtrationem familiæ & ſubditorum.*

III. Conglobatio. Deus mundum creavit, eundem conſervat & gubernat, adeſt toti ſuo opificio, ſuſtentat cœlum & motus cœleſtes, fœcundat terram, impertit vitam viventibus, curat & ſervat genus humanum, cuſtodit politicam ſocietatem, punit atrocia ſcelera, & injuſtè preſſos liberat. *Eodem modo conglobantur actiones Filii & Spiritus ſancti :* Filius ex ſinu Patris ſui protulit nobis Evangelium, placavit iram DEO ſuo ſacrificio, aſſiduè orat pro nobis, conſervat miniſterium Evangelii in Eccleſiâ, perpetuò colligit Eccleſiam voce Evangelii, & dat remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum, & vitam æternam. Spiritus ſanctus accendit in mentibus veram agnitionem DEI, confirmat corda ut aſſentiantur verbo DEI, flectit ea ad invocationem DEI, & ad omnes motus legi divinæ congruentes, & lætificat ea ut acquieſcant in DEO, petantque & expectent ab eo omnia bona. *Huc refer conglobationes actionum œconomicarum, eccleſiaſticarum & politicarum.*

PRÆDICAMENTUM PASSIONIS.

Paſſio alia eſt σωτηρικὴ, alia φθαρτική.

I. Antitheſis. Patiuntur Angeli mali; ſed & boni patiuntur. Illi patiendo pœnas malè afficiuntur: iſti patiendo illuminationem divinam perficiuntur. *Item :* Impii & facinoroſi patiuntur, & patiendo exardeſcunt adverſus DEUM & magiſtratum. Pii patiuntur, & patiendo illuſtrant gloriam DEI, ſuamque ſalutem promovent. Nam DEUS magis delectatur ſacrificiis Eccleſiæ paſſivis & obedientiâ in tolerandâ cruce, quàm omnibus rebus geſtis & actionibus ſplendidiſſimis. Et paſſiones iſtæ operantur gloriam æternam. En miram paſſionem, quæ optimam operatur actionem! Naſcitur enim ex illâ paſſione viſio DEI, & celebratio illius perpetua.

II. Syncriſis. Non nego, multæ ſunt & eæ quidem graves afflictiones, quas electi in hâc vitâ experiuntur. At ſi quis eas componat cum futuri ſeculi gloriâ, cum paſſionibus item Chriſti, nec multæ, nec graves videbuntur. *Item :* Affliguntur Filii Dei in hâc vitâ, ut ne affligantur poſt hanc vitam, id quod impiis accidet, qui in omne ævum ſuſtinebunt onus iræ divinæ. Quòd ſi cru-

si crucem piorum cum pœnâ illâ æternâ conferas, piorum sortem deprædicabis potiùs, quàm deplorabis. Patiuntur illi, sed ad tempus, & non tam puniuntur, quàm castigantur & probantur. Patiuntur impii, sed in omnem seculorum æternitatem, & reverâ puniuntur.

III. Conglabatio. Si nescis homo, quàm multi, quàm tetri morbi infestent corpus tuum, i rogatum singula membra. Cerebrum se apoplexiæ, cephalalgiæ, vertigini, hemicraniæ & epilepsiæ obnoxium esse queretur. Cor innumeras passiones, quibus subjacet, dinumerabit. Oculi lippitudinem, caliginem, cæcitatem suam deplorabunt. Membra externa tumores, ulcera, luxationes, vulnera, & id genus mala ostendent. Uno verbo; Quot membra, tot morbi. Imò plures morbi, quàm membra. *Item:* Ratio in homine est velut auriga, qui regit currum affectuum. Currus istius rotæ sunt tristitia, ira, superbia, & avaritia. Equi sunt πολυπραγμοσύνη, intemperantia, invidia, conversatio cum malis. Domini, qui vehuntur isto curru sunt innumeræ perturbationes. Quòd si auriga non sequatur viam regiam, orbitam nimirum, quam præcepta Ethica & Theologica monstrant, currus non vocem ipsius, non habenas audit, sed præceps fertur in barathrum miseriæ.

Currus affectuũ qualis sit?

Prædicamentum relationis.

I. Antithesis. Promittit Deus in lege omnis generis bona, sed ita ut requirat obedientiam, quâ cessante cessat promissio. Maledicti ergò sumus, qui legis conditionem implere non possumus. Sed benedicti sumus in Christo. In hoc Deus promittit nobis omnis generis bona. Atque hæc promissio est Evangelica, requirens fidem. Etsi enim promissio Evangelii per se semper est & manet vera, quia Deus est verax in omne ævum: tamen nisi tu credas huic promissioni, nihil ad te pertinet, nihil tibi prodest. Neque verò fides requiritur tanquam meritum, sed tanquam instrumentum seu medium ex pacto Dei & ordinatione divinâ; quia Deus hoc modo, & non aliter, vult te participem fieri bonorum suorum. Hic unicus modus est, hæc unica via, quâ tibi applicatur promissio Evangelii. *Item:* In oratione Dominicâ non petimus, ut nomen Dei sanctificetur orationibus no-

Promissiones divinæ sunt legales & Evangelicæ.

ſtris, ſed petimus ab eo, ut nomen ejus ſanctificetur in nobis. Non petimus, ut Deus regnum accipiat, quaſi illud non habeat, ſed petimus regnum à Deo advenire nobis promiſſum. Addimus etiam: Fiat voluntas tua, non ut Deus faciat quod vult, ſed ut nos facere poſſimus, quod Deus vult. Ita *Cyprianus* docet. Cum Logicis ita dices: In oratione Dñicâ ſanctitas, regnum, & voluntas Dei, non abſolutè, ſed relativè intelliguntur. *Huc placet adſcribere dictum elegans Lutheri in cap. 17. Geneſ.* Si diſceſſeris, inquit, à Deo relativo, & quæſiveris Deum abſolutum, malè tecum agetur. Nam in prædicamento ſubſtantiæ & quantitatis opprimêris à majeſtate divinâ, juxta dictum Salomonis: Scrutator majeſtatis opprimetur ab eâ. Si autem quæſiveris Deum in prædicamento qualitatis, conſumêris: Quia Deus eſt ignis conſumens, & incolit lucem inacceſſabilem. Maneas igitur apud Deum in prædicamento relationis, hoc eſt, acquieſcas in patefactione divinâ, in verbo, & ſacramentis. *Hæc populariter ſunt dicta à Luthero. Non igitur κατ' ἀκριβολογίαν accipienda, cumprimis cùm addat explicationem. Item:* Paulus ait: Eum qui non novit peccatũ, pro nobis peccatum fecit, ut nos eſſemus juſtitia Dei per eum. *Hoc dictum plenum conſolationis placet explicare vocabulis Logicis.* In priori itaque particulâ peccatũ accipitur abſolutè prout reducitur ad prędicamentũ qualitatis: In poſteriori relativè. *Item:* Paulus ſic monet: Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio ſeu maſſa, ſicut eſtis azymi, ſeu expertes fermenti. At hæc inter ſe pugnare vidētur. Jubet enim Paulus nos expurgare fermentum, & tamen affirmat, nos eſſe expertes fermenti. Petamus declarationem è prædicamentis. Circumferimus fermentum in prædicamento qualitatis: & ſumus expertes fermenti in prædicamento relationis, hoc eſt, imputatione ſumus juſti & ſancti, etiamſi manet in nobis peccatũ reliquũ, quod eſt aſſiduè expurgandum pœnitentiâ, invocatione, & exercitiis aliarum virtutum & motuum ſpiritualium, qui inchoantur in credentibus in hâc vitâ.

Elegans Lutheri dictũ.

2. Cor. 5.

1. Cor. 5.

II. Syncriſis. Juſtitia univerſalis eſt formoſior heſpero & luciſero. Eſt enim honeſta gubernatio morum. Sed talis eſt, ſi ſpectetur in ſe. Eadem collata ad juſtitiam, quæ nobis propter Chriſti meritum & obedientiam imputatur, eſt folium ſi-

lium ficulneum, & σκύβαλον ad solem collatum. Absolutè considerata est decus vitæ humanæ: κατὰ λόγον συγκρίσεως, ut Chrysostomus loquitur, est stercus, & panniculus lacerus. *Item:* Paulus ait: Nihil est qui plantat, nihil est qui rigat: sed Deus, qui dat incrementum. An itaq; ministri verbi Dei nihil agunt? Multum agunt, si absolutè consideres. Sic aliquid est qui plantat, & aliquid est qui rigat. Verùm si plantatio & rigatio, hoc est, omnis illorum labor & diligẽtia, comparetur cum Dei efficacia, nihil est iste labor, nihil est omnis illorum diligentia. *Item:* Apostolus ait: *Lex est inutilis & infirma.* An igitur ideò rejicienda? Non hoc vult Apostolus. Lex est inutilis & infirma ad justificationem, & ad deletionem peccati & mortis. Hanc vim non habet lex. Nec propter hanc causam divinitùs est promulgata, ut nos justificet, deleat peccatum & mortem. Hæc beneficia sunt propria Evangelii. *Item:* Christiani sunt perfecti, & imperfecti. Perfecti sunt respectu partiũ integralium. Habent enim fidem, quâ apprehendunt Christum, & bonam conscientiam, quæ est bonũ propositum obediendi Deo, & non faciendi contra voluntatẽ Dei in vocatione & ærumnis. Si quis igitur habeat duas istas partes, perfectus est in Christo, perfectus est quantitate seu numero partium. Sed Christiani etiam imperfecti sunt, quia non habent summos gradus fidei & aliarũ virtutum. Sunt igitur imperfecti, quia perfectione graduum non sunt prædití. *Conferes eleganter ex hoc prædicamento inter se circumcisionem & Baptismum, Agnum Paschalem & S. Cœnam, Baptismum item ipsum & S. Cœnam: ordines item vitæ humanæ, œconomicum & politicum, œconomicum & scholasticum &c.*

1. Cor. 3.

Hebr. 7.

1. Tim. 1.

III. Conglobatio. Illud demum est justum judicium, in quo & judex, & partes dissidentes suum faciunt officium. Judex instituere debet inquisitionem veritatis & justitiæ secundùm leges, non autem proprium arbitrium, remotis præstigiis sophismatum & sycophantiarum. In partibus litigantibus requiritur reverentia ordinis divini, quâ sese Deo & legibus subjiciunt, & frænant cupiditatem vindictæ, & proprium dolorem. *Huc pertinet amplificatio thematum relativorum ex fundamento, termino, & relatione:* ut, Fides est (a) notitia & assensus in mẽte, &

(a) Fundamentum.

in voluntate fiducia. Eſt, inquam, notitia conjuncta cum aſſenſu, quo amplectimur verbum Dei nobis propoſitum. Sed ſimul eſt fiducia acquieſcens in promiſſione doctrinæ Evangelii. Apprehendit enim (b) Chriſtum, & in apprehenſo acquieſcit. Et quidni acquieſcat in illo? Quando enim (c) homo credens ſibi applicat & adjudicat meritum & ſatisfactionem Chriſti per gratiam Dei, conſcientia emergit è fluctibus & procellis tentantionum. Præclarè igitur veteres dixerunt: Fides eſt virtus apprehenſiva & quietativa. Eſt apprehenſiva; quoniam apprehendit objectum ſuum principale, quod eſt Chriſtus; quod ſequuntur reliqua objecta minùs principalia. Nam Chriſtus eſt veluti centrum. Reliquæ promiſſiones, reliqua bona ſunt veluti circumferentia. Si quis apprehendat centrum, facilè circumferentia ſequitur. Eſt etiam virtus quietativa, propter fiduciam acquieſcentem in Chriſti merito & obedientiâ. *Ita diſſeri poteſt de juſtificatione*; cujus fundamentum eſt meritum Chriſti; terminus, perſona credens; relatio, eſt applicatio fundamenti ad terminum, id eſt, remiſſio peccatorum, & imputatio juſtitiæ Chriſti. *Eodem modo de magiſtratu*; ubi fundamentum eſt perſona à Deo ordinata mediatè, vel immediatè; terminus, ut ſit vox & executor legis divinæ, & aliarum honeſtarum legum in externâ diſciplinâ, ut ſit cuſtos utriusque tabulæ Decalogi, reprimens ac puniens contumaces vi corporali. *Huc refer & illa exempla, in quibus urgentur fines relationum*: ut, Deus ſeverè animadvertit in Davidem adulterum & homicidam. Animadverſio iſta non erat τιμωρία, ſed νουθεσία & παράδειγμα. Τιμωρία reſpicit impios, & eſt πανολεθρία, *deletio univerſalis*, tum in hâc vitâ tum poſt hanc vitam. Sed in Eccleſiâ duo ſunt pœnarum fines. Prior eſt νουθεσία, *commonefactio*, de peccato, & de irâ Dei, & de totâ pœnitentiâ. Alter finis eſt παράδειγμα, *exemplum*, quod prodeſt aliis hominibus. David habebat quidem remiſſionem peccatorum, poſt raptam alterius conjugem & interfectum maritum: ſed tamen pellebatur à filio, & alias calamitates experiebatur. Id non fiebat, ut periret David, ſicut Saul: ſed propter alias cauſas. Primùm ut ipſe David graviter caſtigatus commonefieret de peccato quamvis remiſſo, de irâ Dei adverſus peccatum, de vitandâ,

(b) Terminus.
(c) Relatio.

Circulus perfectiſſimus, cujus centrum eſt Chriſtus.

Pœnarum tres ſunt fines.

vitandâ ſecuritate in poſterum, de diligentiâ vitandi ſcandala, de pœnitentiâ ſeu converſione ad Deum. Atque hic uſus erat privatus, pertinẽs ad perſonam Davidis. Secundus uſus erat publicus, ut nimirum alii intuentes in pœnam Davidis ſic ratiocinarentur: Si Deus non pepercit ſummo regi & prophetæ, de quo antea dixerat: Inveni virum ſecundùm cor meum: quantò minùs nobis parcet, qui ſumus ipſiſſima peccati labes collati ad hunc virum.

Prædicamentum quando.

I. Antitheſis. Deus in extremo judicio creabit novos cœlos, & terram novam. Cogita Deum jam indutum eſſe veſte quotidianâ, ut ita dicamus, ſed in poſtremo mundi die, vel potiùs puncto, ſic renovabit totam creaturam, ut videatur eſſe indutus veſte nuptiali. *Item:* Quid ſunt dies, anni, luſtra, ſecula, & ſimilia temporum intervalla atque ſyſtemata ſi ad æternitatem comparentur? Non ſunt momentum, ſed aliquid minus momento. Non ſunt circuli, ſed puncta & atomi. Eſaiæ 65.

II. Syncriſis. Tempore Julii Cæſaris aliæ erant ſedes æquinoctiorum & ſolſtitiorum, quàm nunc ſunt. Hinc multa deſiderantur in verâ anni quantitate conſtituendâ, de quibus Aſtronomi. *Poſſunt etiam conferri temporum differentia, ut hyems & æſtas, ver & autumnus; item ætates tum inter ſe, tum etiam cum aliis, pueritia & ſenectus, adoleſcentia & ver, ſenectus & hyems. Sic etiam anni Ægyptiorum, Romanorum, Hebræorum conferuntur. Denique tempora priſca cum noſtris: ut, tempus ante diluvium cum hoc noſtro.*

III. Conglobatio. Varia fuit annorum ratio apud varios populos. Hinc mentio fit annorum Ægyptiacorum, Julianorum, Arabicorum, & ſimilium. Aſtronomi quoque varias annorum differentias conſtituerunt. Hinc multa apud illos occurrunt de anno ſidereo, tropico & vero, de communi & biſſexto, de Solari & Lunari. *Item:* Opifices manuarii impendunt negotiis ſuis horas, dies & annos: cultui divino ſi horulam impendere debeant, nauſea obrepit. Quidam noctes dieſque potant; & horis matutinis atque veſpertinis ſi precari jubeantur, præ temulentiâ non poſſunt.

PRÆDICAMENTUM UBI.

I. Antithesis. Tradunt Physici, locum naturalem conservare locatum; violentum destruere. Hoc eleganter ad regnum cœlorum & infernum accommodari potest. Cœlum erit locus piorum, ipsos perficiens & conservans in seculum. Infernus erit locus impiorum, destruens ipsorum corpora & animas, non quidem ita ut non sint, sed ut illis malè sit. *Item:* Non in tabernis vinariis, sed in auditoriis scholarum eruditionem quærent studiosi adolescentes. Non amabunt conventicula hominum otiosorum: sed conversationibus proborum delectabuntur. *Sic opponuntur variæ urbes & regiones.*

II. Syncrisis. Multi contemnunt templa cultui divino quidem dicata, sed non auro, gemmis, picturis, & similibus ad pompam facientibus, exornata. Illi cogitare debebant, templi verum ornatum esse auditorum pietatem. De hoc ornatu, & templo interno sint primo solliciti, tum quærant externum. Alii prorsus nulla templa Deo consecranda esse contendunt, eò quòd ubivis locorum illi sit cultus debitus exhibendus. Sed hi tollunt præceptum Apostoli, qui jubet omnia fieri εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως. Sint igitur templa Deo sacra, sed sacra sint. *Et in hoc quidē exemplo confertur templum internum cum externo. Possunt etiam nostra templa comparari cum Salomonico. Ita scholastica nostra ædificia cum veterum philosophorum scholasteriis conferuntur: item regiones & urbes.*

III. Conglobatio. Regiones ab urbibus, & urbes à variis locis laudari possunt. Hâc de re vide carmen, quo commemorantur urbes Italiæ *in Atlante minori Mercatoris.*

PRÆDICAMENTUM SITUS.

Primū mobile quî moveatur?

I. Antithesis. Primum mobile movetur à sinistrâ versus dextram, id est, ab ortu in occasum. Secunda mobilia moventur à dextrâ versus sinistram, id est, ab occasu ad ortum.

II. Syncrisis. Gestus pertinent ad hoc prædicamentum. Hinc talis est syncrisis. Quò quisque est quietior in gestu corporis, eò etiam magis animus videtur apud se habitare.

Cùm ge-

Cùm gestus sunt affectati, etiam natura est simulatrix & affectatrix. Non igitur malè faciunt, qui similitudinem ingeniorum è gestibus colligunt. Juliani apostatæ & Constantini Magni gestus fuerunt dissimillimi. Et ingenia fuerunt dissimillima.

III. Conglobatio. Astronomi ad Austrum seu Meridiem convertunt faciem, propter imagines stellarum, quæ ibi sunt conspectiores. Geographi ad Septentrionem, propter exaltationem seu elevationem poli. Poëtæ ad occidentem, propter insulas fortunatas, ubi fabulantur esse campum Elysium. Sacerdotes V. T. & augures gentilium oculos verterunt ad Orientẽ. Veteres Christiani non Astronomos, non Geographos, non poëtas imitari voluerunt in extruendis templis, sed sacerdotes V. T. ideoq; Chorum, uti vocant, in quo collocarunt summum altare, voluerunt spectare ad ortum, propter memoriam resurrectionis Christi, qui verè est Sol justitiæ oriens ex alto. Hanc ipsorum rationem admitto, sed in altaris erectione quid desiderem, facilè colligent ii, qui Missæ sacrificium ex animo detestantur.

Dextrum & sinistrum multis modis consideratur in mundo.

Prædicamentum Habitus.

I. Antithesis. Ineptiunt mirum in modum studiosi, peregrino habitu, sibique minimè conveniente superbientes. Nautis, militibus, senatoribus Venetis, pastoribus, & similibus benè convenit habitus à majoribus acceptus. At studiosi à singulis mutuantur aliquid in suo vestitu. Videris de hoc cacoëthe in *systemat. nostro mnemon. Eodem modo taxantur Germani, simii illi aliarum nationum in habitu.*

II. Syncrisis. Militum veterum arma & habitus eleganter componuntur cum hujus ævi habitu militari. Sic vestes summi sacerdotis explicari possunt allegoricè.

III. Conglobatio. Illustre exemplum sumemus ex Eph. 6. Miles Christianus habebit tegumenta, munimenta & tela. Tegumenta ipsius erunt thorax, cingulum & calcei. Munimenta seu φυλακτήρια, *arma defensionis,* erunt, clypeus & galea. Tela seu ἀμυντήρια, *arma offensionis,* erũt, gladius, & hasta. Thorax est justitia fidei seu personę, & bonę cõscientiæ. Cingulũ, est agnitio veræ doctrinæ. Calcei sunt Evange-

lii professio. Clypeus est fides. Galea est spes vitæ æternæ. Gladius est verbum. Hasta est precatio. Hæc est *πανοπλία*, *universa armatura*, militis Christiani. *Homerus 3. Iliad. eodem modo describit μονομαχίαν Menelai & Paridis.* Primò ibi est thorax, tum cingulum, dehinc calcei seu ocreæ, postea galea & clypeus, postremò gladius & hasta. *Multi volunt, Paulum allusisse ad illam Homericam armaturam.*

Cap. 30. Usus doctrinæ de definitione.

IN applicatione argumentosâ sequitur argumentum complexum, cujus usum tergeminum itidem trademus. Sunt autem argumenta complexa duo, definitio & distributio. Hîc de definitione.

I. Usus declarationis.

I. Termini simplices hîc non sunt, sed complexi, at non axiomaticè: ut,

Definitio.	*Definitum.*
Animal rationale.	Homo.
Corpus animatum, sentiens.	Animal.
Doctrina ad salutem perveniendi.	Theologia.
Ars tradens modum benè disserendi.	Logica.

II. Axiomata ex definito & definitione sic disponuntur, ut prædicatum sit compositum:

Homo, est animal rationale.
Animal, est corpus animatum, sentiens.
Theologia, est doctrina ad salutem perveniendi.
Logica, est ars tradens modum benè disserendi.

Definitionum amplitudo.

III. Definitiones extrui possunt ex omnibus argumentis consentaneis, dissentaneis & comparatis. e. g.

Ex causis: Consolatio est fiducia remissionis peccatorum.
Dolor est solutio continui.

Ira est

Ira est fervor sanguinis circa cor.
Eclipsis Lunæ est interpositio terræ diametralis inter solem & lunam.

Ex effectis: Religio pura & incontaminata apud Deum Patrem, hęc est, invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum sese servare à mundo. *Jacob.1.vers.27.*
Fides est illud, quo extant quæ sperantur, & quæ demonstrat quæ non cernuntur. *Hebr.11. vers.1.*
Zeno est, à quo disciplina Stoicorum habet originem.

Ex subjecto: Theologia est rerum divinarum sapientia.
Physica est rerum naturalium scientia.

E subjecto loco: Thus arbor in Arabiâ crescit, immensa & ramosa.

Ex adjuncto: Animal hoc est providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem. *Cic. de leg.*
Sic ex propriis & effectis describitur Deus, *Exod.34.*

Ex relatis: Tutor est qui habet pupillum.
Pupillus est qui tutorem habet.

Ex contrariis: Amicitia mundi est inimicitia adversus Deum. *Jacob.4.vers.4.*
Peccatum est destructio imaginis Dei, seu est imago Diaboli opposita imagini Dei.

E similibus: Senectus est hyems vitæ:
Pueritia est ver vitæ.
Ecclesia est arca Noë.
Sol est oculus mundi.
Lex est anima civitatis.

Possunt etiam ex ortis peti definitiones, ut è partibus conglobatis: ut, Jus civile Romanum, est quod legibus, Senatusconsulto, rebus judicatis, Jurisperitorum authoritate, edictis magistratuum, more deniq; & æqualitate constat.

Boëtius in tractatu de definitione enumerat decem formas seu modos definitionis, Tholosanus quatuordecim: de

quibus vide theatrum nostrum *sect.1.gymn.Logic.c.8.pag.87.* Huc referes Dei, personarum, montium, plantarum, fluminum, animalium, metallorum, urbium, arcium, ædificiorum &c. descriptiones; item periphrasin, hypotyposin, & prosopographias.

II. Usus demonstrationis.

Usus demonstrationis hujus topici est simplex, & facilis; Nempe ad probandam quæstionem accommodatissimum argumentum erit definitio subjecti aut prædicati, idq; tam ad affirmandum quàm ad negandum. *Ratione subjecti sic argumentaberis:* Quod convenit vel non convenit definitioni, convenit etiam vel non convenit definito: ut, Continens non est temperans. Q. continens est, qui cupiditates luctantes ratione comprimit. Homo est imago Dei. Q. est animal rationale. *Ratione prædicati sic argumentabere:* Cui convenit vel non convenit definitio, ei convenit vel non convenit definitum: ut, Logica est ars. Quia est habitus poëticus.

III. Usus amplificationis.

Μετάβασις εἰς ἄλλο γένος sæpè cōmissa à Pontificiis.

I. Antithesis instituitur tribus modis. 1. Unius ejusdemq; rei duæ definitiones, quarum una sit vera, altera falsa, opponuntur: ut, Erratis, Pontificii, & toto cœlo erratis, quando res primarias, concernentes negotium salutis nostræ, quas solùm ex SS. literis discere debemus, ex philosophicis principiis docetis, & alios discere jubetis. Dicitis ex philosophiâ: Justificatio est effectio sanctitatis habitualis in homine, seu infusio virtutum, ob quas homo dignus censetur vitâ æternâ. Sed attendite, quomodo ex sacrâ Scripturâ sit disserendum hâc de re. Justificatio est gratiosa justitiæ Christi per fidem imputatio, eoque hominis coram Deo absolutio. Vos de justitiâ inhærente cum philosophis sentite, quando ita vultis. Nos de justitiâ imputationis cum sacrâ Scripturâ loquemur. *Item:* Sicut sacerdotes exprobrabant Prophetis, Templū Domini, Templum Domini, Templum Domini: sic Pontificii nobis objiciunt, Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia Catholica. Videamus ergò an illi sint Ecclesia Dei. Ecclesia Dei est cœtus, in quo vera & sincera verbi Dei

bi Dei prædicatio, & legitima ſacramentorum adminiſtratio locum habet. Quid verò horum in Eccleſiâ Romanâ? Illa eſt cœtus, in quo verbum Dei & ſacramenta ſubjiciuntur arbitrio Pontificis, & variis traditionibus corrumpuntur. Si quid intelligitis, auditores, multum autem vos intelligere in hâc causâ ſcio, juxta mecum judicabitis, Eccleſiam Romanam non Dei, ſed Antichriſti illius magni cœtum eſſe. *Hujus loci ſunt falſæ illæ Pontificiorum Doctorum definitiones peccati, liberi arbitrii, fidei, & præcipuorum locorum religionis Chriſtianæ. 2. Duorum contrariorum definitiones opponuntur :* ut, Quanquam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ullus homo cogitatione comprehendit gloriam electorum poſt hanc vitam: tamen quia Spiritus ſanctus aliquid in ſacris literis nobis hâc de re revelavit, videamus quid ſit vita æterna? Vita æterna eſt vita gloriæ, quâ anima corpori ſuo adjuncta, Deo fruitur in æternum, evecta ad ſummum gloriæ & gaudii gradum. Paucis hîc complexus ſum multa, quæ illuſtriora evadent, ſi quid ſit mors æterna indicaverimus. Mors æterna eſt ineffabilis ignominia & dolor reproborum, qui ſeparati à Deo, ſummo illo bono, tum animâ tum corpore æternis pœnis juſtiſſimè addicuntur. Uno verbo: Vita æterna eſt regnum Dei, in quo nihil deſiderabitur quod non poſſit inveniri. Mors æterna eſt regnum Diaboli, in quo nihil invenietur, quod deſiderabitur. *Item :* Sacra Cœna eſt alterum novi teſtamenti Sacramentum, quo Eccleſia Chriſti inſtituitur per legitimum panis & vini ſignorum viſibilium uſum, de verâ & ſpirituali communicatione corporis & ſanguinis Chriſti pro nobis oblati in cruce ad vitam æternam. Miſſa quid eſt? Eſt externum & propriè dictum ſacrificium, in quo Chriſtus per ſacerdotem Deo Patri hoſtia pro peccatis mortuorum & viventium incruento modo immolatur, ſub ſpeciebus panis & vini. O audaces, ô blaſphemi Pontificii! Unde habetis impias iſtas phraſes, quas modò recitavi ex ore veſtro? Porrò unde habetis blaſphemam iſtam formulam: creaturam, videlicet ſacerdotem, poſſe creare ſuum creatorem? Unde didiciſtis, Chriſti ſacrificium in cruce ſemel oblatum non eſſe ſatis

Definitio κατ' ἀφαίρεσιν τ̃ ἐναντίȣ quid sit?

sufficiens? 3. *Definitio κατ' ἀφαίρεσιν τ̃ ἐναντίȣ, per remotionem contrarii, ut in scholis loquuntur, huc referri debet: ut, Psalm. 1. definitur pius:* Beatus ille vir, qui non abiit &c. *Tum subjicitur θέσις:* Sed in lege Domini &c. *Hæc est vera veræ Ecclesiæ definitio.* quasi dicat, Ille cœtus est vera Ecclesia, qui non amplectitur pravas opiniones impiorum, nec habet malam conscientiam, nec est Epicuréus: sed meditatur in lege Dei &c. *Tales sunt multæ definitiones Rhetoricæ.*

II. Syncrisis. Modi duo sunt. 1. Duo disparata definiuntur παραλλήλως: ut, Magnâ laude digni sunt, qui philosophiam laude dignam esse docēt. Est enim philosophia comprehensio scientiarum, prudentiarū & artium, quibus vita contemplativa, activa & factiva formatur atq; dirigitur. Sed qui laudem Theologię propriam transcribunt philosophię, malè faciunt. Illi enim lumen statuunt post laternam, & Hagarem Saræ præferunt. Theologia namque sola est sapientia supernaturalis, docens modum perveniendi ad salutem. Nō igitur cum Apulejo dices: Philosophia est virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, divinarum particeps rerum: sed sacrosanctæ Theologiæ hæc tanta tribues, secutus sanctos Dei homines. 2. *Una eademq; definitio applicatur duobus specie non differentibus, quæ alii specie differre contendunt:* ut, Nescio profectò risúne an commiseratione digni sint nonnulli philosophastri, qui mulieres negant esse homines. Hominem esse animal rationale tradidit Academia, docuit Peripatus, asseruit Stoa. Quis verò rationis compos, mulieres rationis impotes dicet? Id qui facit, mulierem vel angelum bonum, vel diabolum, vel bestiam, vel inanimatum quid dicere necesse habet. Non enim Deum dicere audebit. Proinde se, vel filium sive angeli boni sive Diaboli, vel bestiam, vel inanimatum & stupidum corpus dicet, vel certè monstrum.

III. Conglobatio. Modi illius quinque sunt. 1. Descriptio primùm semiplena proponitur, tùm plena subjungitur: ut, Gentiles philosophi admodum laborarunt & enixè quæsiverunt quid esset Deus. Dixerunt; Deus est summum bonum, primum ens, justus, pius, felix, quietus, moderator, pater, rex, dominus, retributor, ordinator, principium, medium

Vide Scal. exerc. 365. sect. 2.

dium

dium & finis, ſempiternus, conditor, vivificator, largitor, proſpector, opifex, providentia, beneficus, ſolus omnia omnibus. Hermes ille Ter Maximus dixit: Deus eſt circulus, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam. Alii aliis modis ſuam de Deo religionem explicarunt, nec malè, imperfectè tamen. Lumen ſiquidem naturæ hìc non ſufficit. Revelatio ſuperveniat oportet. Revelavit autem ſe Deus in verbo ſuo, quòd ſit eſſentia ſpiritualis, æterna, alia à creaturis omnibus, intelligens, verax, bona, juſta, caſta, benefica, miſericors, liberrima, immenſæ ſapientiæ & potentiæ, iraſcens peccatis: Pater æternus, qui Filium imaginem ſuam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus ſanctus, procedens à Patre & Filio, ſicut patefacta eſt divinitas certo verbo & teſtimoniis divinis: Quòd Pater æternus cum Filio & Spiritu ſancto condiderit cœlum & terram, & omnes creaturas, & adſit omnibus creaturis, quoad conſervationem: & colligat ſibi in genere humano Eccleſiam propter Filium & per eum, & ſit judex juſtorum & injuſtorum. *Atque hoc quidem eſt θεοῦ γνωστὸν, ἀκατάληπτον ſuum ipſe ſolus capit. 2. Rei alicujus deſcriptio nudè proponitur:* ut, Hiſtoria eſt teſtis temporum, vita memoriæ, nuncia vetuſtatis, vates & lux veritatis, metropolis philoſophiæ, anima Theologiæ. *Item:* Pater eſt prima perſona deitatis, non nata, nec aliunde procedens, ſed quæ ab æterno genuit Filium imaginem ſuam, & à quâ procedit Spiritus ſanctus, & quæ cum Filio & Spiritu ſancto, omnes alias res creavit & conſervat. *Hujuſcemodi definitiones ponuntur in tractatione, & tum per partes explicantur. Sic:* Filius Dei eſt ſecunda perſona deitatis, quæ eſt ſubſtantialis imago æterni Patris, quam Pater ſeſe intuens ab æterno gignit, quæ nobis ſic manifeſtata eſt, quòd ſit perſona, per quam Pater dicit decretum, & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & mittitur ut patefaciat Evangelium, & aſſumat humanam naturam, & ſit Mediator, Redemtor, Juſtificator & Salvator. *Item:* Spiritus ſanctus eſt tertia perſona deitatis, procedens à Patre & Filio: & eſt ſubſtantialis amor & lætitia coæterna inter Patrem & Filium: & nobis ſic manifeſtata eſt, quòd mitta-

tur in corda credentium, ut tales motus, amorem & lætitiam acquiescentem in Deo accendat, qualis est ipse. Hîc non possum præterire elegans dictum Basilii: Pater est causa creationis & omnium operum, tum naturæ tum gratiæ προκαταρκτικὴ, *princeps, seu inchoans*; Filius est causa δημιουργικὴ, *fabricans*; Spiritus sanctus τελειωτικὴ, *perficiens, seu consummans*. Huc refer descriptionem sævitiæ Chaldæorum *2.Reg.25.vers.8.* idolorum, *Psalm.115. vers.4.5.6.7.* Presbyteri *Tit.1.vers.6.* Episcopi *Tit.1.v.7.* Diaconorum *1.Tim.3. vers.8.9.* Pseudoprophetarum *Matth.7. vers.15. 2.Pet.2.v.1.* Themistoclis *lib.1.Thucyd.* Cyri junioris apud *Xenoph.lib.1.* ἀναβάσεως. 3. *Definitio ponitur primo loco, definitum secundo. Tum accommodatur definitio certo individuo, vel certæ speciei*: ut, Qui usum utriusque gladii sibi arrogat; qui præ se fert se esse Deum; qui sibi omnipotentiam quandam adscribit; qui supra Deum se extollit; qui exlex esse cupit; qui majestates & reges terræ pedibus conculcat; qui est apostata & author apostasiæ universalis; qui est idololatra, blasphemus, hæreticus, hypocrita, avarus & simonaicus; qui sedet inter septem montes; qui est cœlebs, & interim impurissimus scortator; cum quo denique scortantur reges terræ; hunc ego non solùm Antichristum, sed magnum illum Antichristum, secutus filum sacrarum literarum dixero. Percurrite jam mecum, auditores, totius mundi angulos. Orientem primò adeamus. Fuerunt hîc eheu fuerunt, & utinam fuissent tantùm, & non hodie quoque essent, fuerunt, inquam, Arius, Mahomed, Eutyches, & similia portenta. Certè fuerunt Antichristi. Nemo negat. Sed magnus Antichristus ex illis nemo fuit. Nam quæ universa debent esse in Antichristo magno, in illis fuerunt singula. Nunc, si placet, perlustremus occidentem. Hîc occurrit immanis illa bellua, meretrix Babylonica, Papa. Papæ! Papa. Hic jactitat se esse Deum terrestrem, se posse statuere contra sancta Evangelia, se habere in scrinio suo omnia jura divina & humana, se posse aliquot hominũ millia detrudere in infernum, ita ut nemo possit illi dicere, Quare hoc facis? se posse omnes judicare, nec à quoquam judicari. O cœlum! ô terra! Cur huic homini suppeditatis ea, quæ ad vitam transigendam sunt necessaria? O Christiani,

stiani, quin accingitis vos ad istam meretricem de regiâ deturbandam? O theologi! Cur quidam vestrûm negant, hunc esse Antichristum illum magnum? 4. *Virtutes & vitia picturis quasi exprimuntur. Talis est pictura calumniæ, authore Apelle, qui à quodam æmulo pictore Antiphilo circumventus calumniâ, in carcerem fuit conjectus, jussu regis Ptolomæi, & liberatus sic depinxit calumniam in tabulâ, ut est apud Lucianum in declamatione de calumniâ :* Rex quidam habens longas auriculas, quales dicuntur esse Midæ in fabulis, sedet in throno suo regio exercens judicia. Huic fatuo regi adstant duo præcipui consiliarii, *ignorantia & suspicio.* Hi regunt consiliis suis Midam illum, qui habet aures patulas ad omnis generis fabellas & rumusculos. *Calumnia* est lictor seu apparitor, adducens ad regem istum juvenem innocentem, qui manus suas ad cœlum elevat, & testificatur de suâ innocentiâ, & provocat ad omnia virorum bonorum testimonia, & Deum implorat vindicem innocentiæ suæ. Calumniæ comites sunt *insidiæ, doli, & fraudes.* Tandem sequitur *pœnitentia,* habens comitem *veritatem. Multa in hâc picturâ sunt dignissima consideratione. 5. Copiosæ hypotyposes adducuntur: ut, infanticidium Herodis sic amplificari potest:* Considerate, quæso, quàm miserum fuerit hîc spectaculum. Carnifices irruebant in ædes: infantes è cunis eripiebant, à mamillis & sinu matrum avellebant, cursitantes & lusitantes in unum cogebant, subridentes austero vultu, verbisque duris terrebant: è cunis ereptos, à mamillis & sinu avulsos, coactos in unum, sicarii isti nefarii mactabant, adspectantibus parentibus. Hîc vidisses parentes propemodum exanimatos. Hîc audivisses vagitum miserabilem. O sævitiam, O crudelitatem! Non illos carnifices deterrere potuit flagitii atrocitas, non vagitus infantum, non mœstissimorum parentum preces, lacrymæ & suspiria, non misericordia, quam Deus hominibus erga hâc ætatem tenellam insevit, quin manus suas in sanguine innoxio horum puerorum lavarent. Sed quis enumeret puerorum clamores, parentum gemitus, cognatorum dolores? *Item: Excidium Hierosolymitanũ sic describi potest:* Diripiebatur eâ tempestate Davidis arx; templũ Salomonis conflagrabat; tota urbs solo æquata. Effusi per vias milites cõtruci-

Pictura calumniæ.

dabāt ſine diſcrimine obvios quosque; undiq; gladiorū fulgor oculos perſtringebat; puerorum ejulatibus, mulierum prægnantium gemitibus, clamoribus decertantium omnia circumſonabant &c. *Item: Conſtantia matris & filiorum 2. Mac. 7. ſic deſcribi poteſt:* Mater illa magnanima hinc gaudio, hinc mœrore afficiebatur. Nam filiorū fortitudine delectabatur, ſed tormentorū magnitudine cruciabatur. Interim filios ſuos adhortabatur, obſecrabat, adjuvabat, nihil deniq; non faciebat, quod ad filios animandos & ad victoriam inſtructiores reddēdos ſpectare putabat. Hunc parabat ad ſupplicium, illum in ſupplicio cōſolabatur: omnibus hunc in modum acclamabat: Euge filii mei! Euge milites ſtrenui! Euge legis, canę ſenectutis meæ, & civitatis, quę vos aluit, quę vos ad eam virtutis magnitudinē evexit, antiſtites atq; patroni! Paululum adhuc, & vicimus. Paululū adhuc, & gloriæ corona capitibus noſtris imponetur. Paululū adhuc, & ego inter mulieres beata, & vos inter adoleſcentes beati. His & aliis multis verbis mater mœſta dicā an læta filios ſuos animabat & armabat. *Item: Sentētia hæc, Diabolus circumit tanquā leo rugiens, quærens quē devoret, ſic amplificari poteſt:* Chariſſimi fratres, abyſſi de quâ in Apocalypſi, fauces apertæ ſunt, ſolutus eſt Satan unà cum ſatellitibus ſuis, & flāmas infernales in hunc mundū & in corda hominū evomunt. Audite illorum ſpirituū immundorū voces. Parū reſtat, inquiunt, temporis. Ideò in hoc incumbamus, ut quàmplurimos miſeriæ noſtræ ſocios habeamus, & ita noſtram infelicitatē ſolemur. Videte ipſos hinc inde circumvolitantes in aëre, & domicilium ſibi figentes in cordibus avarorum, ſuperborum, Epicureorum, ebrioſorum, libidinoſorum. Conſiderate etiā ipſosmet Dei filios. Hos etiam aggreditur immanis iſte leo. Non quidem illos dilaniat (nam id non poteſt) rugitu tamen ſuo ſæpe terret, quò minùs currāt alacriter in ſtadio ſuo. O itaq; magnū periculum, in quo verſamur! O noſtram ſocordiam & ſecuritatē, quâ fit ut non pugnemus, quia nobis perſuademus, hoſtē, qui cum nobis res eſt, non eſſe adeò ſævum! Aliter nos docet hoc loco Petrus. Hoc dicto nos excitemus tanquā claſſico ad fortiter pugnandū, & conculcabimus huic ſerpēti caput cū Chriſto Servatore noſtro. *Itē:* In ultimo judicio Deus ſiſtet electos ad dextrā, reprobos ad ſiniſtrā. Electos ſic alloquetur:

quetur: Adeste oves & filii mei. Vos in hâc vitâ oblectastis corda vestra verbi mei meditatione, linguâ me laudastis, oculis majestatē meā in mundo expressam perlustrastis. Nūc corda vestra lætitiâ ineffabili perfundentur. Nunc linguis vestris me laudabitis unà cum Angelis. Nunc oculis vestris videbitis gloriā regni mei. At vos impii corda vestra Diabolo mancipastis, linguis vestris me & meos filios calumniati estis, oculis vestris vanitatem seculi contemplati estis, pedes ad malum festinare, manus ad cædem properare fecistis. Nunc corda vestra opplebuntur igne ardentissimo, linguæ vestræ in omne ævum edent ejulatum miserrimum, oculi vestri adspicient tenebras densissimas &ç. *Vide similem hypotyposin Matth. 25.*

Cap. 31. Usus doctrinæ de distributione.

I. Usus declarationis.

I. T*Ermini hoc loco sunt distributio & distributum:*

Distributio in membra.	*Distributum, integrum.*
Tractatio de { Deo. / Actionibus Dei. }	Theologia.
Cultus { Agrorum / Arborum / Pecoris / Apum }	Opus Georgicon Vergilii.
Disputatio an senectus { Avocet à rebus gerendis? / Corpus faciat infirmum? / Privet voluptatibus? / Procul absit à morte }	Dialogus Ciceronis de senectute.

Distributio in species.	*Distributum, genus.*
Pellucidum, opacum.	Elementum.
Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia.	Virtus.
Homo, bestia.	Animal.
Distributio è subjectis.	*Distributum adjunctum.*
Pater, Mater, Virgo	Virginitas.
Numerus & magnitudo.	Mathesis.
Aspectabibia, Audibilia, Odorabilia, Gustabilia, Tactilia	Sensus quinque externi.
Distributio ex adjunctis.	*Distributum, subjectum.*
Sanus, æger.	Homo.
Frigida, Temperata, Calida.	Zona.

II. Hinc axiomata varia:

1. E toto & partibus distribuentibus.

Theologiæ partes duæ sunt, prima est de Deo, secunda de actionibus Dei.

Homo integratur corpore & anima.

2. E genere & speciebus.

Elementum est pellucidum, vel opacum.

Animal est homo aut bestia.

3. Ex adjuncto diviso & subjectis dividentibus:

Virginitas Juliæ partim est patris, partim matris, partim ipsius virginis.

Mathesis occupatur in numero & magnitudine.

4. Ex subjecto distributo & adjunctis distribuentibus:

Hominum alii sunt sani, alii ægri.

Zona est frigida, temperata, vel calida.

III. Notæ distributionis, sunt *1. Nomina ista:* partes, membra, species, genera; item voces *alter* & *alii* repetitæ. *2. Verba:* Partiri, distribuere, dispescere, herciscere, dividere, distribui, dividi. *3. Phrases:* Contineri tot vel tot partibus, comprehendi tot partibus, versari inter tot partes, com-

tes, complecti hoc vel illud. 4. *Adverbia:* Partim, hinc illinc, hâc illâc, tum tum, nunc nunc, primò post. 5. *Conjunctiones*; & &, vel, aut. 6. *Interrogationes:* Quot sunt partes, quotuplex est, quot sunt species, quot modi, quæ genera? 7. *Disjunctio particularum:* non solùm sed etiam.

IV. Huc referunt translationem sive revocationem theseωs ad hypothesin, & hypothesis ad thesin: ut, Omnis fidelis in Christo est perfectus. Hoc sibi applicare debet quilibet fidelis. Rursus: Abraham fuit perfectus in Christo. Hoc itidem sibi applicabit fidelis, transferendo hypothesin ad thesin, & thesin sibi accommodando. Est autem thesis hoc loco axioma generale, hypothesis singulare seu proprium: Sed nos de tali revocatione suprà egimus ad locum de genere & specie.

Et sic ostendimus usum declarationis per singula loca inventionis. Ubi illud singulariter observandum est, rem quamvis posse cujusvis argumenti (si prædicamenta excipias) speciem præ se ferre, pro diversitate rerum, quibuscum confertur. Sic Dido Æneam per singulos fermè locos hosce deducit, dum

Res quævis potest cujusvis argumenti rationem suscipere & veluti togã induere.

Multa viri virtus animo, multusq; recursat
Gentis honos ——————— ———————

Modò enim Æneam ut effectum considerat, dum illum confert cum Anchise & Venere:

Hicne, inquit, *ille Æneas quem Dardanio Anchise*
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam? Et;
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.

Ubi etiam ipsum considerat tanquam adjunctum, dum locum nativitatis exprimit.

Aliâs ut causam: ut,

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?
Quem sese ore ferens. Et paulò pòst:
——————— *Quæ bella exhausta canebat?*

Nunc ut subjectum, cui varia adjuncta adjacent: ut,

Os humerosq; Deo similis. Namq; ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenq; juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Ubi etiam est simile in primo hemistichio.

Modò ipsum parem facit Apollini: ut,

Ipse jugis Cynthi graditur, molliq; fluentem
Fronde premit, crinem fingens, atq; implicat auro.
Tela sonant humeris: haud illo segnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.

Aliâs ut dissimile:

Degeneres animos timor arguit: heu quibus ille
Jactatus fatis!

Modò ut conjugatum, ubi & notatio:

Æneadasq; meo nomen de nomine fingam.

Aliâs ut res testata:

Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Hoc testimonium orator Ilioneus in templo Carthaginensi tulit de duce suo.

Sic Logica potest conferri variis modis:

Logica confertur cum	tanquam	cum
Inventoribus	Effectum	Efficiente
Præceptis	Materiatum	Materiâ
Modo disserendi	Formatū vel finitum	Formâ vel fine
Animo	Adjunctum receptum	Subjecto recipiente
Instrumentis suis, itē ente & non-ente	Adjunctum occupatū	Subjecto occupante.
Rhetoricâ	Disparatum	Disparato.
Ἀλογίᾳ	Contrarium	Contrario.
Sole	Simile	Simili.
Λόγῳ	Nomen	Notatione
Logico	Conjugatū	Conjugato
Libro	Substantiâ	Substantiâ
Mente	Habitus	Substantiâ
Arte benè disserendi	Definitum	Definitione
Partibus	Distributum	Distributione

II. Usus demonstrationis.

I. Affirmatis vel negatis partib. distribuentibus, affirmatur vel negatur totū distributum, & contrà: ut, Docet legem & Evan-

& Evangelium. E. est Theologus. *Et*, Ille neq; legem neq; Evangelium docere potest. E. nec est Theologus. *Et rursus:* Ille est Theologus. E. potest docere legem & Evangelium. *Denique:* Ille non est Theologus. E. nec docere potest legem & Evangelium. Sic: Ille neq; numeros, neq; magnitudines tractat. E. non est Mathematicus. *Item:* Pompejus est præditus & rei militaris scientiâ, & virtute, & authoritate & felicitate. E. est bonus Imperator. Sic: Ille tenet Etymologiam & Syntaxin. E. est Grammaticus. *Item:* Hæc res neq; est homo, neq; bestia. E. nec est animal. Et: Est animal. Ergò est vel homo, vel bestia. Si hæc res est considerationis Theologicæ, pertinet vel ad doctrinam de Deo, vel ad doctrinam de Dei actionibus.


III. Usus amplificationis.

I. Antithesis. Septem numeratis Sacramenta, Pontificis Romani subditi. At Christus duo duntaxat instituit. Novum Testamentum meminit Baptismi & Sacræ Cœnæ. Altum ibi silentium de Sacramento Pœnitentiæ, de Sacramento extremæ unctionis, de Sacramento ordinationis, de Sacramento Matrimonii, de Sacramento Confirmationis. Jam videte Christiani, annon διὰ πασῶν distent doctrina Christi & Papæ de numero Sacramentorum Novi Testamenti. *Item:* Disputant Rhetores, & magno conatu disputant istam quæstionem, Quot sint partes Rhetoricæ. Bona pars illorum quinque constituunt, Inventionem, Dispositionem, Elocutionem seu Exornationem, Memoriam & Actionem. Alii solùm duas illius partes genuinas agnoscunt, Elocutionem & Actionem. Ego accedo sententiæ posteriori, & cum magno illo subtilitatum magistro Julio Scaligero, Rhetoricam ab Oratoriâ distinguendam esse censeo, ita quidem ut Rhetorica orationi solùm apponat ornatum, qui sit tum elocutionis, tum actionis; Oratoria verò insuper inveniat, disponat, omninoque utatur instrumentis Rhetoricis & Dialecticis.

II. Syncrisis. Sunt qui faciunt duas Theologiæ partes, quarum prima sit de Deo, altera de Dei operibus. Alii dicunt, eam docere partim de fide, partim de fidei actionibus. Aliis probatur distributio illius in Legem & Evangelium. Aliis aliud videtur. Ego in varietate istâ sententiarum nec

varius sum, sed tamen varius. Non varius; quippe qui certi aliquid statuo. Varius; utpote qui omnes istas approbo. Cùm enim inter se conciliari possint, iniquum est pugnam inter illas statuere. Interim hoc ajo, quendã inter illas principatum esse, qui cui debeatur, judicium penes lectorem esto. *Hujusmodi syncrises multæ sunt in re Geographicâ, ubi divisiones terrarum à recentioribus traditæ sunt præferendæ iis quæ apud veteres occurrunt*. e.g. Veteres sic dividebant Germaniam:

DivisioGermaniæ.



At divisio hodie tradita est accuratior. Vide titulo sequenti. Sic Africa dividitur aliter secundùm veteres Romanos, aliter secundùm doctrinam Ptolomæi, aliter secundùm recentiores Geographos.

III. Conglobatio hîc dominatur. Vide 1. Cor. 15. v. 10. Eph 4. v. 11.

4.v.11. *Sic Romano-Germanici Imperii magnificentia depingitur ex hoc loco hunc in modũ:* Imperium Romano-Germanicum in tres ordines sive status dividitur. Princeps omnium & caput est Imperator. Hunc sequuntur Superillustres, videl. Electores, & Illustres, reliqui nimirum Duces, Landgravii, Marchiones, Principes, Comites, Barones, Domini. Tertius status est civitatum liberarum, quarũ numerantur LXXXIV. Universum autem regionum & provinciarũ omnium, quas complexu suo Imperiũ ambit, systema in certos circulos resolvitur. Illorum sunt decem. Primo continetur Franconia: Secundo Noricũ & Bavaria: Tertio Austria & Tirolis: Quarto Alsatia cum Ducibus Lotharingiæ & Sabaudiæ: Quinto Suevia, Würteburgum & districtus illius civitates liberæ. Sexto Palatinatus Rheni, cum Electorib. Ecclesiasticis. Septimo Westphalia cum Frisiâ Orientali, Juliâ, Cliviâ & Waldecco. Octavo Saxonia superior, Misnia, Lusatia, Marchia Brãdenburgica, Pomerania, Anhaltini, Dantiscum. Nono Saxonia inferior, Magdeburgum, Brunsvvicum, Brema, Mechelburgia, Luneburgum, Holsatia, & propter eam Rex Daniæ, Lubecum, Hamburga. Decimo Burgundia superior. *Eodem modo aliæ regiones describi possunt. Sic & urbes. v. g. Roma.* Quàm magnifica & excelsa fuerit prisca illa Roma, auditores, paulò penitiùs perpendamus. Septẽ ostentabat montes, Tarpejum sive Capitolinum, Quirinalem, Palatinũ, Aventinum, Vimineum, Exquilias, & Cœlium. Eadem Ciceronis ætate in XXXV. tribus dividebatur; quarum nomina erant, Æmylia, Aniensis, Arniensis, Claudia, Crustumina, Collina, Cornelia, Exquilina, Fabia, Falerina, Galeria, Lemonia, Mæcia, Mentina, Oufentina, Palatina, Papiria, Papia, Poblilia, Pollia, Popilia, Pomptina, Pupinia, Quirina, Romilia, Sabatina, Scaptia, Sergia, Stellatina, Suburana, Terentina, Tromentina, Velina, Voltinia, Vejentina. Jam nihil dico de quinque classibus, in quas urbs fuit divisa; prætereo ordines civium. Si nihil ampliùs dico, quàm quod de septem montibus & 35. tribubus modò attigi, causa dicta est. *Atque hæc quidem distributionis ratio in Geographicis & historicis est præstabilis. In commendatione personarum utimur distributione subjecti in accidentia:* ut, Quatuor sunt ornamenta & adjacentia summi Imperatoris, scientia

Imperii Romano-Germanici partitio.

Roma quomodo primitùs divisa?

rei militaris, virtus, authoritas, & felicitas, ut author est *Cicero pro lege Maniliâ.* At hæc quatuor insunt Mauritio Imperatori isti Belgico. Nemo enim illo (absit invidia dictis) est rei militaris peritior. &c. *Hæ partes jam evolvendæ sunt pluribus. Talia sunt accidentia Episcopi 1. Timoth. 1. Cùm author aliquis est explicandus & textus S. Scripturæ resolvendus, distributio integri in membra habet locum. Aliquando generale aliquod primo loco positum in partes dividitur: ut*, Videte & gustate quàm suavis sit Dominus. Videte quanta sit suavitas & gratia illius, qui omnes homines vult salvos fieri, divites & pauperes, doctos & indoctos, Judæos & Gentes, magistratus & subditos, nobiles & ignobiles. Quid plura? Omnes homines. Gustate quàm suavis sit ille, qui & verbo & Sacramentis pascit animas nostras ad vitam æternam. *Sunt etiam distributiones metaphoricæ.* Respublica constat capite & membris. Caput est princeps. Membra sunt subditi. *Similitudo jam esset explicanda, & partes corporis ad varia Reip. membra accommodanda. Tale est & illud:* Resp. constat oculo & aure. Oculus est gubernator, quem oportet videre, hoc est, valere sapientiâ, virtute, & felicitate, in rebus gerendis. Auris est populus, quem oportet audire, hoc est, obtemperare & obsequi.

Satis jam diximus, opinor, de ter gemino argumentorum Logicorum usu: quam doctrinam placet consignare uno atque altero monito de copiâ verborum, & analysi. Usum amplificationis ostendimus adductis variis exemplis, in quibus quædam sunt oratoriè tractata, quædam stylo humili & plano. Si quis velit hanc de amplificatione doctrinam transferre ad usum oratorium, sic procedet. Fiat libellus, in quo tituli disponantur secundùm hæc argumenta Logica, ita ut peculiaris sit titulus de causâ finali, efficiente &c. Singuli tituli subdividantur in ternos subtitulos, qui sunt antithesis, syncrisis, conglobatio. Jam si pulchræ & magnificæ amplificationes occurrant apud oratores, referantur illæ ad convenientes sedes. Hic labor, mihi crede, non erit inanis.

In analysi etiam usum habet insignem hæc declarationis, demonstrationis & amplificationis distinctio. e. g. Sit resolvendus *Psal. 103.* insigne illud carmen εὐχαριστικόν. Quæstio est conjuncta. Ago tibi gratias Jehova. Argumentum est unicum. Q.

cum. Q. contulisti beneficia in universam Ecclesiã & in me. Hujus argumenti amplificationes sunt septem. I. Est distributio seu conglobatio præcipuorum beneficiorum. Non dicit in genere, Ago tibi gratias pro omnib. beneficiis: sed nominatim illa recenset. Series illorum beneficiorum hæc est: 1. Qui propitiatur omnib. iniquitatib. tuis, & sanat omnem infirmitatem tuam. 2. Qui eripit ex interitu vitam tuam. 3. Qui coronat te bonitate & miserationibus: ubi est amplificatio à simili. 4. Qui replet bonis os tuum. 5. Renovat sicut aquilæ juventam tuam. 6. Facit justitias Dominus, & judicia patientib. injuriam. 7. Notas facit Mosi vias suas. II. Est amplificatio istorum beneficiorum à causâ, videl. misericordiâ Dei. III. Est antithesis: Deus non agit nobiscm secundùm iniquitates nostras. IV. Est comparatio pingens misericordiam Dei ἀναρίθμητον καὶ ἀμέτρητον: Quoniam sicut altitudo cœlorũ &ç. V. Est alia comparatio, quâ affirmat, tantam esse Dei φιλανθρωπίαν καὶ χρηστότητα, ut non aliter nos amet, quàm blandus Pater tractat tenellos filios eosq; tenero affectu complectitur. VI. Est hypotyposis nostræ infirmitatis. Comparat enim nos pulveri: Quoniã ipse novit figmentum nostrum &ç. VII. Est amplificatio bonitatis Dei ab æternitate: Bonitas autẽ Domini in seculum &ç. Accedat jam animus discendi cupidus & amans methodi, admoveatque huic aratro manum. Tum verè dici potest de nostris hactenus traditis observationibus, quod Aratus de prognosticis tempestatum observavit: Labor quidem exiguus est hæc observare, sed hujus observationis multiplex est utilitas.

Cap. 32. Exercitatio axiomatica.

Satis de applicatione argumentosâ; sequitur applicatio axiomatica, quæ est praxis circa doctrinam axiomatis.

Praxis illa est axiomatis constitutio, multiplicatio & dijudicatio.

Constitutio axiomatis gubernatur his canonibus. *Constitutio axiomatis.*

1 In constituendo axiomate primò cogitandum est de materiâ, deinde de formâ.

2 Materia axiomatis sunt thema & argumentum.

Thema est subjectum, argumentum est prædicatum. Si igitur constituendum sit axioma, primo loco ponatur thema seu res quæ tractatur: ut, homo. Secundo loco ponatur argumentum, quo thema explicetur: ut, animal, doctus, disciplinæ capax. Notabis hîc probè, quòd utraque pars possit esse redundans, seu composita, uti suo loco diximus: ut, Qui credit in Christum, servabitur. Et, Homo est arbor inversa.

3 Forma axiomatis, est dispositio; ubi videndum num thema & argumentum exigant compositionem an divisionem; item, utrum adhibendum sit vinculum verbi vel conjunctionis.

Compositionem adhibebis, quando subjectum & prædicatum consentiunt; ut, Homo est animal: divisionem, quando dissentiunt; ut, Homo non est animal irrationale. Vinculum verbi adhibebis, si velis constituere axioma simplex: ut, homo est animal: conjunctionis, si constituere velis axioma compositum: ut, homo est mortalis & immortalis. Sæpe hîc partes invertuntur: ut, Bonum est, fugienda aspicere in alieno malo.

Multiplicatio axiomatis.

Multiplicatio axiomatis instituatur juxta hos canones:

1 Tot possunt esse axiomata in tractatione alicujus thematis, quot sunt loca inventionis.

Exempli gratiâ: Thema sit homo. Hominis considerari possunt causæ, effecta, subjecta, & similia argumenta. Quare si hominem consideres tanquam causam, quæres ejus causatum: ut, homo loquitur. Si consideres eundem tanquam causatum, quæres ejus causam: ut, Deus hominem condidit. Si consideres ut speciem definiendam, quæres ejus definitionem; si ut totum, quæres illius partitionem, & cætera. Quid? Ex uno loco inventionis sæpe possunt erui plura

plura argumenta: ut, Hominis consideretur causa efficiens prima. Hinc axiomata: Homo est à Deo creatus; homines rarò cogitant se à Deo creatos esse; Adam est à Deo creatus, & nos sumus ab eodem creati &c.

2 Dispositio duorum terminorum sæpe plura nobis suppeditat axiomata.

Sic v. g. sunto termini simplices, homo & dilectio Dei. Quòd si velis hos terminos axiomaticè disponere, poteris axioma universale, particulare, proprium, copulatum, connexum &c. constituere, hoc modo: Omnis homo naturâ intelligit Deum esse amandum; Quidam homo Deum diligit; Abraham Deum dilexit; Abraham Deum dilexit & in secundis, & in adversis rebus; Si Deum diligeres, reipsâ hoc testatum faceres; Quanquam dicis te Deum diligere, tamen facto non ostendis; Aut Deum diligit homo, aut Satanam.

3 Multiplicari possunt axiomata per expositionem.

Sic si axioma sit obscurum, explicari debet: & hoc modo plura axiomata existunt. e. g. Cicero aliquoties gessit fasces. Si hoc axioma alicui sit obscurum, explicetur hoc modo: Cicero aliquoties gessit magistratum in Rep. Romanâ. Institui quoq; potest expositio utriusq; termini: ut, Magistratus sunt dii. Hîc tum subjectum, tum prædicatum explicari potest.

4 Multiplicari possunt axiomata per deductionem.

Deductio est, quâ unum axioma ex alio deducitur, ut diximus suprà *l. 6. c. 14. & 15.* e. g. Quicunq; est coram Deo justificatus, est & regeneratus: &, Quicunq; est regeneratus, est coram Deo justificatus.

5 Multiplicari possunt axiomata per æquipollentiam & oppositionem.

Exempli gratiâ: Panis est corpus Christi sacramentaliter; & panis est signum mysticum corporis Christi. Corpus Christi est ubique; corpus Christi non est ubique. Hîc observa consimile fermè quid esse in multiplicatione axiomaticâ amplificationi topicæ, de quâ diximus suprà *cap. 5.* Sicut enim amplificatio instituitur per antithesin, syncrisin, & conglobationem: sic & multiplicatio axio-

matis ferè se habet: ut, antithesis axiomatica est: Anima hominis est mortalis; anima hominis est immortalis. Syncrisis axiomatica est: Solâ fide justificamur; justificamur fide sine operibus Legis. Conglobatio axiomatica est: Homo est conditus à Deo: homo est creatus ex humo; homo est conditus ad imaginem Dei. Est conglobatio causarum. Sicut autem in amplificatione topicâ ad tria illa modò dicta accedit authoritas seu testimonium: ita & in multiplicatione axiomaticâ res se habet.

Dijudicatio axiomatis.

Dijudicatio axiomatis, sive illud à nobis, sive ab aliis factum sit, gubernatur his canonibus:

1 Videatur num axioma rectè se habeat, quoad materiam & formam.

2 Quoad materiam axioma examinetur ratione verborum, & rerum.

Omne siquidem axioma constat ex rebus & verbis.

3 In verbis videndum, utrùm sint propria, an impropria; certa, an ambigua; obscura, an perspicua.

4 In rebus considerentur partes axiomatis.

5 Consideretur forma axiomatis, itemq; species & communes affectiones.

Exempli gratiâ: Sit hoc axioma examinandum; Christus homo est ubique. In illo, quoad materiam verbalem vox *Christus* est perspicua, certa & propria; vox verò *homo* est obscura, quia multi ignorant quo sensu communicatio idiomatum, ut loquuntur theologi, dicatur valere in concreto, non in abstracto. Quoad materiam realem, thema hujus axiomatis est *Christus homo*: argumentum explicans est *ubiq; esse*. Quoad formam est axioma compositione terminorum consentaneorum informatum, ideoque legitimum. Quoad species est axioma affirmatum, verum, simplex, proprium, finitum, absolutum. Quoad affectiones, hîc locum habent expositio, crypsis, æquipollentia & oppositio. Expositio: ut, Christus homo est ubiq; κατ' ἄλλο.

Crypsis:

Crypsis: ut, subjectum hujus axiomatis est redundans, utpote duobus terminis conceptum. Æquipollentia: ut Christus homo est ubique; Christus homo personaliter est ubiq;. Oppositio: ut, Christus homo est ubique; humana Christi natura est ubique. Cumprimis oportebit memoriâ tenere doctrinam axiomaticam de suppositione, ampliatione & restrictione, quam suo loco expressimus, hîc usum trademus paucissimis, qui peramplus est in Theologicis & Juridicis.

Suppositionis usus est, scire quænam vocabula de ideâ seu specie, quæ de individuo sint accipienda. Exempli gratiâ. Dilectio est impletio legis. Hoc axioma verum est, si intelligatur de ideâ, seu, ut veteres locuti sunt, si vocabulum dilectionis supponat pro specie. At non verum est de illâ dilectione, quæ cadit in hominem. Sic dicunt Logici: Definitiones traduntur de ideis. Nam solæ species definiuntur, individua duntaxat describuntur. Rosæ definitio est perpetua, etiam hyeme, quando nulla est rosa. Justitia definitur constans & perpetua voluntas, suum cuique tribuens. Hæc definitio non traditur de meâ, vel tuâ justitiâ, sed de justitiâ quę significat speciem, i.e. quiddam abstractū ab individuis.

Restrictionis usus est, scire quando universalis particula ad certam speciem sit contrahenda: e.g. Omnia Deo sunt possibilia, scil. ea quæ vult, & quæ ipsius naturæ conveniunt. Hæc restrictio nihil imminuit de gloriâ omnipotentię divinæ. Errant igitur, qui omnibus suis commentis, & falsò conceptis imaginationib. prætexunt nomen omnipotentię divinæ. His opponi potest illud Ciceronis. Apud illum quidā exclamat. Deo nihil est impossibile. Omnia n. Deus facere potest. Respondet alter: Utinam te fecisset sapientem! Huc pertinent & illa: Omnia mihi licent, ait Paulus, scil. adiophora seu media, quæ nō sunt prohibita lege morali. Amicorum communia sunt omnia, scil. quæ possunt legitimè communicari, & quidem naturali obligatione sunt communia, non civili. Sic *Matth. 21.* Omnia credenti sunt possibilia, scil. necessaria, nō curiosa, & non prohibita. *Marc. ult.* Prædicate Evangelium omni creaturæ, scil. rationali, quæ est capax doctrinæ & virtutis. *Joël. 2.* Effundā de spiritu meo super omnem carnem, scil. electam. *Luc. 11.* Decimatis omne olus, scil. quod habetis. Sic nimirum oportet orationem revocare à genere ad spe-

cię. Vulgò dicunt de hisce: *Restrictiones prosunt ad candorem.*

Ampliationis usus est, dictum suâ naturâ generale, sed accommodatum certæ rei, laxare: ut, *Genes.15.* dicit Deus ad Abrahamum: Ego ero protector tuus, & merces tua magna valde. Et ad Jacobum, *Genes.28.* Ego ero custos tuus quocunq; perrexeris. Hæc dicta specialia debemus ampliare & extendere ad totam Ecclesiam, & singula membra, quia Deus justus est & æqualis sine προσωποληψία. Ita Paulus *Roman.4.* testatur, exemplum justificationis Abrahæ ad omnes credentes pertinere, *Roman.4.* & addit: Non est tantùm scriptum propter illum, sed etiam propter nos. Sic rectè potes argumentari ab exemplo primorum parentum: Deus recepit primos parentes post lapsum desertos ab omnibus creaturis. Ergò & me miserum peccatorem, confugientem ad Filium mediatorem recipiet & salvabit. Valet hæc consequentia per ἔκτασιν, *ampliationem.* Ex his videre est, non vulgarem, neque contemnendum esse usum hujus doctrinæ, quam veteres appellarunt *Parva logicalia* ob excellentiam & utilitatem. Ad hanc doctrinam pertinet humanissimum JCtorum dictum: *Favores sunt ampliandi, odia verò restringenda.*

Cap. 33. Exercitatio syllogistica.

Consideravimus applicationem partialem noëticam: nunc considerabimus applicationem partialem dianoëticam, quæ versatur circa instrumenta dianoëtica.

Estq; tùm syllogistica, tùm methodica.

Applicatio syllogistica consistit in constitutione, multiplicatione, & dijudicatione syllogismi.

Constitutio syllogismi. Constitutio syllogismi instituenda est secundùm hos canones.

1 *Primò cogitetur de materiâ; deinde de formâ syllogisticâ.*

2 *Quod attinet ad materiam syllogisticam, quatuor videnda.*

1. Ponen-

1. Ponenda est quæstio, eaq; vel affirmanda, vel neganda. 2. Quæstio illa examinanda est, sicut suprà diximus de themate: num videlicet sit utilis, pura vel mixta, universalis vel particularis, certa vel ambigua &c. 3. Ex locis inventionis Logicæ quærendum est medium. 4. Videndum, utrum medius terminus consentiat cum utroq; quæstionis termino, vel duntaxat cum alterutro.

3 Quoad formam syllogisticam, considerandum est, num quæstionem velimus concludere aliquo syllogismo perfecto vel imperfecto.

Exempli gratiâ, An Christus est Deus? Hæc est quæstio conjuncta, cujus affirmativa est: Christus est Deus. Jam ex locis inventionis quæro argumentum, quod consentiat cum utroque quæstionis termino, videl. proprium hoc, *omnipotens*. Hinc concludo in primâ figurâ: Qui est omnipotens, est Deus. At Christus est omnipotens. E. est Deus. Hanc rem paulò altiùs repetere placet. Mediũ probativum oblatæ quæstionis est vel actu & numero unum, vel plura unius vicem supplentia. Si medium est unum, disponatur cum quæstione in primâ figurâ, nisi medium sit negativum minoris extremi, vel particulariter tantùm subjectum majori. Ratio hujus moniti est; quia prima figura est omnium perfectissima, & secundùm eam disponi potest quæstio cujuscunq; quantitatis aut qualitatis cum suo medio; exceptis duobus casibus, ut diximus: videl. 1. Si medium sit negativum minoris extremi. Hinc enim fit minor negativa; quam cùm non admittant prima & tertia figuræ, consequens est, hujusmodi syllogismum tantùm posse fieri in figurâ secundâ, & quidem in Camestres aut Baroco: ut, si quæstio sit, an impatiens sit fortis, & negetur universaliter, nullus impatiens est fortis; medium, quia non potest aliquid ferre virtutis causâ. Hinc, verbis & sensu retentis, non feceris syllogismum nisi in Camestres secundæ figuræ, hoc modo: Fortis potest aliquid sustinere virtutis causâ. Impatiens nihil potest sustinere virtutis causâ. Ergò impatiens non est fortis. Sic sit conclusio: Multi scholastici non proficiunt discendo. Medium: quia non sunt constantes in discendo. Hinc non fit syllogismus, nisi

in Baroco ſecundæ,ſi verba & ſenſum eundem retinere velis:ut,Qui proficiunt diſcendo,illi ſunt conſtantes in diſcendo.Multi ſcholaſtici non ſunt conſtantes in diſcendo.E.multi ſcholaſtici non proficiunt diſcendo. 2.Si medium particulariter tantùm ſubjiciatur majori extremo.Hinc enim nō fit major univerſalis,ſed particularis,quæ nec in primâ,nec in ſecundâ figurâ neceſſariam parit cōſequentiam. Quare tantùm in Diſamis aut Bocardo tertiæ materia talis fuerit disponenda,ut ſi quęſtio ſit: Quidam ſtulti,ſunt artifices:medium,Quia multi homines ſuperbi,ſunt artifices. Hinc fit tātùm ſyllogiſmus inDiſamis tertiæ: Quidam ſuperbi ſunt artifices. Omnes ſuperbi ſunt ſtulti. E. quidam ſtulti ſunt artifices. Sic detur hæc quæſtio:Multi laude digniſſimi nullâ afficiuntur laude:medium,Quia multi ſancti viri nullâ afficiuntur laude.Hinc tantùm in Bocardo tertiæ fit ſyllogiſmus. Multi ſancti viri nullâ afficiuntur laude. Sancti viri ſunt laude digniſſimi.E.multi laude digniſſimi nullâ afficiuntur laude. Porrò ex nominibus modorum in tribus figuris ſyllogiſmi ſimplicis patet, quæſtionem univerſalem affirmantem tantùm in Barbara;quæſtionem univerſalem negativam in Celarent primæ, Ceſare & Cameſtres ſecundæ; particularem affirmativam in quatuor modis, Darii primæ, Darapti, Diſamis & Datiſi tertiæ figuræ; particularem negativam in ſex modis,Ferio primæ,Feſtino & Baroco ſecundæ, Felapton,Bocardo & Feriſon tertiæ cum medio ſyllogiſtico concludi poſſe. Unde dicitur,facillimæ diſpoſitionis eſſe particularem (ſub quâ & ſingularis) negativam, quia in omnibus tribus; difficilioris, particularem affirmativam & univerſalem negativam, quia in duabus; difficillimæ,univerſalem affirmativam, quæ tantùm in unicâ figurâ & unico modo Barbara locum habet. *Ariſtot.prior.analyt.lib.1. c.26.* Sed ſi facilitatem diſpoſitionis reſpicias,eâdem facilitate quæſtionem cujuslibet quantitatis &qualitatis cum ſuo medio diſponere eſt ſyllogiſmo connexo,ſeu conditionali, non tamen aliquo inſigni artificio. Ad extremum,ſi quæſtio probatur per media plura,ea aut ordine continuo cohærent, ideoque ſunt affirmativa & homogenea,quæ optimè diſponuntur inSorite:aut ſunt ſpecies generi,vel ſingularia ſpeciei probandæ, quæ commodiſſimè diſponuntur inductione.

e. g. Af-

e.g. Afflictio efficit tolerantiam. Tolerantia experientiã. Experientia spem. Spes non pudefacit. E. afflictio non pudefacit. Item, vinum Asiaticum calefacit. Vinum Europæum calefacit. Vinum Americanum calefacit. Vinum Africanum calefacit. E. omne vinum calefacit.

4 *Considerandum est, num medium sumendum sit apodicticum, dicticum, vel dialecticum.*

Exempli gratiâ: sit quæstio, an animal sit res viva? Si hæc sit demonstranda, accipe formam subjecti, quæ est efficiens prædicati, & apodixis τῦ ὅτι talis erit. Quod præditum est animâ sentiente, est res viva. Animal est præditum animâ sentiente. Ergò est res viva. Hic est syllogismus demonstrativus propriè dictus, qui tantùm fit in Barbara. Communiter dicta demonstratio est in hoc exemplo: Homo non est lapis. Socrates est homo. Ergò Socrates non est lapis. Syllogismus contingens est: Qui abundat bonis libris, evadet doctus. Paulus abundat bonis libris. E. evadet doctus.

Multiplicatio syllogismorũ hos habet canones. Multiplicatio syllogismorum.

1 *Syllogismus consecutivus vi propriæ conclusionis plures ex se gignit conclusiones.*

Syllogismus consecutivus sic dicitur, qui vel propter axiomatum conversionem, vel propter earundem æquipollentiam, vel germanam terminorum simplicium in conclusione affectionem alios syllogismos tanquam fœtus ex se parit. Sic *convertens sequitur ad conversam:* ut, Nullus infidelis edit corpus Christi. Ergò nullus edens corpus Christi est infidelis. *Universalis rectè infert particularem:* ut, Omnes peccatores resipiscentes recipiuntur in gratiam. Ergò etiam grandes peccatores resipiscentes recipiuntur in gratiam. At particulare non rectè infert particulare. Malè igitur colligit *Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. 4.* Quoddam peccatum non remittitur in futurâ vitâ. Ergò quoddam peccatum remittitur in futurâ vitâ. Porrò *ab exclusivâ ad universalem est bona consecutio:* ut, Tantùm fideles salvantur. Ergò omnes fideles salvantur. Valet autem hæc regula in materiâ necessariâ, in contingenti non item: ut, Tantùm homo discit literas. E. omnis homo discit literas. *Denique à remotione unius membri ad exclusivam, est bona consecutio:* ut, Non justificamur operibus. E. solâ fide.

2 Utile est unam eandemq; quæstionem concludere in variis syllogismorum formis.

Exempli gratiâ: Nullus cometa est stella: quia est meteorum. Si medium disponatur cum quæstione, fiet syllogismus in Cesare: Nulla stella est meteorum. Omnis cometa est meteorum. E. nullus cometa est stella. Potes & in Celarẽt concludere: Nullum meteorum est stella. Omnis cometa est meteorum. Ergò nullus cometa est stella. Enthymema tale erit: Cometa est meteorum. Ergò non est stella. Syllogismus connexus sic erit: Si cometa est meteorum, non est stella. Sed est meteorũ. E. non est stella. Si placet, poteris formare syllogismum ad absurdum ducentem: Aut verum est hoc thema: Nullus cometa est stella; aut verum ejus contradictorium, quidam cometa est stella. Sed posterius non est verum. Ergò prius erit verum. Assumtio probatur: Nulla stella est meteorum. Quidam cometa est stella. E. quidam cometa non est meteorum. Jam cùm conclusio hæc falsa sit, sequitur, aut ambas præmissas, aut alterutram esse falsam. Sed propositio non est falsa. E. assumtio; & per consequens ejus contradictoria est vera.

3 In apodixeωs loco non solùm formentur syllogismi simplices demonstrativi, sed etiam soritæ demonstrativi & inductiones.

Syllogismus simplex apodicticus est. Id quod acquisitũ est per præcepta de modo benè disserendi, est ars rationis. Logica est acquisita per præcepta de modo benè disserendi. Ergò Logica est ars rationis. Est demonstratio τ͂ διότι. *Sorites apodicticus est:* Logica tradit modum disserendi. Quod tradit modum disserendi, tradit & de demonstratione scientificâ. Quod tradit de demonstratione scientificâ, tradit etiam de argumentatione. Quod de argumentatione, id etiam de enunciatione. Quod de enunciatione, id etiam de materiâ enunciationis. Quod de materiâ enunciationis, id quoque tradit de themate & argumento. Quod de themate & argumento, id tradit de instrumento Logico. Ergò Logica tradit de instrumento Logico. *Inductio apodictica est.* Crœsus potentissimus cecidit superbiâ: eâdem & Nebucadnezar, Cyrus, Darius, Codomannus, Alexãder Magnus,

Pompejus,

Pompejus, Julius Cæſar; neque ullum diſſimile exemplum dari poteſt potentis alicujus regis, qui poſtquam ſuperbiâ dementatus eſt, non horribiliter lapſus ſit. Ergò omnes potentes domini, quando fiunt ſuperbi, horribiliter labuntur. Porrò uſus demonſtrationis præcipuus eſt, immotam reddere certitudinem præceptorum, in quovis ſyſtemate ſcientifico. Præcepta præcipua ſunt definitiones, diſtributiones & regulæ. Definitio rectè ſe habens, eſt effectum demonſtrationis, vel tranſpoſita demonſtratio. Si enim concluſioni hujus, genus de ſpecie prædicanti, addas medium à differentiâ ſpecificâ ſumtum, habes è demonſtratione factam definitionem. Vide *2. poſt. cap. 8. 9. 10.* Exempli gratiâ: demonſtratio eſt: Quod boat, eſt quadrupes. At bos boat. Ergò bos eſt quadrupes. Hinc extrues definitionem bovis: Bos eſt animal quadrupes boans. Diviſio quoque poteſt demonſtrari: ut, ſi demonſtretur ex definitione adverſè oppoſitorum, ſpecies aut partes eſſe inter ſe ita oppoſitas. Regulæ potiſſimùm demonſtrantur inductione; quæ poteſt eſſe demonſtratio τοῦ ὅτι, ſeu à poſteriori.

4 Sorites eſt cauſarum, cauſatorum, ſubjectorum, antecedentium & conſequentium, generum & ſpecierum, comparatorum denique diſſimilium.

Fundamentum hujus canonis eſt in illis maximis: Quod eſt prius priore, eſt etiam prius poſteriore: Quod eſt poſteriore poſterius, eſt quoq; poſterius priore. Videamus exempla. *Sorites efficientium & effectorum.* Ingluvies parit cruditatem ventriculi. Cruditas ventriculi parit cruditatem ſanguinis. Cruditas ſanguinis atrophiam. Atrophia hydropem aut phtiſim. Phtiſis mortem. E. ingluvies parit mortem. *Sorites cauſarum finalium:* Mercator vult iter ingredi propter emendas merces. Mercium emtionem vult propter earum venditionem, venditionem propter lucrum. Ergò ipſum iter vult ob lucrum. Sic: Studioſus amat ſtudia ob illorum ſplendorem. Splendorem amat ob utilitatem. Utilitatem propter ſuam ſalutem itemq; proximi. Suam ſalutem & proximi vult ob Dei gloriam. Ergò ſtudia amat ob Dei gloriã. *Sorites ſubjectorum loci:* Liber tuus eſt in menſâ. Menſa eſt in hypocau-

fto. Hypocauftum eft in domo. Domus in urbe. E. liber tuus eft in urbe. *Sorites antecedentium & confequentium:* Nox eft prior diluculo in die naturali, qui ab occafu folis inchoatur. Diluculum eft prius tempore matutino. Tempus matutinum eft prius meridie. Meridies eft prior vefpero. E. nox eft prior vefpero. Sic: Puer eft pofterior infante. Puero adolefcens. Adolefcente juvenis. Juvene vir. Viro fenex. Ergò infante longè eft pofterior fenex. *Sorites generum & fpecierum.* Grus eft avis. Avis eft animal. Animal eft vivum. Vivum eft compofitum. Compofitum eft fubftantia. E. grus eft fubftantia. *Huic contrarius eft proceffus defcendendo à genere ad fpeciem:* ut, Qualitas eft habitus. Habitus quidam eft ars. Ars quædam eft mufica. Ergò qualitas quædam eft mufica. *Sorites comparatorum disfimilium:* Puer plus intelligit infante. Adolefcens plus puero. Juvenis plus adolefcente. Vir plus juvene. Senex plus viro. Ergò fenex longè plus intelligit quàm infans. Sic: Rege inferior eft dux. Duce Princeps. Principe Comes. Comite baro. Barone Nobilis. Ergò rege multò inferior eft nobilis. Si velis foriten refolvere, nota, illum refolvi in tot fyllogifmos, quot funt foritæ propofitiones, minùs duabus. e. g. ultimus forites conftat fex propofitionibus. Deme huic numero binarium, & conftabit tibi quòd forites fit refolvendus in quatuor fyllogifmos: ut, hic eft fyllogifmus principalis: Qui eft inferior barone, eft inferior rege. Nobilis eft inferior barone. Ergò nobilis eft inferior rege. Jam fequuntur tres profyllogifmi, quorum primus eft profyllogifmus majoris in allato fyllogifmo: Qui eft inferior comite, eft inferior rege. Baro eft inferior comite. Ergò baro eft inferior rege. Secundus profyllogifmus eft majoris in modò præcedente profyllogifmo: Qui eft inferior principe, eft inferior rege. Comes eft inferior principe. Ergò eft inferior rege. Tertius profyllogifmus eft majoris in modò allato profyllogifmo: Qui eft inferior duce, eft inferior rege. Princeps eft inferior duce. Ergò princeps eft inferior rege.

5 ***Inftantiarum feu profyllogifmorum multiplicatio eft, quando fyllogifmus unus principalis probatur per plures profyllogifmos, & fundatur in hoc canone: Unum argumen-***

argumentum probat alterum, seu unus locus inventionis probat alterum.

Verbi gratiâ: Si argumentũ principale ductum sit ex loco effecti, illud probari potest non solùm è definitionibus & regulis effecti, sed etiam ex aliis locis; ita tamen ut tùm alium respectum induat, videlicet thematis. Sit quæstio: An mundus est æternus? Negetur argumento ducto è loco effecti: quia mundus est à Deo creatus. Hinc existit talis syllogismus: Nullum à Deo creatum, est æternum. At mundus est à Deo creatus. Ergò. Probatur assumtio ex definitione effecti: Quod vi omnipotente Dei existit, id à Deo creatum est. At mundus. Ergò. Suadetur assumtio vel ex loco testimonii, vel è loco adjuncti: Omne finitum existit virtute infiniti. At mundus finitus. Ergò. Probatur major ex canone: Omne dependens suam entitatem & causalitatem habet ab independente. Quod si igitur velis multiplicare, & (ut ita dicam) concatenare rationes syllogisticas, familiares tibi redde definitiones, divisiones & regulas locorum inventionis, itemque rerum ipsarum, quæ in disciplinis traduntur.

Sequitur dijudicatio syllogismi confecti; quæ consideratur in genere, & in specie. **Dijudicatio syllogismi.**

In genere dijudicatio syllogismi fit juxta hos canones.

1 Considerentur tria; videl. syllogismi structura, affectiones, & species.

2 Quod attinet ad structuram syllogisticam, examinentur materia & forma.

3 In materiâ syllogisticâ videantur tria; thema, medium, & præmissæ.

Thema reducatur ad certam aliquam speciem thematis Logici. Medium reducatur ad locum inventionis, ex quo sumtum est; & consideretur illius relatio, quam habet ad partes thematis. In præmissis observetur, num legitimo ordine sint dispositæ.

4 In formâ syllogisticâ videatur num canones bonæ dispositionis sint observati.

5 Excutiantur affectiones syllogismi, videlicet consequentia, potentia, & crypsis syllogistica.

6 Examinetur syllogismus juxta species; num sit perfectus vel imperfectus; categoricus vel hypotheticus; necessarius vel contingens; affirmatus an negatus, &c.

Exempli gratiâ: Sit dijudicandus hic syllogismus: Nulli impii placent Deo. Multi impii non sunt externâ vitâ culpabiles. Ergò multi externâ vitâ non culpabiles non placent Deo. In hoc syllogismo thema conjunctum, seu quæstio controversa est: multi externâ vitâ non culpabiles non placent Deo. Est thema particulare negatum. Medium est, multi impii: quod sumtum est à subjecto antecedentis, & repugnante consequentis. Præmissæ sunt convenienti ordine positæ. Forma illius syllogismi est bona; est enim tertiæ figuræ, modi Ferison. At minor est negativa? Respondeo, non est: sed est infinita: vel, ut alii dicunt, negatio hîc est enunciativa, sed non assumtiva. Negationem enunciativam dicunt, quâ prædicatum verè removetur à subjecto per particulam negantem, quæ vim suam spargat in vinculum. Assumtivam negationem dicunt, quâ negatur minus extremum contineri sub subjecto majoris. Talem negationem dicunt non esse in proposito syllogismo, eò quòd minus extremum includatur subjecto majoris; id quod illis est assumtiva affirmatio. Negativa assumtio est in hoc syllogismo secundæ figuræ: Omne vivum habet corpus organicum. Nullus lapis habet corpus organicum. E. nullus lapis est vivum. Hîc enim minus extremum excluditur medio. Cæterùm propositus syllogismus non est crypticus, nisi assumtionem cum quibusdam velis dicere crypticam; quâ de re suprà *lib. 7. cap. 4.* circa finem. Porrò est categoricus, verus, contingens, ostensivus &c.

Dijudicatio syllogismi in specie hos habet canones:

1 In syl-

1 In syllogismo simplici committitur crypsis, quando conjunctiones si *&* aut *ibi ponuntur.*

Exempli gratiâ: In primâ figurâ sunt hi syllogismi: Si vermis appetit, etiam sentit. Si vermis se movet ad appetita, priùs ea appetit. Ergò si vermis se movet ad appetita, etiam sentit. *Item:* Si canis est animal, est vivum. Si canis sentit, est animal. Ergò si canis sentit, est vivum. Hic est syllogismus simplex, sed crypticus, in figurę primæ modo Barbara. Quęstio est, si canis sentit, est vivum: medium, quia est animal. Quęstio tota nō disponitur cūm medio in propositione majore, ideoq; compositus syllogismus dici non debet: sed medium antecedit in propositione, sequitur affirmatum in assumtione, quæ est dispositio syllogismi in figurâ primâ. Sic & hic syllogismus est in Barbara: Omne vivum est vegetans aut sentiens. Canis est vivum. Ergò est vegetans aut sentiens. Item: Omne sentiens est heterobion aut amphibion. Limax est sentiens. E. limax est heterobion aut amphibion. *Sic & in figurâ secundâ hoc idem videre est:* Si fur habet bonam conscientiam, placidè dormit. Si fur semper timet, non placidè dormit. Ergò si fur semper timet, non habet bonam conscientiam. Est in Camestres: Habens bonam conscientiam, placidè dormit. Fur semper timens non placidè dormit. Ergò. Item: Aut vegetans aut sentiens est vivum. Nullus lapis est vivum. E. nullus lapis est vegetans aut sentiens. *Sic quoque in figurâ tertiâ.* Si quidam homines sunt mœchi, sunt puniendi. Si quidam homines sunt mœchi, sunt scelerati. Ergò si quidam homines sunt scelerati, sunt puniendi. Est syllogismus in Disamis. At hic est in Ferison: Qui non stant promissis, aut non volunt, aut non possunt ea præstare. Multi qui non stant promissis, sunt magni viri. E. multi magni viri non volunt, aut non possunt promissa præstare.

2 Enthymema syllogisticum discerni debet ab enthymemate enunciativo.

Enthymema aliud est syllogisticū aliud enunciativum.

Enthymema syllogisticum dicitur, in quo altera præmissarum est omissa: ut, fœnerator pluris facit pecuniam quàm famam. E. fœnerator non est vir bonus. Hîc omissa est major. Minor est omissa in isto: Nullus mēdax est vir honestus.

Ergò neq; calumniator est vir honestus. Enthymema enunciativum seu axiomaticum est, cujus consequens ex enunciatione ultrò quasi effluit, sine dispositione syllogisticâ actuali. Potentiâ tamen in istiusmodi enthymematis est ista dispositio. Hujusmodi enthymemata suppeditat 1. *Conversio axiomatica*: ut, Nullus bos est lapis. Ergò nullus lapis est bos. Omnis bos quadrupes. E. quoddam quadrupes est bos. 2. *Æquipollentia axiomatica*: ut, Omnis natura ingemiscit. Ergò naturæ tàm cœlestes quàm terrestres ingemiscunt. Non sunt multi sinceri. Ergò quidam sunt sinceri. Nil non est vanum. Ergò omnia sunt vana. Forma perit brevi tempore. Ergò non durat multa secula. 3. *Consensio rerum*: ut, Sol est ortus. E. cesserunt tenebræ. Petrus est pater Johannis. Ergò Johannes illius est filius. 4. *Oppositio rerum*: ut, Non-homini non est ratio. Ergò homini est ratio. Ignis est summè calidus. Non igitur frigidus. Omnis grus est avis. E. quod non est avis, neque est grus. 5. *Collatio rerum*: ut, Mendax est par furi. Ergò fur quoque par est mendaci. Infimus non fert se sperni. E. nec summus hoc feret. Rex est similis patri. Ergò pater similis regi. Uxor differt ab herâ. E. & hera differt ab uxore. Adulterium est majus furto. E. non est illo minus.

3 *Cùm occurrit inductio, videndum, num illa sit specierum vel individuorum.*

Inductio specierum est, quæ per sufficientes species probat genus: ut, Meteora sunt ex elementis. Mineralia, olea, lapides, metalla sunt ex iisdem. Omnia membra homogenea plantarum, animalium, hominis sunt ex iisdem elementis. Ergò omnes substantiæ sublunares sunt ex elementis. Inductio individuorum seu singularium est, quæ per sufficientia singularia probat speciem, aut per affectionem singularium probat affectionem speciei: ut, Amor libidinosus dementavit uxorem Potipharis; dementavit Simsonem, dementavit Davidem, Salomonem, & alios, quoscunq; invasit. Ergò amor libidinosus dementat omnes, quoscunque invadit.

4 *Dijudicatio syllogismorum in secundâ & tertiâ figurâ pendet à primâ.*

Itaque

Itaque ſyllogiſmi ſecundæ & tertiæ figuræ reducantur vel per converſionem, vel per deductionem ad impoſſibile, quæ res etiam facit ad multiplicationem ſyllogiſticam. Exempli gratiâ: Syllogiſmus in Ceſare eſt: Nulli verè credentes damnantur. Omnes hypocritæ damnantur. E. nulli hypocritæ ſunt verè credentes. Hic reducitur ad Celarent. Nulli qui damnantur ſunt verè credentes. Omnes hypocritæ damnantur. E. nulli hypocritę ſunt verè credentes. Syllogiſmus in Darapti eſt: Omnes ſapientes ſunt beati. Omnes ſapientes ſcire deſiderant. Ergò quidam ſcire deſiderantes ſunt beati. Reducitur ad Darii: Omnes ſapientes ſunt beati. Quidam ſcire deſiderantes ſunt ſapientes. Ergò quidam ſcire deſiderantes ſunt beati. Syllogiſmus in Baroco: Omnis ſapiens eſt ſuâ ſorte contentus. Quidam dives ſuâ ſorte non eſt contentus. E. quidam dives non eſt ſapiens. Reducitur per impoſſibile ad Barbara: Omnis ſapiens eſt ſuâ ſorte contentus. Omnis dives eſt ſapiens. E. omnis dives eſt ſuâ ſorte contentus. Syllogiſmus in Bocardo eſt: Aliqua ira non eſt vitioſa. Omnis ira eſt affectus cordis. Ergò aliquis affectus cordis non eſt vitioſus. Reducitur per impoſſibile ad Barbara: Omnis affectus cordis eſt vitioſus. Omnis ira eſt affectus cordis. E. omnis ira eſt vitioſa.

5 *Judicium ſyllogiſticum acuitur, ſi ſubinde deligantur exempla diſpoſitionis ſyllogiſticæ non ita evidentis.*

Talia exempla ſunt, 1. Si Verres eſt peculator, eſt fur. Si Verres eſt fur, non eſt ferendus in civitate. Ergò ſi Verres eſt peculator, non eſt ferendus in civitate. Hic eſt Sorites hypotheticus, non ſyllogiſmus purè hypotheticus, ut quidam volunt. Eſt enim diſpoſitio Soritæ contraria primæ figuræ. 2. Omne vivum conſtat animâ & corpore organico. Omne vivum eſt tum planta, tum animal. Ergò tam planta, quàm animal conſtat & animâ & corpore organico. Quidam dicunt eſſe ſyllogiſmum compoſitum: ſed eſt ſimplex in Barbara. Nam medium non diſponitur cum totâ quæſtione, ut fieri oportet in ſyllogiſmo compoſito; ſed duntaxat cum majori. 3. Quod tibi licet, idem & mihi licet. Tibi licet vendere emtum tuâ

pecuniâ. Ergò & mihi licet vendere emtum pecuniâ meâ. Non est hypotheticus, ut quidam tradunt: sed simplex in Darii, si minor rectè assumatur è majori, hoc modo: Vendere emtum tuâ pecuniâ tibi licet. 4. Quod Christus Petro pœnitenti præstitit, idem & tibi pœnitenti præstabit. Christus Petrum pœnitentem recepit in gratiam. Ergò Christus & te pœnitentem recipiet in gratiam. Est syllogismus implicitè hypotheticus; cujus propositio sic erat informanda: Si Christus Petrum pœnitentem in gratiam recepit, & te pœnitentem in gratiam recipiet. Nisi hoc fiat, propositio erit generalior, quàm debebat. 5. Quod accidit magnis sanctis, id metuere debent parvi. Magnis sanctis accidit amittere actum fidei. Ergò ne amittant actum fidei metuere debent parvi. Est syllogismus in Barbara, si minor rectificetur. 6. Regi plus permittitur jure quàm subdito. Regi non permittitur jure bona aliena donare cui vult. Ergò bona aliena donare cui vult, multò minus permittitur subdito. Item: Servus in Republica multò minus habet juris quàm dominus. Servo autem licet queri de injuriis domini. Ergò multò magis queri de injuriis servi domino licet. Hi sunt syllogismi conditionales enthymematici. Nam propositiones sunt omissæ. Si regi non permittitur jure bona aliena donare cui vult, multò minùs subdito permittitur. Si servo licet queri de injuriis domini, multò magis domino licet queri de injuriis servi. Pro his propositionibus omissis ponuntur earũ prosyllogismi sive probationes. Tales materiæ ex comparatis non commodè disponuntur simplici syllogismo: unde vel propter eas opus est hypothetico.

Coronidem huic capiti adjicere oportet pernecessariam. Solent Theologi & Politici argumẽta utplurimùm alio modo colligere, quàm illo, qui est locorum Logicorum. Modũ illum paucis circumscribam, secutus *Theodorũ Zawackum equitem Polonũ*. Restringit autem ille ad causas senatorias, quod tu ampliandum esse cogitabis. Res ita habet.

Trivia practica sunt certę sedes argumentorũ, quibus utimur in causis senatoriis, non solùm politicis, sed etiam Ecclesiasticis. Vocamus trivia quia usu quotidiano teruntur, & sunt triplicata.

Trivia illa complectuntur genera causarum senatoriarũ, sive the-

ſive thematum, *locos perſuaſionum*, & *adjunctiones*; in quibus ſingulis enarrandis utile eſt numerum ſenarium memoriæ cauſâ obſervare.

Genera cauſarum, in quibus omnis ſenatoria diſceptatio verſatur, ſunt ſex: *Lex*, *Meritũ*, *Arma*, *Societas*, *Pecunia*, *Mos*.

Lex, eſt præſcripta quædam degendæ vitæ, rerumque agendarum ratio & modus, quam publicè omnes, aut publici aliqui conſtituerunt, vel ex naturâ accepta, vel ſecundùm naturam informata.


Merita, ſunt quæ dictis factisq; proborum aut improborum debentur.

Arma hîc complectuntur omnem apparatum bellicum, ut ducem, militem, exercitum &c.

Societas, eſt confœderatio & unio quę Reipub. plurimùm confert.

Pecunia, complectitur omnem opulentiam, utputa veſtem, pecudem, annonam, tela, ſcuta, currus, naves, & his reſpondentia in ſtatu Eccleſiaſtico.

Mos, eſt quaſi lex quędã, fato inchoata, uſu ſuſcepta, quæ non ſcripto & pœnis, ſed hominum approbatione rectique opinione ſervetur. Et genus quodque habet duos ad diſceptandum aditus. Nam



In his igitur & circa hæc habebitur omnis ſenatoria ratiocinatio. Sed *ipſa ratiocinatio habebit locos perſuaſionum, in quibus verſantur argumenta.*

Loci perſuaſionum ſunt ſex: Poſſibile, Neceſſarium, Facile, Honeſtum, Utile, *Delectabile.*

His opponuntur totidem, videlicet Impoſſibile, Non-neceſſarium, Difficile, Inhoneſtum, Inutile, Triſte.

Poſſibile, eſt cui ineſt ratio & cauſa cur quid fieri poſſit: impoſſibile tollit omnem perficiendi viam.

Neceſſarium, eſt quod nobis imponit legem ut fiat: non-neceſſarium, quo poſſumus ſuperſedere.

Facile, eſt quod levi labore & curâ non multâ fit: difficile ſapit naturam impoſſibilium.

U*tile*, eſt quod confert, conſervat & adjuvat: inutile, quod neque confert, neque conſervat, ſed potiùs nocet & lædit.

Honeſtum, eſt omne conveniens & dignum ex officio, quod laudabile, cum virtute conjunctum, religioſum, ſanctum, majeſtatem nominis apud poſteros exornans: inhoneſtum, quod cum turpitudine conjunctum.

J*ucundum*, eſt quod gratum, amœnum, hoſti noxium, quod hilaritatem adfert: triſte & ingratum, quod omnem animi voluptatem tollit atque amovet.

Ex quocunque horum locorum duplex ad perſuadendum facultas præbetur. Verbi gratiâ: Arma ſunt ſuſcipienda. Q. hoc eſt poſſibile, neceſſarium, utile &c. aut contrà, non ſunt ſumenda; quia eſt impoſſibile, difficile &c. Et tantam habent vim in cauſis ſenatoriis, ut ſæpè unicum ex iis argumentum ſufficiat.

Sed iſta ſex non ubique valent. Exempli gratiâ: naturâ ſuâ poſſibile ac propè neceſſarium eſt, ut arbor quæ primo floruerit vere, fructum ferat autumno. Sed adjunge inſecta aut pone ventis turbatam, jam id quod ſuâ naturâ erat poſſibile & facile, eſt impoſſibile vel difficile, iſtiuſmodi adjunctione ſeu conditione. Apud Hebræos honeſtum erat & licitum, ut frater duceret uxorem fratris defuncti.

Apud

Apud nos non item. Ex his constat, illa persuasionum loca mutari, pro ratione loci, temporis & personarum. Has circumstantias dicemus adjunctiones; quarum sunt numero sex: *Persona, Locus, Res, Causa, Tempus, Modus*: de quibus sic breviter accipe.

Personarum est alia, quam natura dedit, ut est Alexander, Cato: alia, quam institutum, ars & industria adjecit, ut quòd Alexander facundiâ & lepore est gratus, Cato majestate suâ imperiosus: alia quam Respublica posuit, ut Alexander Rex. Hinc Alexandro & privato aliud fuit facile, possibile, honestum. Est & persona alia sacra, alia politica; alia publica, alia privata. Itaque aliud sacerdoti, aliud consiliario, aliud regi, aliud subdito est possibile, facile.

Locus habet aliquid innatum & insitum, quod non potest removeri; & aliquid aliunde sumtum, quod potest amoveri, loci naturâ non mutatâ.

Res differt à re, quantitate vel qualitate.

Causa, est quæ nos movet: ut, cura & ratio tuendi sui, metus honestatis, salutis, libertatis, cupiditas gloriæ, imperii & rerum: movent item, quæ dolorem, indignationem, & similes perturbationes cient: ut sunt aliorum obtrectatio, æmulatio, injuria &c.

Tempus, est præteritum, præsens & futurum. Item aliud est durius, aliud mitius: ut, Syllæ tempora fuerunt duriora quàm Marii.

Modus habet in se duo. 1. Ordinem, ut aliud fiat prius, aliud posterius. 2. Ut ne quid excedat aut desit, ut etiam nihil fiat non attemperatè & aptum ad rem.

Atque hæc sunt trivia illa practica, quæ sic delineo:

- Trivia practica habent
  - Genera causarũ senatoriarum sex: uti sunt
    - Lex
      - Roganda.
      - Abroganda.
    - Meritum
      - Præmium.
      - Pœna.
    - Arma, aut
      - Sumantur.
      - Non sumantur.
    - Societas, aut
      - Ineatur.
      - Dirimatur.
    - Pecunia, aut
      - Paretur.
      - Erogetur.
    - Mos, aut
      - Inchoandus.
      - Abolendus.
  - Persuasionum loca sex:
    - 1. Possibile, Impossibile.
    - 2. Necessarium, Non-necessarium.
    - 3. Facile, Difficile.
    - 4. Honestum, Turpe.
    - 5. Utile, Inutile.
    - 6. Delectabile, Triste.
  - Adjunctiones sex
    - Persona
      - Sacra, Politica.
      - Publica, Privata.
    - Locus
      - Publicus, Privatus.
      - Sacer, Politicus.
    - Res
      - Quantitas.
      - Qualitas.
    - Causa impellens ad
      - Faciendum.
      - Non-faciendum.
    - Tempus
      - Antequam agas, Futurum.
      - Dum agis, Præsens.
      - Postquam egisti, Præteritum.
    - Modus vel Ordo
      - Hoc prius
      - Illud simul
      - Aliud posterius
      - } Agendi.

Atque

Atque hæc ſunt illa trivia, quorum hæc eſt praxis. Oblata quæſtione ſenatoriâ ſeu practicâ. e.g. iſtâ: An arma ſint capienda noſtro Imperatori contra Turcam? argumenta tum pro negativâ, tum pro affirmativâ ex iſtis triviis petenda ſunt, ita quidem, ut comparentur ſingula, tum cum ſuæ claſſis, tum cum alterius claſſis titulis, putà genera cum generibus, loca perſuaſionum cum ſuis locis, adjunctiones inter ſe, & rurſus genera cum locis perſuaſionum & adjunctionibus, & loca perſuaſionum cum adjunctionibus. Tum habendus eſt delectus, ita ut quæ pulchriora, quæ graviora ſunt, excerpamus. Affirmemus allatam quæſtionem. I. E generibus. Quia eſt ex lege, hoc eſt, ratione benè degendæ vitæ. Quia ſatisfit meritis bonorum & malorum. Quia facultates publicæ amplificabuntur. II. E locis perſuaſionum copulatis cum generibus. Q. neceſſarium eſt, urgemur. Q. facile eſt. III. E locis adjunctionum. Q. ſatis diu remiſimus de alacritate. Pro negativâ ſententiâ ex iisdem locis peti poſſunt argumenta: ut, Quia eſt difficile, hoc tempore, quo Principes diſſident. Q. nervus belli nos deſtituit.

Porrò ſi argumenta ex his triviis jam ſint inventa, amplificari poſſunt è locis Inventionis, juxta præcepta à nobis tradita. Hîc & illud nota. Theologi argumenta adhortationis, conſolationis, & ſimilia, petere poſſunt è capitibus Catecheticis, & illa amplificare è locis Logicis. exempli gratiâ: Debemus ſanctè vivere. Ratio ex ſymbolo: Quia credimus vitam æternam. Hæc ratio amplificetur ab adjunctis vitæ æternæ & contrario.

Cap. 34. Exercitatio methodica.

Exercitatio methodica ſequitur, quæ verſatur circa alicujus thematis ordinabilis methodicã diſpoſitionẽ tum conſtituendam, tum dijudicandam ſecundùm præcepta de methodo tradita.

Conſtitutio gubernatur his canonibus.

Conſtitutio methodica thematis.

1 Sumatur ſubjectum tractationis.

Subjectum tractationis ab aliis vocatur *quæſtio methodi-*

ca, item *thema ordinabile seu methodicum*; ad differentiam thematis simplicis seu axiomatici,& syllogistici.

2 Inventioni subjecti succedat dispositio methodica, quæ erit accuratior in systemate disciplinæ, laxior & magis popularis in systemate alicujus orationis solutæ vel ligatæ.

Systema dividitur à quibusdam in scientiam & orationem, seu scientiæ & orationis: interdum usurpatur κατ' ἐξοχὴν pro methodo disciplinæ.

3 In dispositione disciplinæ videndum, num sit theoretica vel practica.

Illa disponi debet methodo synthetica, hęc analyticâ. Exempli gratiâ: Omnes definitiones & distributiones physicæ sint repertæ & sigillatim judicatæ, ut ampliùs nullum restet judicium, nisi methodicum, id est, omnes sint claræ & manifestè veræ, aut per se, aut syllogismo disputatæ: tantùm sit de methodo earum cogitandum. Hîc Physicus Logico lumine methodi illustratus, generalissimã definitionem primo collocabit loco: ut, quid sit Physica, quid doceat, quid discenti promittat, intelligatur: Physica est corporum naturaliũ scientia. Hinc distributionem subjiciet: Physica est generalis, vel specialis. Generalem deinde definiet, distribuet, donec ejus doctrina absolvatur. Tunc specialem partem aggressurus, transitione illam antecedenti annectet: tùm definiet, & corpus dividet in simplex & mixtum. Simplex dividet in cœleste & elementum. Simplici exposito veniet ad compositum, ejusque doctrinam cum superiore connectet: Hactenus de simplici, sequitur corpus compositum; eoq; definito, mox in imperfectè & perfectè mixtum dividet: tum species uniuscujusq; requiret, exituumq; transitiones suis locis collocabit, idq; continuâ serie definitionum, divisionum & colligationum, donec tandem ad specialissima seu infima sit perventum. Idem in Ethicâ, Politicâ, Opticâ, & cæteris disciplinis faciet, servato discrimine inter methodum syntheticam & analyticam. Hîc multum juvabit, dispositionem totius operis tabellâ aliquâ adumbrare.

4 In constitutione orationis primò cogitetur de propositione

propositione (hæc enim est objectum) tùm de tractatione.

Tractatio est reliqua pars orationis, propositionem explicans.

5 In propositionis constitutione videndum, num sit continua, seu una, vel in partes plures disjuncta.

6 Videatur, num propositio sit vel pars alicujus disciplinæ: ut si de luce, de temperantiâ sit oratio: vel singulare aliquid in vitâ communi suppeditatum: ut si sit oratio de republ. de vitâ alicujus, de facto suscepto aut suscipiendo.

7 In tractatione discernantur partes minùs principes, exordium & peroratio, à partibus principalibus: quarum aliæ sunt continuæ, aliæ disjunctæ.

Partes continuæ sunt *narratio*, si quæstio est tantùm de re gestâ: aut *declaratio*, si quæstio est simplex & solùm declaranda: aut *confirmatio*: aut *confutatio*. Partes disjunctæ sunt *confirmatio* habens confutationem singulis argumentis confirmantibus conjunctam, vel *confutatio* habens confirmationem conjunctam. Nam quæstio est vel confirmanda tantùm, vel confutanda tantùm; vel confirmanda & confutanda simul, & tùm aut confirmatio habet confutationem vel conjunctam, quâ singulis argumentis confirmantibus adjicitur refutatio objectionis adversariæ; vel subjectam, quâ adversæ objectiones in unum locum reservatæ, ordine confutantur: aut confutatio habet confirmationem vel conjunctam, vel subjunctam. Quæ autem partes orationis ponendæ, quæ omittendæ sint, prudentem oratorem monebunt circumstantiæ & reales & personales. Quæstio hîc suboritur, quid de epistolis & epigrammatis sit sentiendum? Resp. Epistolæ Laconicæ & epigrammata plerumque tantùm sunt una enunciatio, aut syllogismus, interdum contracta, interdum amplificata. Hîc igitur lumen axiomaticum & syllogisticum adhibendum. In epistolis Asiaticis & diffusis lumen methodicum nobis inserviet.

8 Methodus historica res priùs gestas priori loco ponit.

Res enim priùs gestæ illustrant eas quæ sunt subsecutæ; cùm illæ harum causas contineant.

Dijudicatio dispositionis methodicæ.

Dijudicatio dispositionis methodicæ jam factæ duos habet canones.

1 Crisis disciplinæ methodicè dispositæ contineat ejus resolutionem & examinationem.

Resolutio ostendat primò methodum totius operis; deinde singula præcepta resolvat in suas partes, harumque materiam ex topicis desumtam. Examinatio disciplinæ primò juxta leges methodicas totam tractationem examinet; deinde singula præcepta juxta leges axiomaticas judicentur.

2 Crisis orationis methodicè dispositæ itidem contineat ejus resolutionem & examinationem.

Resolutio orationis eruat primò propositionem ejus, videatque num sit continua, an in partes divisa: deinde propositionis tractationem resolvat in partes primas & maximas, has in secundas, secundas in tertias, & sic porrò, minores subinde, donec perveniat ad axiomata & argumentationes, quæ suâ ἀναλύσει resolvat. In his autem, si sunt periodicæ, ipsas partes enunciationis ab expolitionib. seu amplificationibus, partes syllogismi à prosyllogismis sive amplificationibus, partes illas probantibus, discernet, & ex quib. locis desumta sint singula, ostendet. Examinatio mõstrabit, quo ordine oratio sit disposita; hinc qui sit ordo membrorum cujusq; partis. Hinc videat, num homogenea tantùm in quâvis parte habeantur, an verò & cur digressio facta sit ad heterogenea, & quomodo ea ad scopũ præsentem sint accommodata. In enunciatione & argumentatione judicet, an amplificationes, si adsint, sint utiles ac necessariæ, & rectè applicatæ; sítne periodus æqualis aut inæqualis; sítne sermonis genere simplex, an tropica & schematica. Proderit tamẽ multum, si analysis rhetorica logicã antecedat. Nam oratorum & poëtarum inventio dispositioque ornamentorum luce resplendens, non potest satis retexi, nisi detractis ornamentis, nuda priùs sententia ante oculos ponatur. Quo facto utraq; manifesta fit, inprimisque inventio claritatem habet eam, quâ singulorum argumentorũ natura innotescat. Quamobrem analysis grammatica rhetoricam, rhetorica logicam præcedat. Hic

dat. Hîc placet inserere monitiones utiles de methodo oratoriâ.

Orationis cujusque, sive prosa sit sive vorsa, ut loquuntur, tres sunt partes, Exordium, Tractatio principalis negotii, & Peroratio.

Exordii fontes non sunt alii, quàm loci inventionis. Sumitur enim

1 *A causis*; *nempe efficiente*, ut personâ dicentis, quæ modestiæ causâ se suamque facultatem extenuare solet, aut necesse habet, præsertim si coram superioribus aut doctioribus & exercitatiorib. dicere debeat. Et hîc enumerari possunt, timor, consternatio, defectus gratię, eloquentiæ, temporis &ç. Sic & à *causis impellentibus* ducitur exordium, cùm ostendimus quænam res ad dicendum vel scribendum impulerit. Item à *causis finalibus*.

2 *Ab effectis*; utputà commodis secuturis, facto alicujus, re gestâ, eventu aliquo insigni.

3 *A subjectis*; videl. consideratione loci, in quo dicendum, aut personarũ, ad quas oratio instituenda, aut rei seu objecti, de quo verba facienda, quod commendari solet veluti necessarium, præclarum, admirabile, dignum cognitu, rarum, magnum, novum, inauditum, prodigiosum, magni momenti, jucundum, grave, jocosum &ç.

4 *Ab adjunctis*; putà tempore, quod rei alicujus magnæ & memorabilis nos admonere solet.

5 *A dissentaneis*; quando occupamus & diluimus quæ nobis susceptæ perorationis vel scriptionis causâ vel aliâs objici posse videntur.

6 *A comparatione*; ut quando comparamus vel personas, vel causas dicendi, cùm profitemur alios meliùs posse dicere quàm nos, & causas ostendimus, cur id censeamus.

7 *A genere* rei, de quâ dicendum.

8 *A speciali exemplo* thematis, de quo verba facienda sunt.

9 *A testimonio*; ut ab aliquo insigni dicto.

10 *A definitione* rei, de quâ dicendum est.

11 *A distributione*, cuj⁹ aliqua pars oratione sit tractãda. Apta etiam est exordiis transitio, & invocatio Dei.

Tractatio principalis negotii constat quatuor partibus: Narratione, Propositione, Confirmatione, & Confutatione; *è quibus duæ extremæ non semper, duæ intermediæ semper sunt necessariæ.*

Narratio est necessaria, in expositione factorum & controversiarum.

Tum enim res gesta narratur, & occasio controversiæ indicatur.

Propositio est ipsum thema, quod est vel doctrinale, vel encomiasticum, vel consolatorium &c. Estq; vel unum, vel multiplex, ubi opus est distributione.

Confirmatio est propositionis, simplicis explicatio, conjunctæ probatio, utriusq; amplificatio. Hîc in promtu esse debent particulæ continuativæ seu connexivæ, & formulæ connectendi, quò etiam pertinent formulæ transitionum: ut, Primùm; principio; secundò; deinde; deinceps; proximè; præterea; etiam; posthæc; adhæc; tum; jam; porrò; cæterùm; adhuc; Porrò autem huc pertinet; accedit eodem; accedit ad hæc; postremò, extremum illud; ad extremum; ut concludam; quid plura; quid multa; huc pertinet; his simile est; huic proximum est; age verò; quid quòd; insuper; nam illud quid referam; nam illud quid attinet commemorare; eloquar an sileam. Jam verò quid referam; illud haudquaquam prætereundum silentio; Sed operæpretium est illud audire; nunc ad id quod secundo loco nos dicturos sumus polliciti; sed hæc utcunq; ignoscenda, illud quis ferat; Audistis gravissima, sed audietis graviora; sed hæc privatim, nunc quæ publicè gesserit; hactenus quæ domi gessit, nunc quæ sub signis; sed hæc juvenis peccavit, nunc senis virtutes audietis; de moribus habetis, nunc de doctrinâ reliquum est ut dicamus; jam ad reliqua properabimus, si prius illud unum adjecerimus; verùm de his plus satis; quid his immoror; ad id quod est hujus causæ caput, festinet oratio; mittamus ista, & veniamus ad arcem causæ; quid pollicitus sit, expositum est, quid præstiterit paucis accipite.

Confutatio primùm adversarii vitia leniter perstringet, tum argumenta solvet.

Hîc va-

Hîc variæ ſunt formulæ, quas vide apud Eraſmum de copiâ.

Peroratio conſtabit repetitione, affectuum concitatione, gratiarum actione & precatione.

Cap.35. Diſtinctio.

EXpoſuimus applicationem partialem: nunc exponemus totalem.

Applicatio Logica totalis eſt, quâ conjunctim inſtrumenta Logica applicantur certæ materiæ:

Aliis dicitur *combinata*. Sicut in partiali applicatione ſingula inſtrumenta adhibentur ſeorſim; ita in totali vel plura, vel omnia conjunctim adhibenda ſunt.

Eſtq; vel ſyntheſis, vel analyſis totalis.

Suprà *cap.2.* docuimus, ſyntheſin & analyſin generaliter locum habere in exercitatione Logices intellectuali. Sicut ergò praxis Logices eſt alia partialis, alia totalis: ſic & ſyntheſis & analyſis alia erit partialis, alia totalis. v. g. in exercitatione axiomaticâ vidimus axiomatis conſtitutionem, multiplicationem & dijudicationem; è quibus illa & iſta ad ſyntheſin, hæc ad analyſin ſpectat. Jam videbimus totalem.

Syntheſis totalis eſt, quâ applicantur plura inſtrumenta Logica certæ materiæ componendæ.

Eſtq, vel acroamatica, vel exoterica.

Syntheſis acroamatica eſt, quæ ſtrictè ſecundùm artis normam inſtituitur: *Latinis dicitur* conſtitutio operis accurata.

Syntheſis acroamatica conſideratur quoad affectiones & ſpecies ſuas.

Affectiones illius ſunt diſtinctio, & interpretatio.

Diſtinctio eſt diſcretio unius ab alio, clarioris cognitionis gratiâ inſtituta.

Bonæ distinctionis κριτήρια.

Ejus canones sunt tres, quibus totidem κριτήρια bonæ distinctionis traduntur.

1 *Distinctio debet congruere cum naturâ rerum & usu probatorum authorum.*

Alioqui distinctio non est explicatio, sed implicatio, seu inane κρησφύγετον, *effugium*, putida & rancida elusio, vel principii petitio, fumus & coloratum specillum, quod rudioribus objicitur, ne animadvertant fraudem. Itaque

Vera distinctio petenda est ex naturâ ac visceribus rerum, vel ex usu disserentium.

2 *Distinctio debet esse perspicua.*

Hic canon quasi fluit è priori. Nam quæ distinctio congruit cum naturâ rerum, itemque usu disserentium, illa non potest non esse perspicua. Ratio autem canonis est; quia distinctio inventa est rei declarandæ. Quòd si igitur obscura esset, lucem rei obscuræ adferre non posset.

3 *Distinctio non sit nugax.*

Sic modus verbis duntaxat diversus, reipsâ verò idem cum prædicato quæstionis, non distinguit: ut, si quis dicat, Salomon est sapiens secundùm modum sapientiæ, insipiens secundùm modum insipientiæ: Sol lucet in meridie, secundùm modum lucendi, Sol non lucet in meridie secundùm modum non lucendi.

Distinctio est alia verbalis, alia realis.

Distinctio verbalis est liberatio vocis ambiguæ à significationum varietate.

Hanc quidam scioli judicant non esse necessariam; ideoque præceptum illud Logicum, quod jubet vocem ambiguam priùs distinguere, quàm rem definire, vocant ridiculum: quum tamen distinctio vocis ambiguæ sit primum cognoscendi principium & velut introitus, sine quo disputatio tota est mera λογομαχία. *Aristot. 1. topic. cap. ult.* Et sine distinctione vocis ambiguæ velle ad rei considerationem venire, est velle tempus inutiliter perdere. *Galen. lib. 5. de meth. medendi. cap. 5.*

Distinctio

Distinctio verbalis perficitur partim homonymiæ in vocabulis dijudicatione, partim evolutione. Distinctio verbalis,

Dijudicatio homonymiæ in vocabulis fit sex modis:

Primus modus est observatio usus vocabulorum apud probatos authores. Si enim vox modò latè, modò strictè, nunc absolutè, nunc respectivè &c. accipiatur ab authoribus, censetur ambigua: ut vox *mereri* apud *Augustinum libro 83. quæstionum, quæstione 67.* ponitur pro consequi: *vocamur filii Dei, quamvis hoc adoptione mereamur*, h. e. consequamur: apud alios significat promereri.

Secundus modus est diversitas prædicamentorum. Si enim vox aliqua significet res diversarum categoriarum, inde colligitur, quòd sit ambigua: ut, vox *cancer* significat animal, morbum & constellationem; ideoq; est ambigua.

Tertius modus est observatio variorum locorum inventionis. Si enim vox tribuatur variis rebus, quæ discrepant causis, effectis, subjectis & adjunctis, censetur ambigua: ut, vox *tractio* probatur esse ambigua; quia tribuitur equo, magneti & cucurbitulis, item medicamento purganti. Similiter vox fidei probatur esse ambigua; quia tribuitur electis, reprobis, & Diabolo.

Quartus modus est observatio contrariorum. Si enim unius contrarii vox sit ambigua; inde colligitur, quòd etiã alterius vox sit ambigua. Tot enim modis dicitur unum contrarium, quot modis dicitur alterum. Hoc intelligatur de relativè, contrariè, contradictoriè & privativè oppositis: ut, *videre* aliquis dicitur, qui facultate videndi est præditus, item qui actu videt, vel qui intelligit. Ergò & *τὸ non-videre* totidem modis dicetur. Deinde quod habet multa opposita, illud est ambiguum: v. g. Vox *proprium* est ambigua; quia modò ei improprium, modò commune, modò alienum, modò figuratum opponitur.

Quintus modus est observatio conjugatorum. Si enim vox unius conjugati est ambigua; inde colligitur, quòd & alterius vox sit ambigua: ut, *salubriter* dicitur ὁμωνύμως, videlicet accommodatè vel ad efficiendam, vel ad conservandam, vel ad indicandam sanitatem; quia *salubre* totidem modis dicitur.

Sextus modus, eſt obſervatio definitionum diverſarum. Si enim unius definiti definitio eſt multiplex; inde colligitur, quòd vox definiti ſit ambigua: ut, LUPUS aliter atq; aliter definitur. Vox igitur eſt ambigua.

Evolutio homonymiæ eſt, quâ diverſæ ſignificationes vocis ambiguæ ordine enumerantur, & poſtea illa ad certam ſignificationem loco & tempori convenientem determinatur:

Exempli gratiâ: Vox *Angelus* ſumitur latè & ſtrictè. Latè pro quovis nuncio. Strictè ſignificat vel ſpiritum finitum corporis ſocietate non gaudentem, vel antiſtitem Eccleſiæ. Prior illa ſignificatio ſtricta à nobis hîc attenditur. Cæterùm ambiguitas exiſtit vel è genere ſermonis, vel ex rebus. Si è genere ſermonis oriatur ambiguitas, ex Grammaticâ, lexico & phraſi ſuæ linguæ judicanda eſt. Sin ex rebus, petenda eſt diſtinctio ex eâ diſciplinâ, ad quam controverſia pertinet.

Diſtinctio realis eſt, quâ res una diſtinguitur ſecundùm diverſos conſiderationis modos:

Diſtinctio realis. Aliâs dicitur *limitatio, reſtrictio, determinatio*; & definitur, quòd per eam res una vel à ſe, vel ab aliâ ſecundùm diverſa attributa diſtinguatur: ut cùm diſtinguitur inter rem quâ talis eſt & quâ talis non eſt; item inter diverſas rei partes varioſq; reſpectus. Sed limitationis vocabulum nimis latè ſic accipitur, ut & reſtrictionis & determinationis.

Ejus canones ſunt:

1 ***Diſtinctio, quæ rei naturam evertit, nulla eſt.***

Ratio; Quia diſtinctio debet notificare rem, non pervertere. Itaque modi diverſitas commentitia eſt & ſophiſtica, quando alter efficit contradictionem in adjecto, ſeu repugnat naturæ ſubjecti. Ita hic modus non diſtinguit, ſed implicat, &, ut eſt in proverbio, malum malo medicatur, cùm quidam dicunt, humanam Chriſti naturam eſſe omnipotentem non τῷ εἶναι, ſed τῷ ἔχειν; non οὐσίᾳ, ſed ἐξουσίᾳ, non κλήσει, ſed χρήσει. Nam præter id, quòd petit principium, evertit quoque ſubjectum ipſum, cui limitando adhibetur, ut docet Sadeël. Notetur ergò illud: Reſpectus

pugnantes

pugnantes cum naturâ & veritate rei, sunt somnia delirantium.

2 *Distinctio, quâ non tollitur res, sed modi & respectus rerum determinantur, vera est.*

Proinde & utilis cùm ad multorum axiomatum veritatem & falsitatem dijudicandam, tum ad multos sophismatum nodos dissolvendos. Rectè igitur philomela Germaniæ *Melanchthon lib. 4. dial. c. de distinctione* ait: Doctrina de distinctione est quasi quædam doctrina de rerum numeratione; & ostendit, quæ jungi, quæ divelli oporteat: quam, ut ita dicam, numerationem rerum necessariam esse omnes sani intelligunt. Hoc notare velim omnes illos nimis intelligentes, qui distinctionem, tanquam inane sophistarum artificium audent publicè traducere & juventuti exosam reddere. Ut autem primâ fronte legitimam distinctionem à sophisticâ discernere possis, respice ad tria *κριτήρια* bonæ distinctionis, videl. congruentiam illius cum naturâ rei distinguendæ & usu probatorum authorum, perspicuitatem, & carentiam nugationis; de quibus paulò antè diximus.

Distinctio realis est vel primaria, vel secundaria.

Primaria, est indicatio diversitatis in rebus inter se collatis.

Estq; vel rationis, vel rei.

Distinctio rationis est, quâ diversitas rationis ostenditur in rebus. **Distinctio rationis.**

Hâc de re ex professo tractat primus philosophus; sed Logicus assumit hanc doctrinam tanquam in metaphysicis probatam, & eam applicat suo instituto. Hæc dicitur realis, quatenus τὸ reale opponitur verbali.

Distinctio rationis est vel ratiocinantis, vel ratiocinatæ.

Distinctio rationis ratiocinantis est, quam ratio nostra ponit in re sine ullo fundamento reali:

Uti in columnâ distinguit inter dextrum & sinistrum. Dicitur alio nomine *distinctio pura*.

Distinctio rationis ratiocinatæ est, quam ratio nostra ponit in re invento fundamento reali in ipsâ re.

Estq; 1. *Formalis*; qualis est inter genus & speciem; ut inter hominem & animal. 2. *Virtualis*; qualis est inter res, quarum operationes differunt; ut inter justitiam Dei punientem & remunerantem, adeoq; inter reliqua attributa divina; item inter intellectum & voluntatem. Aliâs dicitur *distinctio rationis eminens*. 3. *Modalis*; qualis est inter modos entis tum ab ente tum ab aliis modis distinctos; ut inter bonum & ens, bonum & verum. Et huc etiam pertinet *distinctio gradualis*; ut lux matutina solis differt à meridianâ.

Distinctio rei.

Distinctio rei est vel ordinaria, vel extraordinaria.

Hæc etiam dicitur in specie *realis*, quatenus τὸ reale opponitur rationi.

Ordinaria est vel essentialis, vel accidentalis.

Essentialis est, quâ una res differt ab aliâ attributis essentialibus.

Estq; 1. *Generica*; ut inter hominem & cœlum. 2. *Specifica*; ut inter equum & hominem. 3. *Numerica*; ut inter Petrum & Paulum. 4. *Subjectiva*; ut cygnus & corvus differunt subjectivè: item albedo cygni & nigredo corvi.

Accidentalis est, quâ una res differt ab aliâ attributis accidentalibus:

Ut, quantitate, qualitate, motu, h. e. actione vel passione, & relatione. Sic gigas à pygmæo differt quantitate; Socrates ab idiotâ, qualitate; docens à lignatore, actione; æger à sano, passione; præceptor à discipulo, relatione.

Distinctio extraordinaria est inter personas SS. Trinitatis;

Quæ dicuntur differre suppositaliter, seu personaliter, non essentialiter.

Distinctio secundaria est determinatio rei.

Estq; exclusiva, exceptiva, & limitativa.

Exclu-

Exclusiva distinctio est, quâ res una ab aliâ distinguitur per particulam exclusivam: **Distinctio exclusiva.**

Ut, Solus Deus est à seipso; Solus homo est risibilis. Hîc τὸ esse à seipso, & risibilitas ita tribuuntur Deo & homini, ut ab omnibus aliis entibus excludantur.

Distinctio exceptiva est, quâ una res ab aliâ distinguitur per particulam exceptivam: **Distinctio exceptiva.**

Ut, Nullum animal præter hominem est risibile; nullum est organum manducationis naturalis nisi os. Hîc risibilitas negatur de omni animali, excepto homine; & manducatio naturalis removetur ab omni organo, excepto ore.

Distinctio restrictiva est, quâ res aliqua restringitur (*seu limitatur*) per particulam restrictivam. **Distinctio restrictiva.**

Et hæc dicitur *limitatio*: ut, homo, quâ animal sentit; homo, quâ ens creatum, est finitus. Vide hâc de re suprà *lib.6.cap.8.*

Cap.36. Interpretatio.

Interpretatio est altera syntheseωs totalis affectio, quâ thema obscurum illustratur.

Itaque debet esse clara, & congruere cum mente authoris. Hæc enim sunt duo criteria bonæ interpretationis.

Estque verbalis, vel realis.

Interpretatio verbalis, est explicatio vocis obscuræ; *sive vox sit simplex, sive conjuncta.* **Interpretatio verbalis.**

Ea perficitur manifestatione & remotione obscuritatis.

Manifestatio obscuritatis est indicatio causæ efficientis, à quâ oritur obscuritas vocis.

Causa efficiens obscuritatis est tum insolentia, tum ambiguitas vocis.

Insolentia est, cùm voces inusitatæ usurpantur,

quæ impediunt rerum intelligentiam,& judicium conturbant.

Aristoteles 2.topic.c.1. vocat παρέκβασιν τῆς κειμένης λέξεως, discessionem à positâ seu receptâ dictione.

Estq; quadruplex. 1.Ἀρχαϊσμός, imitatio vocabulorum antiquorum,quæ desierunt esse in usu:ut si quis dicat pertinaciari, pro pertinacem esse; amarobunda,pro amans;cruciarius, pro cruce dignus; fur pro servo; tyrannus pro rege; latro pro stipatore. 2. Καινοφωνία, novatio vocum,cùm vel prorsus novæ voces usurpantur, vel vocibus alioquin usitatis inusitata & nova significatio attribuitur: ut cùm *Bellarminus controversiâ 2. libr.5. capit.1.* ait, personalitatem Christi conjunxisse novo & mirabili fœdere divinam & humanam naturam. Ista enunciatio est obscura propter locutionem temerè novatam. Non enim personalitas, sed persona conjunxit naturas. *3.Barbarismus*, qui est vocis incondita tum formatio, tum pronunciatio: ut transsubstantiatio,consubstantiatio,ubiquetarius. *4.Solœcismus*,cùm vitium est in voce contra præcepta Grammatica:ut opus operatum,& illud in vulgatâ versione Latinâ *Hebr.13. talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hîc tamen cave confundas σολοικοφανὲς cum solœco seu solœcismo. Solœcismus est,si quis dicat; spero labores meos receptos iri, pro receptum iri; quatuor millibus coronatis auctior, pro coronatorum. Solœcophanes est apud Ciceronem in *epist.lib.9.* Quærebat ex me,num unum cœlum esset an innumerabilia,pro innumerabiles. Sic *epist.4. lib.10.ad Attic.* Multas à te accepi literas, uno die,omnes diligenter scriptas. Ea verò, quæ voluminis instar erat, sæpius legenda, sicut facio;in quâ non frustra laborem suscepisti.Dicendum erat,*ea*,scilicet literæ. Sed Cicero dixit *ea*;quia ejus cogitatio transiit à literis ad epistolam. *Matthæi 28. v.19.* dicitur, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς, pro αὐτά. Non est σόλοικον, sed σολοικοφανές.

Ambiguitas vocis est incertitudo **illius** secundùm acceptionem. *Vocem hîc accipe **generaliter**,quatenus est incomplexa,vel complexa.*

Estq;

Eſtq; vel homonymia, vel amphibolia.

Homonymia eſt ambiguitas vocis ſecundùm ſignificationem.

Eaq; oritur, vel ex multitudine ſignificationum; ut cancer: *vel ex ambiguâ vocis formatione, concernente tum orthographiam*; ut feritas & veritas: *tum proſodiam*; ut lépores & lepóres; *tum etymologiam*; ut hic & hæc populus.

Amphibolia eſt ambiguitas vocis ſecundùm ſenſum, *vocis, ſcil. complexæ.*

Eaq; oritur 1. Ex homonymiâ: ut, cancer eſt vivus, vel ſerpit. Intelligi enim poteſt vel animal, vel morbus ſerpens. 2. *Ex ambiguâ ſyntaxi*: ut,

Exiguum vidi leporem jugulare moloſſum.

Hæc enunciatio eſt ambigua propter ſyntaxin duplicem. Nam vel hic ſenſus eſſe poteſt, exiguus lepus jugulare poteſt moloſſum; vel, moloſſus jugulare poteſt exiguum leporem. 3. *Ex compoſitione vocum dividendarum*: ut, fides abſque bonis operibus juſtificat. Si voces *abſq; bonis operibus* conjungantur cum ſubjecto, falſa erit enunciatio. Nec enim fides eſt ſine bonis operibus. Si verò conjungantur prædicato, verum erit axioma. 4. *Ex diviſione membrorum conjungendorum*: ut *Act. 19. v. 4.* Johannes quidem baptizavit baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo ut in eum, qui veniebat poſt ipſum, crederent, h. e. in Chriſtum Jeſum. Qui verò audierunt, baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu. Hîc ſi poſterius membrum, *Qui verò audierunt &c.* referatur ad diſcipulos illos Epheſios, falſa fit oratio: at ſi pars ſit ſermonis Pauli explicantis, in cujus nomen Johannes auditores ſuos baptizaverit, tum vera eſt oratio. 5. *Ex vitiosâ pronunciatione*; quæ eſt vel unius vocis, vel ſententiæ integræ. Unius vocis: ut ſi dicas, Qui fovet res alienas fidei ſuæ commiſſas, bene facit; vera eſt oratio: at ſi dicas, Qui vovet res alienas fidei ſuæ commiſſas, bene facit; falſa eſt oratio. Sic cùm Paulus dicit; Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem devita; ſi *devita* pronuncies tanquam unam vocem, vera eſt ſententia; ſin verò diſtraxeris, *de vitâ*, falſa erit ſententia. Integræ ſententiæ vitioſa pronunciatio eſt, cùm

oratio ironica pronunciatur tanquam ſeriò prolata: ut *Matth.26. verſu 45.* ait Chriſtus ad diſcipulos: Dormite quod ſupereſt, & requieſcite. Hîc eſt ironia; ideoque pronunciatio erit attemperanda tropo. Videtur & hæc eſſe fallacia προσῳδίας, ſive accentus, cùm per vocis elationem emphaſis tribuitur voci ad quam non pertinet: ut cùm ſtentores quidam in pronunciandâ illâ ſententiâ, Hoc eſt corpus meum: attollunt vocem in verbo EST; dicentes, Chriſtus non dixit, Hoc SIGNIFICAT corpus meum: ſed dixit, Hoc EST, EST, EST, corpus meum. Item cùm adverſarii orthodoxæ doctrinæ de prædeſtinatione in pronuntiandâ ſententiâ illâ Paulinâ *Rom.11. v.32.* Concluſit Deus omnes in contumaciam, ut omnium miſereretur: vocem attollunt in voce OMNIUM; quaſi ſenſus ſit, Deum velle miſereri hominum omnium atq; ſingulorum, nemine excepto: cùm tamen emphaſis ibi ſit in verbo MISEREBITUR: & per nomen OMNES intelligantur ſoli ſalvandi, tam Judæi ſcilicet quàm gentes, de quibus utriſq; diſſeruerat; & ad quos reſpicit per articulum τοὺς: cùm dicit, τοὺς πάντας. Sic cùm Ubiquitarii in pronunciandâ illâ ſententiâ Chriſti, Ego ſum vobiſcum omnib. diebus &c. attollunt vocem in pronomine EGO, quaſi in illâ ſit emphaſis, quâ notetur Chriſtum nobiſcum eſſe ſecundùm utramq; naturam: quia ſcil. pronomen EGO utramque illam comprehendit.

Remotio obſcuritatis verbalis eſt, cùm cauſa, à quâ obſcuritas orta eſt, tollitur:

Ut cùm pro voce obſoletâ ſubſtituitur nova & uſitata; pro barbarâ, condita; pro ſolœciſmo, pura.

Interpretatio realis, eſt explicatio rei obſcuræ.

Interpretatio realis.

Ea perficitur ſimiliter, ut verbalis, manifeſtatione & remotione obſcuritatis.

Manifeſtatio obſcuritatis eſt indicatio cauſæ efficientis, à quâ oritur obſcuritas rei.

Eſtq; 1. Confuſio terminorum diverſarum diſciplinarum: ut, nō datur ſummum malum; datur ſumma malitia in Diabolo. Utrumq; eſt verum. Prius quidem de malo metaphyſicè conſiderato loquitur. Ita malū nihil eſt aliud quàm nonens. Et

ens. Et hoc ſenſu non datur ſummũ malum; ſed ſolummodò ſummũ bonum. Poſterius verum eſt de malo morali, prout Ethicus illud conſiderat. *2. Ignoratio ſcopi principalis, ſeu primaris intentionis*: ut ſi quis legat illud *Eccleſiaſtis primo*: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas; & hinc concludere velit, etiam verbum Dei & vitam æternam eſſe vana; contra ſcopum Salomonis erit iſta interpretatio. *3. Ignoratio cauſarum impelentium, quibus aliquis eſt motus ad hoc vel illud ſcribendum.* Sic interpretationem modò allati dicti Salomonici juvabit conſideratio cauſæ impellentis, quæ ipſum Salomonem movit ad hoc ſcribendum. *4. Contextus neglectio.* Ita ſi conferatur dictum modò citatum cum *verſu 3*, conſtabit de genuino illius ſenſu: *Quid emolumenti eſt homini ex toto labore ſuo, quo laborat ſub ſole? 5. Ignoratio limitationis*: ut, juſtitia civilis in impiis eſt peccatum. Hoc axioma eſt obſcurũ illis, qui limitationẽ illius ignorant, quæ talis eſt: juſtitia civilis in impiis eſt peccatum, ſcil. non per ſe, ſed per accidens. Sic *Iohn. 9. v. 31.* Deus peccatores non exaudit: hoc axioma, niſi limtetur, ambiguum eſt & obſcurum. Nam ſimpliciter negari videtur, quod ſecundùm quid duntaxat negatur. Hic igitur eſt ſenſus: Deus peccatores non exaudit, ſcil. in peccatis perſiſtentes & non reſipiſcentes. *1. Petr. 3. verſ. 21.* dicitur, Bapiſmus nos ſervat. Hæc enunciatio intelligi poteſt vel de cauſâ efficiente ſalutis, vel de obſignatione. Non debet autem accipi de efficiente, ſed de obſignatione; quia baptiſmus eſt ſacramentum, quo ſalutis certitudo nobis obſignatur. *Jo. 20. v. 23.* dicitur: Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hoc axioma non debet accipi de poteſtativâ, ſed miniſteriali remiſſione. Nam Apoſtoli & alii paſtores Eccleſiæ non remittunt peccata auctoritativè ſeu poteſtativè, uti cauſ. efficiens; ſed tantùm ut adminiſtri, per quos annunciatur in Chriſtum credentibus remiſſio peccatorum. *6. Collationis neglectus.* Collatio dicitur, quâ locus obſcurus cum aliis, iisq; vel ſimilibus, & clarioribus, vel diſſimilibus confertur. Ita ſi alicui illa verba Chriſti videantur obſcura: Hoc eſt corpus meum; conferat illa cum aliis, utputà illis apud Paulum: Panis, quem frangimus, nónne eſt communio corporis Chriſti; item cum aliis locutionibus ſacramentalibus. *7. Contemtus interpretationũ & interpretum.* Si quis

nimium ſibi arroget, ſeque ſolum lynceum putet, facilè fieri poteſt, ut in interpretatione alicujus loci obſcuri dormitet.

Remotio obſcuritatis eſt, quâ cauſæ, à quibus oritur obſcuritas rei, removentur.

Totidem igitur ſunt media, quibus perficitur interpretatio; quot fuerunt cauſæ obſcuritatis. Media illa ſeu principia bene interpretandi hoc diſticho complector:

Ars[1], *ſcopus*[2], *impellens*[3], *ſeries*[4], *reſtrictio*[5], *confer*[6],
Gloſſæ alia[7]. *Interpres hæc ſeptem expendere debet.*

Primum igitur principium rectè interpretandi eſt reductio thematis ad illam artem, ad quam propriè pertinet, ejusdemque ex principiis illius artis dijudicatio; *Secundum* principium eſt accurata conſideratio ſcopi primarii; *Tertium* conſideratio cauſarum impellentium ſeu occaſionis; *Quartum*, judicioſa conſideratio contextus ſeu connexionis antecedentium & conſequentium; *Quintum*, limitatio ſeu reſtrictio; *Sextum*, collatio cum aliis locis; *Septimum*, conſideratio interpretationum ab aliis doctis & probatis authoribus traditarum.

Cap. 37. Explicatio thematis ſimplicis.

SEquuntur ſpecies ſyntheſeως totalis, videlicet explicatio, & diſputatio.

Illa dicitur ab aliis geneſis *exegetica*, hæc *apodictica*. In utraque, ſi quid obſcuri occurrat, locum habebit tum diſtinctio, tum interpretatio.

Explicatio eſt, quâ thema ſimplex pluribus inſtrumentis adhibitis explicatur.

Hoc loco explicatio paulò aliter accipitur, quàm ſuprà factum fuit, ut è ſequentibus patebit.

Explicatio eſt vel axiomatica, vel methodica.

Expli-

Explicatio axiomatica est, quâ thematis simplicis natura explicatur per axioma principale. Explicatio axiomatica.

Axioma principale duobus modis hîc dicitur. Nimirum est tale axioma, quod præcipuum aliquod argumentum, vel plura disponit cum themate, sed ita ut tractatio argumenti illius vel argumentorum faciat ad institutum ratione loci, temporis & auditorũ. Exempli gratiâ: si dicendum sit de amicitiâ, potero illius naturam explicare è loco causæ efficientis principalis proximæ, quę est, unio animorum in virtute. Hinc surget tale axioma: Amicitiam veram efficit unio animorum in virtute. Hoc axioma explico ratione subjecti & prædicati. Thema priori loco statuo; videl. amicitiam veram, ubi paucis expendo vocabulum, itemq; determinationem subjecti. Pòst accingor ad explicationem argumenti, quod est unio animorũ in virtute. Hîc explico singula, quid sit unio, quàm divina res sit animus, quid denique sit virtus. Atque hęc exegesis axiomatica insignes habet utilitates. Accedit, quòd est admodum facilis. Nam oblato themate simplici, quæritur præcipuum aliquod ejus argumentum; dehinc axioma resolvitur in subjectum & prædicatum, & utrumque explicatur, thema quidem ratione nominis, & interdum ex definitione; argumentum autem ex pluribus locis inventionis.

Explicatio methodica est, quâ arguměta diversa thematis explicandi secundùm methodum doctrinæ inter se ordinantur. Explicatio methodica.

Eaque exigit 1. U*t argumenta verbalia primo loco ponantur, ita ut notatio, distinctio ambigui, & synonyma adferantur ordine.* Memoriæ causâ dicamus, paronymiam, homonymiam & synonymiam in vocis tractatione observandã esse. 2. U*t expositis argumentis verbalibus subjiciantur realia, hoc ordine. Agmẽ hic ducat definitio; hanc excipiat distributio; tum sequantur argumenta consentanea, dissentanea, comparata, orta & testimonium, vel singula, vel præcipua.* E. g. thema simplex sit fides. Primò nomen consideretur, & ejus *notatio*. Dicitur autem fides, quasi *fidices*, quia fiat id quod dicitur, hoc est, promittitur, teste Cicerone, ductâ notatione ab effecto. Post etymologiã consideretur *am-*

biguitas. Sumitur autem fidei nomen duobus modis; generaliter,& specialiter. Generaliter significat fidelitatem in officio. Specialiter usus ipsius duplex occurrit, politicus, & theologicus; & hîc accipitur variis modis; nunc pro professione externâ fidei, nunc pro zelo in religione, nunc pro veritate & justitiâ &c. & tandem pro fide salvificâ, ut hoc loco. *Synonyma* fidei salvificæ sunt *Emunáh*, πίστις, πεποίθησις, πληροφορία. Post expensum ita vocabulū suis etymologiis, ambiguitatibus & synonymis, accedatur ad tractationem realem. Hîc primo loco occurrit *definitio*, quæ potest esse talis: Fides salvifica est assensus fiducialis, quo homo electus promissionem gratiæ intellectam sibi adjudicat. *Distributio* est 1. In quasi partes, quæ sunt, lumen seu notitia in intellectu, & fiducia in corde. 2. In subjecta; quòd fides fuerit veterum ante Christū, & sit eorum, qui sub novo testamento vixerunt & adhuc vivunt. 3. In gradus; quòd alia sit infirma, alia firmior. *Causæ sequuntur. Finis* est respectu Dei, gloria misericordiæ; respectu nostri propinquior finis est justificatio; remotior est salus nostra. *Efficiens principalis* est Spiritus sanctus; *instrumentalis* est doctrina Evangelii, per quam fides & gignitur, & confirmatur, & usus sacramentorum, per quem fides confirmatur; προηγουμένη est beneplacitum Dei; προκαταρκτικὴ est meritum Christi. *Materia analogica* est assensus fiducialis. *Forma* est ipsa applicatio seu adjudicatio. *Effecta* fidei sunt varia. 1. *Quoad nos*; reddit nos Deo placentes; justificat; reddit nos certos de electione; unit nos Christo; pacat conscientiam; regit invocationem Dei; vincit hostes nostros, Satanam, mundum, carnem & mortē; impetrat nobis bona corporalia; sanctificat nobis omnia dona Dei, omnesque creaturas, ita ut etiam res naturâ suâ malæ conducant ad nostram salutem. 2. *Quoad alios*, erudit infideles, imbecilles roborat, proximi dilectionem excitat, aliis denique impetrat beneficia corporalia à Deo. *Subjectum recipiens* est tum intellectus, tum voluntas: *Objectum* est commune, verbum Dei; proprium seu determinatissimum est promissio gratiæ. Illud est velut circumferentia, ista velut centrum, ut ait magnus ille Melanchthon. *Adjunctum proprium est:* 1. Habere perpetuam relationem ad Christum. 2. Esse unam. 3. Non posse omitti. 4. Augescere, seu

re, seu

re, seu capere incrementum. *Antecedentia* sunt pœnitentia, & precatio, quæ præcedit augmentum fidei; *Consequentia* sunt eadem, diverso respectu; *Connexa* sunt spes, dilectio &c. *E dissentaneis sunt*: 1. *Diversa*; Fides & Spes. 2. *Contradicentia*; fides & infidelitas negativè accepta. 3. *Privantia*; fides & incredulitas privativè considerata. 4. *Contraria*; fides & desperatio, item hæsitatio, apostasia, fides implicita. *E comparatis sunt*: 1. *Paria*; Fides credentium in V. & N. T. 2. *Majora & minora*; fides & charitas; fides infirma & firmior. 3. *Similia*; Fides est veluti manus apprehensiva; est similis scuto & thoraci militari. 4. *Dissimilia*; fides salvifica non est similis fidei historicæ. *Ex ortis* sola conjugata, ut in tractatione hujus thematis simplicis, sic & in aliorum, sunt recensenda. Nam notatio in primo limine collocanda; genus in definitione; totum, partes, species in distributione considerantur. *Testimonium* vel admisceri potest reliquis topicis, vel unum atque alterum seorsim considerari. Et hæc est methodus tractandi thema simplex; quæ vulgò dicitur *methodus didascalica*, & interdum per quæstiones instituitur, ita ut in tractatione thematis simplicis quæratur 1. Quid significet nomen? 2. Quæ causæ? 3. Quæ effecta? 4. Quæ cognata? 5. Quæ repugnantia? &c.

Cap. 38. Disputatio solitaria.

Disputatio est collatio rationum syllogisticarum de problemate aliquo, veritatis cognoscendæ gratiâ suscepta.

Vulgò definitur colloquium mutuum, seu pugna ingeniorum discendi cupidorum, de aliquo problemate, ad veriorem de eo sententiam eruendam & stabiliendam. Verùm genus in hâc definitione est nimis angustum; quia restringitur ad disputationem sociam. Nos igitur substituimus commodius genus, quod & solitariæ & sociæ disputationi convenit.

Disputatio est vel solitaria, vel socia.

Disputatio solitaria est, cùm problema aliquod tacitè ipsi tractamus, adversario nullo instante.

Estque vel latior, vel angustior.

Disputatio solitaria latior.

Disputatio solitaria latior est, cùm problema propositum fusè tractatur.

Ejus partes sunt tredecim. 1. Theorema, seu constitutio certæ thesis. 2. Ἀφορμὴ, *occasio theorematis.* 3. τὸ διδόμενον, *datum*; quò pertinent præcognita ex naturâ subjecti & prædicati, quæ sunt in confesso apud utramque partem. 4. τὸ ζητούμενον, seu κρινόμενον, *quæsitum*; seu rectificatio status controversiæ, & remotio eorum, quæ non sunt in quæstione. 5. Ἔκθεσις τοῦ διδομένου, *explicatio dati.* 6. Ἔκθεσις τοῦ ζητουμένου, *definitio quæsiti per partes, si habeat.* 7. Κατασκευὴ, *præparatio ad demonstrationem.* 8. Ἀπόδειξις, *demonstratio*, si haberi possit. 9. Δεῖξις ἐξωτερικὴ, *demonstratio à testimonio*; item ἔμφυτος, *insita*, quæ ex aliis locis inventionis, quàm è loco causæ proximæ efficientis & finalis, effecti immediati & testimonii, petitur. 10. Ἀπαγωγὴ εἰς ἀδύνατον, *deductio ad absurdum.* 11. Συμπέρασμα, *conclusio.* 12. Πορίσματα, *consectaria.* 13. Ἀνασκευὴ, seu λύσις τῆς ἀπορίας, *refutatio*, seu *solutio dubiorum.* Appositione exempli hoc præceptum illustremus. Disputatur hodie in scholâ philologicâ, utra pronunciatio linguæ Græcæ sit melior, illáne, quæ dicitur Peripatetica, an verò illa, quam vocant Rameam?

I. *Theorema.*

Pronunciatio Græca, quam dicunt Rameorum, est antiqua & nativa.

II. *Theorematis propositi ἀφορμὴ, id est, occasio.*

Hodie in schola philologica controvertitur de germanâ & antiquâ quarundam literarum Græcarum pronunciatione. Quamvis enim benè multi hactenus probarint, novam illam pronunciationem, quam ita contemtim quidam vocant, & veteribus Græcis usitatam, atque ex ipsâ literarum naturâ & differentiâ æstimatam esse: attamen longè plures hanc pronunciationem repudiare, rusticam vocare, imò exibilare, è scholis deniq; profligare. Eapropter operæ precium erit, paucis demonstrare veram sententiam.

III. Τὸ διδόμενον, *datum.*

Esse aliquod inter literas alphabeti discrimen, in cõfesso est apud omnes, adeoq; extra controversiam est. Id enim facile

cilè probant diversæ illarum figuræ. Quorsum enim veteres sine manifestâ necessitate multiplicassent elementa?

IV. Τὸ ζητούμενον, *quæsitum.*

At verò non satis est, scribendo istam differentem literarum vim exprimere: sed multò magis in lectione atq; pronunciatione idipsum requiritur. Nam lectionis gratiâ scriptura est. *M. Andreas Helvigius in suis Etymologiis.*

V. Ἔκθεσις τοῦ διδομένου, *explicatio dati.*

Non autem est ambiguitas aut dubitatio de singularum literarum Græcarum pronunciatione. De quatuor duntaxat elementis maximè quæritur: videlic. β η ο υ: utrum ad vulgi morem & judicium pronuncianda sint, an secus. Neq; hîc quæritur, an illa pronunciatio, quâ dicunt *vita, thita, ita*, non sit addiscenda. Addiscenda enim est, propter eos, qui eam tenent arctè, & accuratè defendunt. Cum his enim nullus conversari poteris, si illorum pronunciationem ignores. Hoc igitur quæritur, utra istarum pronunciationum sit nativa & germana.

VI. Διορισμὸς τοῦ ζητουμένου, *definitio quæsiti.*

Dicimus igitur, quatuor istas literas ita esse pronunciandas, ut earum fert natura, ne scilicet cum aliis temerè commutentur, aut soni qualitate confundantur. Ut enim quælibet litera in scriptione peculiarem habet figuram: ita & in pronunciatione proprium sonum, qui sit ejus veluti forma & differentia specifica. Videlicet, ne β legatur ut f vel v; sed planè ad modum literæ b: η pronuncietur medio sono inter α & ε: quo fit, ut εα in η ferè coëant, & in augmentis verborum seorsim in η transeant, tanquam communem parentem: qualis sonus est τοῦ *tſeri* apud Hebræos: qualis etiam est τοῦ, e in Germanico ſchāme/ id est, *pudére:* quomodo autem ab ε tenuiore discrepet, arguit dictio Germanica ewig/ id est, *æternum.* Porrò ο μικρὸν, acutiore sono, in summis faucibus formato, proferatur: fermè ut ö Germanicum in röſten/ id est, *frigere*, vel *assare*, & tröſten/ *consolari.* Dico fermè: quia non omninò hoc modo efferri debet, ut ne ludibrium debeamus auditori. Et certè Græci non sine causâ dixerunt ο μικρὸν, id est, parvum & simplex: quia non solùm quantitate accentûs, sed sono quoque & certo pronunciandi modo ab ω μεγάλῳ differt. Denique υ conveniat cum u Gallico, ad i nonnihil vergente, contractis labiis quasi

strangulato spiritu efferendum: qualis sonus est in Germanico **glückwünschen**/ id est, *bene precari*, seu *gratulari*, item **übel** / *malè*.

VII. Κατασκευὴ, *confirmatio*, seu ad demonstrationem præparatio.

Axiomata hæc sunt ἀναντίρρητα:

I. Literas esse inventas ad exprimendas voces humanas. Voces autem humanæ non nisi certis ac inter sese discretis literis exprimi & repræsentari possunt. Itaque sicut scriptio est distincta, ita & lectio esse debet distincta.

II. Literarum Græcarum naturam & proprietatem judicandam esse tum ex Hebraicæ linguæ, tanquam matris, tum Latinæ, tanquam filiæ, elementis. Elementa enim Græca ex Hebræis enata, tum quoad sonum, tum quoad figuram; & Latina è Græcis.

III. Doctissimorum hominum judicium esse attendendum, & maximè priscorum.

VIII. Ἀπόδειξις, *demonstratio.*

Quę pronunciatio distinctionẽ literarum Gręcarũ exprimit, earumq; cum Hebręis & Latinis harmoniam, & deniq; veterum Gręcorũ vestigia insistit, ea est & nativa, & antiqua.

Atqui ea, quâ pronunciamus beta, non vita &c. hæc tria facit.

Est igitur & nativa, & antiqua.

IX. Δεῖξις ἐξωτερικὴ, *demonstratio precariò sumta.*

Apud Ælium Dionysiũ in Cratino legimus: ὁ δὲ ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει: *Fatuus iste perinde, ut ovis be be dicens incedit.* Jam verò sonus seu balatus ovium non est *vi*, sed accedit ad ε.

X. Ἀπαγωγὴ εἰς ἀδύνατον.

I. Si illud βῆ βῆ veteres legissent *vi vi*, sequeretur, aut balatum ovium olim fuisse alium, quàm hodie est, aut Ælium ignorasse suam linguam.

II. Si η pronunciandum est ut ι, non rectè Græci expresserunt Latina, φῆλιξ, φῆστος, & ληγᾶτος, quæ vox JCtis est usitata. Nam si quis pronunciet *filix*, *fistus*, *ligatus*, utique offendet latinas aures.

III. Si η & ι & υ eodem modo pronunciari debent, veteres literarum inventores insulsi fuerunt, quippe qui literas multiplicarunt sine manifestâ necessitate.

IV. Si inepta ista pronunciatio retinenda est, tanquam germana; maxima orietur in lingua Græca confusio. Nullum enim erit in pronunciatione discrimen

inter

Φίλον, *amicum*,	&	φῆλον, *impostorem.*
	&	φῦλον, *gentem.*
Ὄνον, *asinum*,	&	ὦνον, *pretium.*
Πόμα, *potum*,	&	πῶμα, *operculum.*
Κόμην, *comam*,	&	κώμην, *vicum.*
Μύλην, *molam*,	&	μήλην, *specillum.*

V. Si dicendum est *vita* & *ita*, dicendum etiam est *alphavitum*, non *alphabetum*.

VI. Si *eta* pronunciari debet ut *ita*, cur Aristoteles in Elenchis nullam fallacẽ conclusionẽ ex istis literis numeravit, cùm nihil possit frequẽtiùs occurrere, si vel duplicẽ uni literæ sonũ, vel contrà duas plurésve uni sono literas tribueris.

X I. Συμπέρασμα, *conclusio.*

Quapropter certum est, hanc, quam ostendimus, pronunciationem

1 Esse germanam & nativam.

2 A veteribus usurpatam fuisse, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

X I I. Πορίσματα, *consectaria.*

Quæ quum ita sint, sequitur:

I. Literas illas β ζ η θ μ ν ο τ υ, non efferendas esse vulgaribus illis corruptis vocibus, sed eo modo, quem ipsa elementa, quibus appellatio singulorum constat, exigunt.

II. Diphthongos neque inter sese, neque cum vocalibus confundendas esse: ut

αι } η } cum η.

ει } οι } cum ι.

αυ } ευ } cum { αφ, εφ }

ᾳ } cum { α
ῃ } cum { η

ῳ cum ω

III. Neque π post μ pronunciandum esse ut Latinorum b : neq; τ post ν pronunciandum esse ut δ: ut videre est in vocibus συντήρησις, ἡ ἐντελέχεια: pro quibus quidame Grammatici & scribunt & legunt synderesis, & endelechia.

XIII. Λύσις τῶν ἐπιχειρημάτων, seu ἀνασκευή, *Refutatio.*

I. Olim docti viri pronunciarunt ita, ut & hodie. Resp. 1. Multitudo errantium non parit errori patrocinium. 2. Multi docti viri vident, istam pronunciationē esse adulterinam, ideoq; eam aversantur. 3. Multi docti viri vident esse adulterinam, & tamen nihilominus retinent, quia usui ceu tyranno & consuetudini inveteratæ coguntur obsequi.

II. Ipsi homines Græci nati ita pronunciant, & fatentur sibi inauditam esse hanc pronunciationem novam. Resp. Literæ ab illis migrarunt, & ubivis nunc rectiùs excoluntur, quàm apud ipsos. Quis etiam nescit, regulam pronunciationis nullo modo esse vulgus ignobile?

III. Vulgaris & usitata lectio suavior est & facilior. Resp. 1. Si est facilior, non ideo statim melior. Nam τὰ καλὰ δύσκολα. 2. Suavitas non est ex corruptâ & auribus familiari consuetudine, sed ex incorrupto & germano literarum sono æstimanda.

IV. Hebræi nomen proprium David scripserunt per Vau : quod LXX interpretes expresserunt per Græcum β. Resp. Necessitas non habet legem. Sicut enim Græci non possunt exprimere jod Hebraicum : ita nec vau. Non ergo sequitur : LXX Vau Hebræorum expresserunt per β. Ergo β legendum est ut v. Sed hoc sequitur: Ergo est quædam convenientia inter β & v. Sunt enim ejusdem organi, videlicet *labiorum.*

V. Apud Thucydidem legitur, Atheniensibus responsum olim datum fuisse hoc versu:

Ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ.

Ibi diu fuit dubitatum, λοιμὸς ne an λιμὸς significatus

fuisset:

fuisset: donec sævissima pestis Attica tandem oraculum exponeret. Quod si pronunciatio distinxisset λοιμὸν à λιμῷ, non extitisset tanta ambiguitas. Resp. 1. Apollo, λοξὸς ille cognominatus, hunc versum submurmuravit, ita ut planè intelligi non potuerit. 2. Si maximè τῶν χρηματιζομένων aures probè percepissent, fideli quoque aliis postmodum relatione factâ; fieri tamen poterat ob temporis longinquitatem, ut à patribus acceptum è memoria posteritatis efflueret, ac varietatem dissensionemque vocis induceret.

VI. Hebræi pronunciant *beth* ut *f*, si non sit dagessatum. Ergo & Græci sic pronunciabunt suum β. Respond. Negatur antecedens. Nam vulgus Judæorum nostrorum aliter pronunciat quædam Hebraica, quàm olim factum fuit. Imò Judæi Germani aliter legunt, aliter Itali. Trahunt scilicet aliquid vitii ab iis gentibus, quibus cum vivunt. Ita quòd ב pronunciatur ut *f*, & sic Græcorum β, ex recentiore Gothismo ortum est. Non igitur consuetudo est mensura & norma pronunciationis, sed rectà ratio, quæ talis. Ea pronunciatio est vitiosa, quæ pluribus characteribus unum & eundem sonum tribuit. Nam minimè debet dubitari, quin figurarum varietas ob varietatem soni sit introducta. A supervacaneis enim natura abhorret, quæ brevem viam sequitur. Et naturam ars sequi debet. Distincta ergo figura distincti soni est index, aut stultè inventores literarum in accumulandâ characterum varietate luxuriarunt. Quòd autem *Beth* Hebræorum etiam *raphatum* legendum sit ut *b*, arguunt nomina propria, *Abel*, *Bethlehem*, & consimilia. Quòd Græci non pronunciarint, *patir*, *mitir*, *ithici*, arguunt nomina Latina, *pater*, *mater*, *ethica*, sive *ethice*.

VII. Sæpe Latini β Gæcorum expresserunt per *v*. Ergo ita legendum est. Resp. Hoc arguit συμβολισμὸν literarum. Ita à Græco βαδίζω, est Latinum *vado*, à βορῶ, *voro*.

VIII. Argumentum est ovillum, si quis alleget τὸ *be*. Et incertum est, num *be*, vel *me* balent oves. Resp. Hic non quęritur, an oves *be* vel *me* sonent, sed an *i* sonent. Verùm enimverò etsi intersit plurimùm, scire veræ pronunciationis apud Græcos rationem: dandum tamen hoc est receptæ consuetudini hodiernæ, ut etiam legere discamus ut alii, ut scilicet

cum aliis conferre ſermones, ſi opus ſit, diſcamus. Atque hic eſt modus, quo ſtudioſi Logices informabunt diſputationes ſolitarias latiores.

Diſputatio ſolitaria anguſtior.

Diſputatio ſolitaria anguſtior eſt, quando problema breviter tractatur.

Ejus partes ſunt: 1. Expoſitio problematis; quâ partim ipſa quæſtio proponitur, partim præcognita ex parte ſubjecti & prædicati adferuntur. *2. Conſtitutio certæ theſis*; quando ponitur pars affirmativa vel negativa. *3. Propugnatio, ſeu confirmatio, theſews*; ex argumentorum locis, ſyllogiſticâ formâ adhibita. *4. Impugnatio theſews*; quâ argumenta adverſæ partis adferuntur in medium. *5. Defenſio*; quâ refutantur objectiones adverſarii. *6. Collectio poriſmatum*; quando ex theſi probatâ conſectaria quædam inferuntur, vel per ſubſumtionem, vel per converſionem, quibus falſitas ſententiæ adverſarii illuſtrior redditur. *Quòd ſi velis, vel fortè opus ſit, magis anguſtior ſeu contractior diſputationis ſolitariæ modus poteſt eſſe, cujus tres ſint partes. 1. Expoſitio problematis. 2. Ejusdem in utramque partem diſceptatio*; quando argumenta pro theſi tum affirmante, tum negante in medium producuntur ad excitandam dubitationem. *3. Deciſio*; quâ veritas problematis determinatur, partim certæ theſis approbatione, partim argumentorum contrariorum refutatione. In triplici hoc modo diſputationis ſolitariæ obſervabis elegantem proportionem. Sicut enim modus ſecundus ſex conſtans partibus, eſt quaſi media pars primi modi, qui abſolvitur tredecim partibus: ita modus tertius conſtans tribus partibus, eſt media pars ſecundi. Sed nunc videamus exempla modi ſecundi & tertii.

Exemplum primum diſputationis ſolitariæ anguſtioris.

I. Expoſitio problematis.

Quæritur in Logicis, *An definitio ſit terminus ſimplex, an verò complexus? Præcognita ex parte ſubjecti ſunt*, 1. quòd hîc non intelligatur definitio nominis, ſed rei; & ea quidem, quatenus non ſumitur latè, ita ut comprehendat ipſum de-

ipsum definitum; sed strictè, quatenus intelligitur explicatio definiti. 2. quòd definitio constet ex duobus terminis, qui sunt materiale, & unione terminorum, tanquam formali. 3. quòd finis definitionis sit affirmatio, non enunciativa, seu axiomatica, sed topica, quam diximus affectionem argumenti. *Præcognita ex parte prædicati sunt*: 1. quòd terminus simplex consideretur extra omnem dispositionem. 2. quòd terminus complexus non statim sit axioma.

II. Constitutio certæ thesis.

Præmissis præcognitis ponimus talem thesin: *Definitio non est terminus simplex, sed complexus*: & limitamus hunc in modum, ut diximus in præcognitis; non tamen est axioma, seu propositio.

III. Confirmatio theseωs.

Argum. 1. ex parte subjecti: Cujus finis est, explicare rem ratione convenientiæ & differentiæ, id est terminus complexus. At hic est finis definitionis. Ergò definitio est terminus complexus. Probatur major: Ubi sunt duo termini, ibi est complexio quædam. Et hoc est argumentum à fine definitionis.

Argum. 2. ex parte prædicati. Terminus simplex unicum conceptum menti repræsentat. At definitio unicum conceptum menti non repræsentat. Ergò definitio non est terminus simplex. Major est canon Logicus. Minor probatur: quia in definitione est duplex conceptus, unus est communitatis, alter proprietatis.

IV. Impugnatio theseωs.

1. Quod rem simplicem definit, est terminus simplex. At definitio rem simplicem definit. E. est terminus simplex. 2. Si definitio nõ est terminus simplex, est integra propositio. Sed non est integra propositio. E. est terminus simplex.

V. Refutatio objectionum.

Respondetur ad primam objectionem, quòd in majore sit elenchus definitionis termini simplicis, qui sic est definiendus: Terminus simplex est, qui extra omnem dispositionem consideratur. Jam subsumo: At definitio non est talis; quia est συμπλοκὴ generis & differentiæ. Sanè negari non potest, genus & differentiam esse duos termi-

nos ſimplices. Neque hoc poteſt negari, in definitione conjungi illos terminos.

Ad ſecundam objectionem reſpódetur negatione conſequentiæ. Nititur enim falsâ hypotheſi, quòd omnis terminus complexus ſit axioma; cùm tamen res ipſa aliter nos jubeat philoſophari, videlicet hunc in modum. Terminus eſt vel ſimplex, vel complexus: & hic eſt vel ſemiplenus, vel plenus; quæ poſterior diſtributio omnino eſt neceſſaria. Sic in definitione eſt complexio termini & termini, ſed ſemiplena, ſeu nondum axiomatica. Hîc latè accipimus vocabulum termini, non opponimus axiomati, ut ſuprà fecimus. Vide *lib.6.cap.1.*

V. Conſectaria.

Stat igitur noſtra theſis: *Definitio non eſt terminus ſimplex, ſed complexus.* Ergò. 1. Definitio non ſimpliciter unum menti repræſentat, ſed ſecundùm quid. 2. Nulla definitio eſt propoſitio. 3. Definitum eſt relatum definitionis, non pars illius.

Exemplum ſecundum diſputationis ſolitariæ anguſtioris.

I. Expoſitio problematis.

Eſt ardua quæſtio: *An proprietates unius ſubjecti poſſint communicari cum ſubjecto alio realiter diverſo?* Hæc quæſtio maximum habet uſum in diſputationibus Theologicis de perſona Chriſti.

II. Diſceptatio problematis in utramque partem.

Affirmativam ſuadent hæc argumenta. 1. Calor ſummus eſt proprium ignis. Et hic communicatur cum ferro. Ergò. 2. Loquela eſt proprium hominis. At hæc communicatur cum pſittaco. 3. Chriſti corpus eſt ubique. Ergò proprietas Dei communicata eſt cum ſubjecto realiter diverſo. Antecedens probat unio perſonalis. 4. Inſignes Theologi & Philoſophi ſic ſtatuunt, quos faſtidiosè deſpicere non decet virum bonum.

Negativũ ſuadent hæc argumenta. 1. Quod implicat contradictionem, & evertit naturã rerum, id falſum eſt. At proprium di-

prium dicere esse commune, implicat contradictionem &c. 2. Proprium est aliquid παρεπόμενον τῇ φύσει, & est effectum formæ. E. forma unius speciei cum alio cõmunicatur, quod ἄτοπον. 3. Paucis illis patronis sententiæ affirmativæ opponimus innumeros, qui negativam defendunt.

III. Decisio problematis.

Argumenta pro parte negativâ sunt firma & ἄλυτα: at partis negativæ argumenta nihil ponderis habent. Nam in primo est falsa minor. Vide *Scalig. exerc. 12. s. 3.* In secundo itidem. Nam psittaco loquela convenit quâdam similitudine, non autem formale loquelæ humanæ. In tertio est petitio principii. Nam argumenta pro sententiâ affirmativâ solent adferri, ut probetur illa conclusio, quæ hîc pro argumento adducitur. Ad extremum commissus est elenchus non-testimonii ut testimonii.

Cap. 39. Disputatio socia.

Disputatio socia est, in quâ sunt duæ partes, una opponentis, altera respondentis. **Disputatio socia.**

Ejus leges communes sunt:

1 *Ad disputationem afferatur bona intentio, quæ non inanem gloriolam, sed illustrationem veritatis quærat.*

2 *Animus sit purus ab omni præjudicio.* Præjudicium autem est præconcepta opinio, quam aliquis mordicùs defendere sibi proponit, etiamsi rationibus convincatur.

3 *Opponens & respondens conveniant in certis præcognitis principiis.* Absque hoc si fuerit, inanis erit omnis disputatio.

4 *Perspicuitas & brevitas in opponendo & respondendo servetur.* Itaq; utraq; pars se astringat ad leges seu carceres syllogisticos, & vitet apparatum declamationum oratoriarum. Hoc nisi fiat, veritas non eruetur disputando, sed obruetur & amittetur altercando; ut eleganter ostendit magnus ille disputator theologus *Antonius Sadeel in præfat. operum theolog.* Aristoteles hujusmodi disputationem vocat ἀγωνιστικὴν *8. top. cap. 5.* quæ non digna est pulchro hoc nomine; quâ tamen hoc nostro eheu seculo, potissimũ in theo-

logicis, nulla aut eſt frequentior aut nocentior; concertatio nempe ſophiſtica ingeniorum ſuperbè contentioſorum, quâ unusquisque ſuam ſententiam omnibus modis conatur defendere verioremque evincere, & adverſarium errorum maximorum convincere, vel cum veritatis oppreſſione, & quaſi jugulatione. Hanc igitur à pueris odiſſe diſcant ingenua ingenia. Cæterùm disputatio, quoad finem & perſonas disputantes, alia ſimplex eſt, alia mixta; ut colligitur ex *8. topic. cap. 5. & 1. ſophiſt. elench. cap. 2.* Simplex rurſus eſt examinatoria, vel exercitatoria; quarum illa διδασκαλικὴ, hæc σκεπτικὴ philoſopho dicitur. Examinatoria disputatio eſt præceptoris cum diſcipulo, ad hujus profectum in ſtudiis explorandum: num videlicet dextrè tradita dextrè acceperit, & veram ſententiam contra falſam tueri poſſit. Poteſt etiam vocari διάλεξις πειραστική. Exercitatoria disputatio eſt commilitonum in ſcholis, quâ ſua, mutuo quaſi conflictu, exercent ingenia, ad verum in rebus ſcitu dignis clariori mentis lumine (id enim hâc quaſi vibratione excitatur, ut clariùs fulgeat) perſpiciendũ. Mixta ex his duabus eſt disputatio ſociorum ſub præſide docto & gravi. De hâc nobis hoc loco ſermo eſt. Ea autem maximè eſt neceſſaria; quia partim ἀγχίνοιαν, *promtitudinem mentis in perſpiciendo vero*, partim δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, *facultatem ſenſa animi proferendi*, conciliat iis, qui ſubinde ſe exercent disputando.

Disputationis ſociæ conſiderantur objectum & cauſæ efficientes.

Objectũ disputationis eſt problema, quod probabiliſſimum vel verum neceſſariò reſpondens ſeu defendens eſſe exiſtimat.

Dicitur thema, vel theſis, hoc eſt, ſententia, quæ ponitur aut ſtatuitur eſſe vera: cujus reſpectu reliquæ de eodem ſententia ſunt ejus antitheſes, ſive oppoſitæ theſes. Latiùs igitur accipi ſolet θέσεως vocabulum, quàm apud Ariſtotelem in topicis: ubi dicuntur disputatores aliquid θεῖναι, *ponere*, quod verum eſſe nequaquam aſſeverabant (aſſeverare enim apud philoſophum eſt demonſtratoris, non Topici aut Dialectici disputatoris) ſed tamen tanquam verum

verum aut saltem verisimile esset, disputando defendere parati erant. Non hoc sensu accipimus vocabulum vel theseωs, vel disputationis; sed thesin dicimus quamlibet assertionem ad disputandam propositam, & disputationem non opponimus demonstrationi. Hinc diximus, problema disputationis esse vel necessariò verum, vel probabilissimum ei, qui proponit. Nam si occurrant duæ, tres vel plures sententiæ de aliquo problemate, falsa rejicienda, probabilis accipienda; & si multæ sint probabiles, probabilior vel probabilissima pars defendenda: ut, sitne virtus summum hominis bonum morale quoad ἕξιν, vel quoad ἐνέργειαν? Hîc alii existimant, quòd sit tam quoad ἕξιν quàm quoad ἐνέργειαν; alii quòd secundùm ἕξιν tantùm. Prior sententia est probabilissima. Itaque ad defendendum suscipienda est.

Causæ efficientes disputationis sunt Opponens & Respondens, seu defendens.

Opponentis seu interrogantis officium continetur his canonibus: Officium opponētis.

1 *Statum controversiæ rectè cognoscat.*

Hoc nisi faciat, inanis erit tota disputatio.

2 *Quæstionis extrema deducat per locos inventionis, & habeat delectum argumentorum.*

Delectum argumentorum habere, est artificialia ab inartificialibus & necessaria à contingentibus distinguere, eademque pro re natâ prudenter miscere. Observa, locos inventionis vocari non solùm argumenta, sed etiam maximas, singulis argumentis additas, itemque in loco de syllogismo necessario & contingenti positas.

3 *Partem syllogismi principalis negatam prosyllogismo probet.*

Hîc nota, quosdam distinguere inter prosyllogismum & prossyllogismum. Prosyllogismū vocant rationem aliquam, quæ syllogismo principali præmittitur ad præmuniendum, hoc est, ad firmiorem & evidentiorem reddendum syllogismum principalem deinceps proponendum: ut si quis

in disputatione principali syllogismo præmittat dictum scripturæ, vel legem, vel canonem aliquem, quibus contineatur majoris vel minoris præmunitio. Verbi gratiâ: Si quis argumentans contra thesin aliquam dicat: *Oppono huic thesi locum Scripturæ, vel legem, vel canonem, & hinc sic argumentor &c.* Similium locutionum similis est ratio, est canon Logicus. Similes autem locutiones sunt: *Circumcisio est fœdus*; *Agnus est transitus*; *Christus est pascha*; & *ista, Panis est corpus Christi*; *Calix est novum fœdus*. Nam in omnibus istis nomina rerum signatarum tribuuntur signis. Sunt autem tres priores sacramentales & metonymicæ. Ergò etiam duæ postremæ sunt sacramentales & metonymicæ. Item si syllogismus, vel enthymema, proferatur, & ei aliquid attexatur *per consequens*, duo syllogismi sunt conjuncti, quorũ prior est prosyllogismus, posterior principalis syllogismus. Quò pertinet usitata regula, nobis etiam suprà laudata: *Quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur & ad antecedẽs*: ut, Omnia officia politica sunt concessa Christianis. Judicia sunt officia politica. Ergò judicia sunt concessa Christianis: & per consequens, litigare in foro concessum est Christianis. In hoc exemplo quæstio est, An litigatio forensis concessa sit Christianis? Affirmatur hoc argumento; quia judicia sunt concessa Christianis. Syllogismus igitur principalis est: Si judicia sunt concessa Christianis, tum & litigatio forensis. Antecedens est. Ergò & consequens. Assumtum probatur syllogismo illo, qui ante principalem syllogismum fuit positus, quemque vocavimus prosyllogismum. At prosyllogimus est ratio postposita syllogismo principali. Quòd si præmissa aliqua prosyllogismi itidem probetur, vocatur ea probatio *Epilogismus*; ac rursus probatio præmissæ alicujus in epilogismo appellatur prosepilogismus. Cæterùm prossyllogismos multiplicare poteris juxta sequentes leges. *1. Propositio syllogismi alicujus probanda est vel simplex, vel connexa. 2. Propositio simplex probatur vel testimoniis, vel rationibus petitis tùm ex locis causæ, effecti &c. tum ex canonibus atque axiomatis. Testimoniis*; cùm præmissa in testimonio, quod allegatur, continetur vel totidem verbis, vel æquipollentibus: ut, Quidquid in Ecclesiâ usurpandum est, ad communem ædificationem

ficationem fidelium facere debet. Sermo non intellectus, ad communem ædificationem fidelium non facit. Ergò sermo non intellectus, non est in Ecclesiâ usurpandus. Major propositio probatur ex præcepto Pauli *1. Cor. 14. vers. 12. & 26.* Minor probatur ex ejusdē capitis *v. 6. Rationibus*; cùm medium invenitur ex alterutro extremo; ut, Regula non accipit authoritatem à regulato. Sacra Scriptura est regula Ecclesiæ. E. suam authoritatem non accipit à regulato. Major propositio suâ luce claret. Minor probatur: Quo regitur fides, & omnis actio Ecclesiæ, id est regula Ecclesiæ. At sacrâ Scripturâ regitur fides & omnis actio Ecclesiæ. E. Sacra Scriptura est regula Ecclesiæ. Minor posset etiam probari ex illo axiomate: Authoritas major, est regula minoris. At Scripturæ authoritas est major, & Ecclesiæ minor. E. Probatur minor: Authoritas probans est major probandâ. At Scripturæ anthoritas est probans: quia authoritas Ecclesiæ ex authoritate Scripturæ probatur. *3. Propositio connexa tribus modis probari potest. Primus modus.* Medium probationis disponitur cum partibus propositionis connexæ, & fit alius connexus: ut, Si sermo ille erat in principio creationis rerum omnium, tum est naturâ Deus. At prius est. E. & posterius. Propositionem connexam negat Samosatenianus. Ea sic probatur: Si sermo ille erat in principio creationis, est æternus. At erat in principio creationis. E. æternus, & per consequens, verus Deus. *Secundus modus.* Consequentia propositionis connexæ demonstratur reductione syllogismi connexi ad simplicem: ut, Si anima hominis est ex traduce, est mortalis. Sed posterius absurdum. E. & prius. Propositionis connexæ consequentia probatur per reductionem ad syllogismum simplicem, hoc modo: Omne quod est ex traduce, est mortale. Anima hominis est ex traduce. E. anima hominis est mortalis. *Tertius modus.* Ad probandam consequentiam allegatur testimonium: ut, Si Christus non amplius effundit sanguinem suum, tum non potest amplius in Missâ pro peccatorum remissione offerri. Verum est illud. E. & hoc. Probatur consequentia: quia absque sanguinis effusione non fit remissio. *Heb. 9. v. 22.* Hinc talis syllogismus: Si absque sanguinis effusione non fit remissio; tum sequitur, si Christus non amplius effundit suum sanguinem, cum

non posse in Missâ ampliùs pro peccatorum remissione offerri. Illud est verum. Ergò & hoc. Item: Si fides nostra est posterior electione nostri ad vitam æternam, non est causa efficiens seu meritoria, propter quam electi sumus. Verum est primum. E. & secundum. Probatur connexum ex illo canone: *Causa efficiens non est tempore posterior effectu suo.*

4 Opponens examinet datam responsionem.

Examen responsionis sic institui debet. 1. Consideret opponens, num respondeatur directè, vel indirectè. Directè respondetur, si videl. respondeatur ad formam, vel materiam, vel ad utramq;. 2. Quòd si adversarius nec ad formam, nec ad materiam, sive partem aliquam respondeat, nullamq; nominet fallaciam; opponens dicat, eum nihil respondisse, utcunque multa garriverit; ideoque non sollicitus sit de instantiâ ad solutionem, sed hoc urgeat, ut respondeat ad partem. Si tergiversetur, habebit illum pro victo, & appellabit ad judicium auditorii, & ostendet, illum vel in genere respondere ea, quæ sint ἀπροσδιόνυσα; vel irridere objectionem; vel vagari extra terminos. 3. Si verò nominata fuerit fallacia, opponens perpendat, an nominetur in formâ, an verò in materiâ. 4. Si in formâ nominetur, examinet syllogismum secundùm leges syllogisticas, tum generales, tum speciales. 5. Si solutio detur ad materiam, opponens attendat, utrum detur ad conclusionem, an ad præmissas. 6. Si ad conclusionem detur responsio, erit vel ostensio ignorationis elenchi, vel ostensio plurium quæstionum sumtarum pro unâ. 7. Si dicatur esse ignoratio elenchi, exigat canonem legitimæ oppositionis, in quem peccet sua conclusio. 8. Si dicatur, esse plures quæstiones, jubeat sibi illas ostendi. Quòd si defendens illas ostendere non possit, solutio nulla data est. 9. Si verò respondeat ad præmissas, respondebit vel ad verba, vel ad res in præmissis. 10. Si respondeat ad verba, respondebit vel ad simplicia, vel ad composita. 11. Si respondeat ad verba simplicia, & queratur ea esse ambigua, opponens dicat, se accipere in hâc vel illâ significatione. Quòd si respondens afferat homonymiam & varias significationes esse dicat, exigat ab eo locos probatorum authorum. 12. Si verò respondeat ad verba composita, seu phra-

seu phrasin, examinetur interpretatio phraseωs istius. 13. Si respondeat ad res, respondebit vel negando, vel rationem consequentiæ exigendo, vel deniq; distinguendo. 14. Si respondeat negando, videat opponens num neget manifesta, vel minùs manifesta. 15. Si neget manifesta, postuletur ratio, cur tam manifestam propositionem neget: quam si dare non possit, urgendus est argumentis ad absurdum ducentibus. 16. Si verò neget minùs manifesta, probetur præmissa negata. Utplurimum autem negatur minor. Nam major ferme est axioma generale; minor autem, particulare. Particularia autem magis obnoxia sunt dubitationi, quàm universalia. Si tamen negetur majoris universalitas, opponens dabit instantiam postulativam, h. e. petat sibi dari exemplum, per quod majoris universalitas infringatur. Quòd si defendens nullam exceptionem dare possit, judicatur esse victus. 17. Porrò si respondens neget consequentiam, opponens statim det rationem consequentiæ. 18. Si respondeat distinguendo, seu limitando, opponens sciat difficile esse dare instantiam ad istiusmodi solutionem. Examinet igitur illam distinctionem secundùm requisita limitationis, num sit perspicua, non-nugax, non-contradictoria; itemq; ipsius species, num sit limitatio generalis, vel specialis: &, si specialis, num uniformis, vel biformis: &, si biformis, num generica, partialis, vel accidentalis. 19. Ad extremum si indirectè respondeatur, respondebitur vel ad personam, vel ad rem. 20. Si ad personam, respondebitur vel increpatione, vel objectione criminis. Ibi opponens ostendat, se non disputare contra pietatem, vel honestatem; hîc purget se & amoliatur crimen sibi objectum. 21. Si indirectè ad rem respondeatur, respondebitur vel per retorsionem, vel fortioris argumenti prolationem, vel per comparationem cum similiter absurdo, vel per ostensionem contradictionis, vel per paris aut majoris authoritatis oppositionem. Hîc opponens ostendet, rem ita se non habere, ut adversarius dicit: videlicet retorsionem nullam esse contradictionem nullam &c. Ad extremum opponens acquiescet in solutione, quam veram esse agnoscit.

Respondens est alius inferior, alius superior.

Officium illius conſideratur vel communiter, vel ſingulariter.

Officium reſpondentis communiter ſpectatur in disputatione tum ſcribendâ, tum habendâ.

Ratio ſcribendi disputationē.

Diſputationis ſcribendæ leges ſunt: 1.Reſpondens videat, num ſcribenda ſit disputatio ſimplex,vel miſcella. 2.Si ſcribenda ſit disputatio ſimplex,conſideret num theorematicè, vel problematicè ſit ſcribenda. Dicitur autem disputatio ſimplex,quâ quis locum certum alicujus diſciplinæ ſibi tractandum ſumit. 3.Theorematicè ſeu aphoriſtiκῶς ſcribitur disputatio per definitiones, distributiones & regulas:ut de creatione,de prædicamentis. 4.Problematicè ſcribitur disputatio per quæſtiones,è quibus præcedent quæ generaliores: id quod cognoſci poteſt, ſi quæſtiones proponantur juxta ſeriem præceptorum. e. g. ſi in loco de Eccleſiâ prima quæſtio ſit de nomine;ſecunda de definitione;tertia de distributione &c. 5.Disputatio miſcella dicitur,quæ complectitur vel theoremata & problemata ſimul de unâ materiâ, vel theoremata aut quæſtiones è variis diſciplinis, vel denique varia theoremata aut problemata ex unâ aliquâ diſciplinâ.

In habendâ disputatione reſpondentis partes ſunt,aſſumere argumenta & afferre ſolutionem.

Aſſumtio argumēti rectè inſtituetur,ſi reſpondens cum honoris præfatione,fideliter iisdem verbis & eodem partium ordine ſyllogiſmum ab opponente objectum repetat.

Solutio eſt ſophiſtica,vel vera.

Solutio ſophiſtica quæ ſit?

Solutio ſophiſtica eſt, quâ vitium argumentationis apparenter oſtenditur: *unde & apparens dicitur*.

Hanc cognoſcet reſpondens,non ut illam in disputatione aliquâ adferat,ſed ut fugiat.

Ea fit quinque modis. Eſt enim

1 *Generalitas reſponſionis*; cùm aliquid in genere dicitur,quod

tur, quod non facit ad rem. Tunc dicimus, οὐδὲν πρὸς θέσιν, οὐδὲν πρὸς ἔπος, οὐδὲν πρὸς διόνυσον· quibus formulis etiam utimur, quando conclusio non facit contra thesin. Sic si pro veritate corporis Christi argumenter: Si corpus Christi idem est in coelo, quod pependit in cruce, est loco circumscriptum. Atqui est idem. Ergò. Si adversarius hîc multis declamitet de Dei omnipotentiâ, & glorificatione corporis Christi, erit generalitas responsionis.

2 *Aliena fallacia, quæ in syllogismo non est, allegatio:* ut, Si quis dicat esse fallaciam accidentis commissam, quando est fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, vel contrà. v. g. Quod bella ciet, malum est. Evangelium bella ciet. Ergò malum est. Si quis dicat esse fallaciam à dicto secundùm quid, sophistica est solutio: cùm sit fallacia accidentis.

3 *Irritatio ad iram*; quâ sophistæ, Theonis, Archilochi & Bionis progenies, solent opponentem exsibilare, cùm ex re parum subsidii habent. Imò sæpe plus quàm Fescenninâ licentiâ in personam invehuntur.

4 Ἐξουθενισμός, *irrisio objectionis*; quâ sophistæ rationes firmiores, quàm ut ullâ parte labefactari & infringi possint, irrident.

5 Παρέκβασις & ἀπαγωγὴ, *excursio & abductio à scopo.* Hoc vitium familiarissimum est multis hoc ævi; quibus meliorem mentem, Socraticam scilicet seu philosophicam precamur.

Solutio vera est, quâ ita solvitur objectio, ut satisfiat ingeniis rectis. Solutio vera.

Dico, ingeniis rectis. Nam distortis nunquam satisfieri potest. Hâc de re placet subjicere sententiam Versoris, nobilis scholastici. *Sciendum,* inquit, *quòd triplex est responsio. Quædam est, quæ satisfacit quærenti tantùm, & non quæstioni. Alia est responsio satisfaciens quæstioni tantùm, & non quærenti. Alia est responsio satisfaciens quærenti & quæstioni simul.* Sic ille. Primus ille respondendi modus fermè est sophisticus: reliqui duo boni sunt, tertius tamen est melior secundo.

Solutio vera est vel concessio, vel refutatio.

Concessio est, quâ objectionem adversarii concedimus.

Estq; vel pura, vel conditionalis.

Solutio per concessionem.

Concessio pura est, cùm quod objectũ est, confirmat nostram thesin, vel saltem non infirmat, ideoq; simpliciter conceditur.

Dicitur etiam *concessio simplex*, item *absoluta*. Concedere igitur, additâ ratione, quòd nos non feriat, est solvere antithesin: exempli gratiâ, thesis metaphysica est, omne ens bonum est. Si quis contrà sic disputet: Omne ens bonum est. Diabolus est ens. Diabolus igitur bonus est. Respondeatur simplici concessione totius argumenti. Quòd si adversarius contendat, conclusionem esse absurdam, detur ipsi distinctio inter bonitatem naturalem & moralem.

Concessio conditionalis est, quando certo sensu & limitatione aliquid concedimus.

Dicitur etiam *concessio mixta & non-simplex*. item *responsio per limitationem, seu distinctionem*. e.g. Wigandus in Catecheticis explicationibus adversus orthodoxam doctrinam de humanâ Christi naturâ disputat hoc modo: Quidquid sedet ad dextram Dei Patris, habet omnipotentiam. Humana Christi natura sedet ad dextram Dei Patris. E. humana Christi natura habet omnipotentiam. Resp. Concedo totum rectè intellectum. Humana Christi natura habet omnipotentiam, non transfusam in se vel subjectivè sibi inhærentem, sed personaliter unitam. Sicut enim naturam divinam sibi habet personaliter unitã, ita & omnipotentiam.

Refutatio est, quâ objectionis vitiũ ostenditur.

Estq; vel directa, vel indirecta. *Illa etiam dicitur primaria, hæc secundaria.*

Refutatio directa est aperta patefactio fallaciæ.

Estque simplex, vel mixta.

Refutatio simplex est, quâ patefit vitium vel in formâ, vel in materiâ.

Detectio vitii in formâ syllogismi.

Refutatio argumenti propter vitium in formâ est,

est,quâ ostenditur legem aliquam syllogisticam esse violatam.

Ut,Impii àDeo affliguntur.Job à Deo affligitur.E.Job est impius. Sunt puræ affirmantes in secundâ figurâ. Hîc solutio fit,reprehensione consequentiæ,& simul ostensione,quæ lex logica violata sit de consequentiâ syllogisticâ formali. Duplex enim est consequentia syllogistica; una materialis, altera formalis. Alii distinguunt inter fallaciam consequentis, & fallaciam consequentiæ; sicut necessitas alia dicitur consequentis, alia consequentiæ. Fallaciam consequentis, ἔλεγχον παρὰ τὸ ἑπόμενον,dicunt cum Aristotele,cùm violatur canon aliquis syllogisticus de materiâ ipsius traditus: ut,Titius est doctus. E. est JCtus. Est fallacia consequentis. Nam à genere ad speciem non valet argumentatio affirmatè. Fallaciam consequentiæ dicunt,cùm lex aliqua de formâ syllogismi violatur. Hanc consequentiam alii vocant consecutionem ἰδιαίτατα,h. e. propriè dictam. Differentia inter fallaciam consequentis et consequentiæ.

Refutatio argumenti propter vitium in materia est vel perfectior,vel imperfectior.

Refutatio perfectior est solutio vel ad conclusionem,vel ad præmissas.

Solutio ad conclusionem est rejectio quæstionis,ejusq; vel alienæ,vel multiplicis. Solutio ad conclusionem.

Græcis dicitur ἀπόδιωξις. Est tamen & alia ἀπόδιωξις, *rejectio*,de quâ dicetur in solutione indirectâ.

Rejectio alienæ quæstionis est,quâ ostenditur à propositâ quæstione recedi, & ad peregrinam deflecti.

Suprà vocavimus sophisma ἑτεροζητήσεως; ab aliis dicitur *fallacia heterogeneæ quæstionis:* ut,cùm quæstio est voluntatis,adversarius verò delabitur ad quæstionem facultatis & potentiæ;item,cùm quæstio est,an sit: adversarius verò agit de quæstione,quale sit. Hoc vitium usitatè etiam vocatur *ignoratio elenchi*, strictè acceptâ hâc phrasi. Thesis orthodoxa est: Verba cœnæ, *Hoc est corpus meum*, sacramentaliter sunt intelligenda. Contra hanc thesin sic disputant nonnulli: Omnia verba Christi sunt vera & clara.

Hæc verba Euchariſtiæ ſunt verba Chriſti. E. ſunt vera & clara. Reſp. Concedo totum. Non enim concluſio facit contra noſtram theſin. Simile ferè vitium eſt in probationibus ſyllogiſmorum principalium; quando videl. præmiſſa probatur, quæ non erat probanda: ut, Si caro Chriſti verè eſt cibus, corporaliter manducatur. At verè eſt cibus. Ergò corporaliter manducatur. Reſp. Nego conſequentiam. Eam Sophiſtæ ſic probant: *Johan. 6.* dicit Chriſtus: *Caro mea verè cibus eſt.* Reſp. Atqui ſic non probatur connexi conſequentia, ſed aſſumtum.

Rejectio multiplicis quæſtionis eſt, quâ oſtenditur, plures quæſtiones confundi.

Ariſtoteles vocat captionem ſecundùm plures interrogationes, quando reſpondens cumulo quæſtionum obruitur, ut à ſcopo vel veritate abducatur. Hîc igitur ἀποτομῇ, *præciſione*, utendum, quâ ſuperflua reſecamus; vel, ſi ita opus ſit, quæſtiones ſingulæ diſtinctè explicandæ ſunt, & dicendum: πρὸς δύο ἐρωτήματα δύο ἀποκρίσεις. Tale vitium eſt in illo ſyllogiſmo: Quod eſt ſacramentaliter unitum cum pane, illud manducatur, licet non modo naturali, tamen ſupernaturali. At corpus Chriſti ſacramentaliter eſt unitum cum pane. E. manducatur, licet non modo naturali, tamen ſupernaturali. Hîc reſpondetur, in concluſione eſſe πολυζήτησιν; quia confunduntur duæ quæſtiones, nimirum an manducetur corpus Chriſti, & quomodo manducetur. Tales ſunt & illæ quæſtiones, An deſiiſti furari? Fuerúntne Cæſar, Alexander Magnus & Cyrus fortes reges? Terráne an cœlum movetur? Utrum Æthiops an Germanus eſt albus? In priori exemplo eſt multiplex quæſtio implicitè, in reliquis explicitè.

Solutio ad præmiſſas eſt, quâ fallacia circa quæſtionis probationem ſolvitur.

Eſtque vel ad verba, vel ad res.

Nam fallacia eſt vel in dictione, vel extra dictionem in rebus, quæ diſponuntur in præmiſſis.

Solutio ad verba. Solutio ad verba oſtendit fallaciam vel homonymiæ,

onymiæ in verbis ſimplicibus, vel amphiboliæ in compoſitis.

Homonymiæ fallacia oſtenditur indicatione 1. Æquivocationis: ut, Omne quod eſt in formâ alterius, differt ab eo, cujus eſt forma. Chriſtus eſt in formâ Dei, *Phil. 2. v. 6.* Ergò Chriſtus differt à Deo. Sic argumentantur Arriani. Reſpon. Eſt fallacia æquivocationis ex vocis, *forma*, multiplici ſignificatione. Ponitur enim vel pro externâ ſimilitudine, ſicuti pictura dicitur forma rei; vel pro internâ rei alicujus naturâ, & ſic forma rei eſt ipſa rei eſſentia. Hoc modo Chriſtus dicitur eſſe in formâ Dei. Sic *Danæus* reſpondet *in tract. de elenchis hæreticorum, titulo de fallaciâ, quæ eſt ab æquivocatione. 2. Accentus neglecti:* ut, Qui ſolùm videt, non audit. Qui terram videt, ſolum videt. Ergò qui terram videt, non audit. Item: Ille homo eſt multis canis. Ergò eſt animal irrationale. Tale eſt illud: Quod Deus ipſe affirmat, illud eſt credendum. Deus dixit *Malach. 1. v. 4.* Ædificabunt, & ego diruam. Ergò credendum eſt, multos ea ædificare, quæ Deus tamen diruit, & non vult ædificari. Reſpon. eſt fallacia ab accentu. Nam τὸ *ædificabunt*, dictum eſt per conceſſionem & εἰρωνικῶς, non ἀποφαντικῶς, adſeveranter, quaſi illi poſſint ædificare invito & renitente Deo. *3. Figuræ dictionis ſeu phraſews falsò explicatæ:* ut, Homo eſt diſſyllabum. Chryſoſtomus eſt homo. E. Chryſoſtomus eſt diſſyllabum. Item: Dicimus in oratione Dominicâ, Sanctificetur nomen tuum. E. nomen Domini aliquando non eſt ſanctum. Reſp. eſt fallacia figuræ dictionis, ſeu ex genere phraſews. Petimus enim, ut ſanctum eſſe innoteſcat, ut ait *Auguſtinus, in tractatu 83. quæſtionum quæſtione 69.* Huc referunt quidam illam fallaciam, quâ utuntur ſophiſtæ: Scriptura hoc nõ habet expreſſis verbis, v. g. Parvulos eſſe baptizandos. E. non ſunt baptizandi. Sed hæc eſt fallacia παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nota, Ariſtotelem fallaciam παρὰ τὸ σχῆμα λέξεως non ita latè accipere. Vide *de ſophiſt. elench. cap. 3. ſub finem.*

Amphiboliæ fallacia oſtenditur indicatione totius orationis ambiguæ. Indicatione, inquam, *ſententiæ* ambiguæ: *1. Ex ſyntaxi:* ut, Si hæc eſt vita æterna, ut cognoſcamus Patrem eſſe illum ſolum verum Deum, & quem miſit Jeſum Chri-

stum;tum solus Pater est verus ille Deus. Verum est antecedens.E.& consequens. Resp.Particula exclusiva determinat non subjectum,sed prædicatum. Talis enim enunciatio ex illis verbis formanda:Pater & Jesus Christus,quē ille misit, est verus ille Deus solus. Samosateniani particulam *solum* cum nomine *Patrem* construunt,cùm hæc sit genuina syntaxis: Hæc est vita æterna,ut cognoscant te,illum solum verum Deum,& (repete,ut cognoscant) Jesum Christum. Vulgò vocant hanc fallaciam amphiboliæ.Sed nos amphiboliæ vocabulum latiùs extendimus,secuti Logicos nō ignobiles. 2.*Ex phrasi,seu idiotismo:* ut, Sumus liberi, *Galat.5. v.13.* E. non debemus subjici magistratibus. Resp. est fallacia amphiboliæ ex phrasi *liberum esse*. 3.*Ex compositione & divisione*:ut, Fides sine bonis operibus justificat. Fides sine bonis operibus est res mortua.E.res mortua justificat. Respon. est fallacia compositionis. Nam verba hæc,*sine bonis operibus*, in majore propositione sunt pars prædicati: Papistæ verò cum subjecto conjungunt, unde ἀσυλλογίστως infertur conclusio Si quis sic argumentetur:Omnes compotores in hâc mensâ sunt septem. Ego & tu sumus compotores in hâc mensâ. Ergò ego & tu sumus septem. Respon.Est ambiguitas orta ex divisione. Nam in majore vocula *omnis* cohæret cum voce compotores;in minore verò disjungitur ab illâ voce. Est & alia fallacia divisionis & compositionis, quæ non pertinet ad fallacias λέξεως, sed ad fallacias, quæ sunt extra dictionem in rebus: ut, Titius est cantor & claudus. Ergò Titius est claudus cantor. Hîc negatur major subintellecta: Qui est cantor & claudus,is est cantor claudus. Huc refer &illa exempla:Johannes est homo mortuus.E.est homo.Iste canis est pater,& est tuus. E. est tuus pater. Sallustius est malus,& est historicus.E.est malus historicus.Fallacia compositionis & divisionis,quæ est in rebus,ut in propositis exemplis,refertur vel ad fallaciam accidentis,vel à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Quærat hîc aliquis, cur sequatur:Cicero est homo,& est humanus. E.Cicero est homo humanus?Non verò sequatur conclusio in exemplis modò allatis?Resp.Si unum prędicetur de aliquo per se,alterum ex accidenti,utCicero est homo humanus;vel si utrumque per accidens de aliquo prædicetur,ita ut prædicata illa sint in-

sint inter se cognata,ut Socrates est philosophus & eruditus: tum utrumq; ut divisim distinctéq;,ita etiam conjunctim de re subjectâ legitimè dicitur. Cæterùm ad fallaciam compositionis & divisionis,quæ in λέξει est,quidam referunt illud exemplum: Quo vidisti Petrum percuti,eo percussus est. Atqui oculis vidisti Petrum percuti. E. Petrus oculis percussus est. Hîc *Quo* in majore refertur ad *Percuti*,in minore ad *Vidisti*.

Solutio ad res fit duobus modis. Aut enim vitium est in extraneis & accessoriis,aut essentialibus & principalibus.

Solutio ad res, cùm vitium est in extraneis,est quâ negantur hypotheses seu præmunitiones præmissarum.

Solutio ad res extraneas in præmissis.

Hæc solutio locum habet in duobus casibus: 1.Cùm principia ex alio doctrinæ genere in aliud transferuntur: ut si quis sic colligat, Quidquid implicat contradictionem,illud non est statuendum.Atqui aliquid creari ex nihilo,implicat contradictionem.E.non est statuendum.Resp.Est argumentatio ex falsâ illâ hypothesi;Ex nihilo nihil fit. Falsa est illa hypothesis,de creatione; vera de generatione. *2.Cùm principia seu hypotheses, quæ in aliquâ disciplinâ præsupponuntur,sunt falsæ.* Sic est hypothesis quorundam, omnem oculum emittere extra se radios. Hoc si everteris,eversum quoq; est pronunciatum,visionem fieri emissione radiorum,non immissione.Si quis ita disputet: Quæ sunt in prædicamentis,ea sunt composita.At Deus non est compositus.Ergò non est in aliquo prædicamento. Resp.hoc argumentum niti falsâ hypothesi,quasi res quæ sunt in prædicamentis,uno modo in illis esse dicantur. Deus collocatur in prædicamento substantiæ non κατὰ τὸ πρᾶγμα, sed καθ' ὑπόληψιν ἡμῶν; non κατὰ τὸ ἀκατάληπτον,sed κατὰ τὸ γνωστόν.

Solutio ad res,cùm vitium est in rebus essentialibus,est vel negatio,vel anteisagoge.

Solutio quæ fit negatione,vel simplici fit inficiatione,quæ & absolutè inficiatio dicitur,vel instantiâ.

Inficiatione ſimplici oſtenduntur duæ fallaciæ, petitio principii, & ignoratio elenchi.

Petitio principii.

Petitio principii oſtenditur, cùm adverſario objicitur tautologia, quâ idem per idẽ cupit probare.

Dicitur autem *petitio principii*; quoniam adverſarius petit ſibi concedi tanquam probatum, quod tamen eſt dubium. Hinc formula: *Tu petis principium*: h.e. tu petis tanquam rationem, quæ ratio non eſt; ſeu pro liquido accipis, quod eſt dubium. Ariſtoteles vocat αἴτησιν τοῦ ἐν ἀρχῇ, petitionem ejus quod in principio, ſcil. fuit propoſitum: cùm quis ſcil. petit ſibi tanquam verum concedi id, quod in principio propoſuit. Aliter ab eodem dicitur παραλογισμὸς παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Poteſt & hæc cauſa hujus locutionis reddi. Quoniam adverſarius concluſionem per ſeipſam probat, illamq; repetit vel iiſdem verbis, vel æquipollentibus, dicitur petere principium. e.g. Animal rationale habet optimum tactum. Homo eſt animal rationale. E. homo habet optimum tactum. Item: Quod ſummũ habet calorem, eſt ſummè calidum. Ignis ſummum habet calorem. E. ignis eſt ſummè calidus. Huc etiam pertinet quædam probatio circularis. Dico, *quædam*. Nam ſuprà oſtendimus, non omnem circulum ſyllogiſticum eſſe vitioſum. Exemplum circuli vitioſi eſt: Si motus eſt æternus, cœlum eſt æternum. At motus eſt æternus. Ergò cœlum eſt æternum. Negatur hìc aſſumtio. Illam ſophiſta ſic probat: Si cœlum eſt æternum, motus eſt æternus. At cœlum eſt æternum. E. motus eſt æternus. Reſp. Eſt petitio principii.

Ignoratio elenchi.

Ignoratio elenchi oſtenditur, cùm adverſario objicitur, illum è locis inventionis duxiſſe falſum elenchum.

Antea monuimus, ignorationem elenchi, ſtrictè accepto vocabulo, eſſe fallaciam alienæ quæſtionis. At hìc latè accipitur ignoratio elenchi pro fallaciâ non-argumenti ut argumenti, vel inſufficientis argumenti: ut cùm ſumitur argumentum ut conſentaneum, quod eſt diſſentaneum, cùm medium dialecticum pro apodictico, non reciprocum pro reciproco uſurpatur. Dicitur ignoratio elenchi

ſcilicet

ſcilicet veri & logici. Nam elenchus alius eſt verus, alius ſophiſticus, ut diximus ſuprà *lib.8.cap.1.* Tot igitur modis committitur ignoratio elenchi, quot ſunt argumenta Logica; imò in uno loco inventionis ſæpe ſunt plures elenchi ſophiſtici. Vide ſuprà *libr.8.* doctrinam de fallaciis argumentorum. Ad hanc ignorationem elenchi refer

1 *Fallaciam conſequentis* : ut, Mel eſt flavum. Ergò quod flavum eſt, mel eſt. Pallet. Ergò ſtudet. Si Spiritus ſanctus habet principium, eſt aut genitus, aut creatus. At non eſt genitus, nec creatus. Ergò non habet principium.

2 *Fallaciam à non causâ ut causâ*: ut, Quod allegatur ab Apoſtolo, fuit ſanctum. Dictum Menandri fuit allegatum ab Apoſtolo. Ergò dictum Menandri: Bonos mores corrumpunt colloquia prava: fuit ſanctum. Multi qui reformatam religionem profitentur ſunt mali, Ergò religio reformata eſt mala.

3 *Fallaciam accidentis*: ut, Caro Adami eſt peccatrix. Caro Chriſti eſt caro Adami. E. caro Chriſti eſt peccatrix. Vinum inebriat. E. vinum eſt malum.

4 *Fallaciam à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter*: ut, Deus dicit, Miſericordiam volo & non ſacrificium. Ergò externis operibus Deus prorſus non eſt colendus. Homo ſapit & intelligit. Ergò corpus ejus intelligit. Plato pictus eſt. Ergò Plato eſt. Sed hæc fallacia commodiùs refertur ad conceſſionem conditionalem, de quâ paulò antè. Hoc loco notabis, Philoſophum diſtinguere ſyllogiſmum in materiâ vitioſum apateticum à ſophiſtico. Apateticum dicit, qui medium non neceſſarium habet tanquam neceſſarium: ut ſi falſa cauſa, falſum effectum, vel aliud quodcunque argumentum falſum adhibeatur. Dicitur etiam ψευδογράφημα. Syllogiſmum ſophiſticum dicit, in quo falſitas occultata eſt aliquâ fallaciâ: putà homonymiæ, amphiboliæ, accidentis &c. Hoc ergò diſcrimen eſt: Syllogiſmus apateticus eſt manifeſtò falſus: ut, Omnes ſapientes ſunt miſeri. Omnes verè Chriſtiani ſunt ſapientes. E. omnes verè Chriſtiani ſunt miſeri. At ſophiſticus habet ſpeciem veri: ut, Quod Deus præcepit, id omninò faciendum eſt. Ima-

gines Deus facere jussit, & in templo habere, videlicet Cherubinos. Ergò imagines facere & in templis habere licet.

Solutio per instantiam primi modi.

Solutio per instantiam fit, cùm quod universaliter verum esse sumitur, in parte aliquâ falsum esse monstratur, *seu, cùm præmissæ universali opponuntur exempla contraria.*

Appellatur vulgò *instantia primi modi*; quia etiam est instantia secundi modi, de quâ paulò pòst. e. g. Quod continet, majus est contento. Locus continet. E. locus major est contento. Resp. per instantiam ad majorem propositionem: Totum continet partes, & tamen totum non est majus partibus. Item: Quicquid calefacit est calidum. Calor calefacit. E. calor est calidus. Resp. Major admittit instantiam: Motus calefacit, & tamen nō est calidus: Sol calefacit, & tamen non est calidus. Item: Omne meteorū est substantia. Iris est meteorum. E. iris est substantia. Resp. ad majorem per ἔνστασιν: Colores & Parelii sunt meteora, & tamen sunt ἐμφάσεις, non ὑποστάσεις. Quòd si adversarius det instantiam, illa negatur ab exemplis vel prorsus disparibus, vel malè accommodatis. e. g. Philosophus dicit: Qualis causa, tale causatum. Sophista dat instantiam: At pater non gignit patrem. Resp. Est inepta & aliena instantia. Vera esset, si probaretur, patrem nō generare sibi similem. Philosophus dat hunc canonem: Contraria contrariorum sunt consequentia. Sophista dat instantiam: Unus Deus Pater Christi est verus Deus. E. trinus Deus, qui non est Pater Christi, non est verus Deus. Resp. Falsa est exempli accommodatio; quia unum & trinum in Deo non sunt opposita, sed diversa. Unus enim dicitur Deus ratione οὐσίας; trinus respectu ὑποστάσεων. Philosophus dicit: Prædicatum prædicati, est etiā prædicatum subjecti: ut, quod dicitur de substantiâ, dici etiam debet de homine: Sophista affert instantias cōtra universalitatē regulę: Homo est peccator. Peccatoris forma est peccatū. E. homo est peccatum. Homo est substātia. Substantia est generis fœminini. E. homo est generis fœminini. Resp. Regula valet in iis, quæ per se ꝑdicantur.

Anteisagoge est, cùm admittimus aliquid cum oppositione alius.

Estq;

Estq; vel reprobatio fiduciaria, vel instantia directa secundi modi: *quarum illa etiam παρομολογία & ἀντιπαράστασις dicitur.*

Reprobatio fiduciaria est, quando bonitate causæ nostræ confisi, posito, sed nō concesso, quod in objectione sumtum fuit, ostendimus illud sententiæ nostræ non officere, & vicissim postulamus, ut quod volumus nobis concedatur. Reprobatio fiduciaria.

Germani dicunt: **gesetzt/aber nicht gestanden**. e. g. Magnum & parvum, paucum & multum sunt contraria. Sunt autem hæc quanta habentia respectum ad aliud. E. quædam quanta habent contrarium. Resp. 1. Nego hæc esse quanta per seipsa, quia sunt relativa. 2. Per fiduciariam reprobationem: Posito, sed non concesso, illa esse quanta, non tamen sequitur, in quanto esse contrarietatem; quia non sunt contraria, sed relativè opposita. Vide *Aristot. in cap. de categoriâ quanti.* Sic, Geometricum medium est unum. Virtus est medium Geometricum. E. virtus est una, & per consequens uno solo modo potest attingi, nec recipit magis & minùs. Resp. per fiduciariā reprobationem. Quamvis medium sit unum; tamen possumus variè esse affecti erga medium. Nam possumus constantiores & inconstantiores esse. Deinde virtus est medium, quod latitudinem habet. Ideò dixit *Aristoteles in fine secundi Ethicorum ad Nicomachum:* Qui paululum decorum egreditur non est in vitio.

Instantia secundi modi directa est, cùm concessâ propositione, opponimus aliud, quod est firmius. Instantia secundi modi directa.

Vocatur aliâs solutio κατ' ἀνθυποφοράν, h. e. *solutio per fortioris objectionis prolationem*; & accensetur solutionibus indirectis. Sed malè. Nam instantia si sit fortior (non si æquè fortis) opponentis objectionem infirmat. Sed si sit æquè fortis, est solutio indirecta. Formulæ hujus solutionis sunt. Absurdum quidem est hoc quod dicis; at multò absurdius fuerit hoc quod ego dico. Iniquum quidem est si hoc fiat, sed iniquius illud &c. Nimirum persæpe incidunt factorum spe-

cies ſcrupuloſæ & perplexæ,in quib. quidquid ſtatuas omni ex parte iniquum & inconveniens videtur. Tunc igitur minore iniquitate & abſurditate poſthabitâ major iniquitas & abſurditas urgetur;quæ per inſtantiam ſecundi modi directam ſolutio eſt.Exempla illuſtria ſunto hæc. Quod ſtudium comitatur contemtus & odiũ mundi,id eſt fugiendum. At veritatis cœleſtis ſtudium comitatur contemtus &odium mundi.E.illud eſt fugiendum. Reſp.Concedo minorem:ſed oppono majus, videl. ſeveriſſimum Dei mandatum,quo omnes homines obligantur ad veritatis cœleſtis ſtudium.Minimè igitur fugiendum;quia majoris ponderis debet eſſe apud homines mandatum Dei,quàm honor & amor mundi. Sic: Quidquid perſecutionẽ Eccleſiis excitat,eſt cavendum. Libera veritatis Evangelicæ confeſſio perſecutionem Eccleſiis excitat.E.eſt cavenda.Reſp.Concedo minorem.Sed ideò non eſt cavenda confeſſio veritatis;quia majorem nos rationem mandati & gloriæ Chriſti, quàm noſtræ propriæ vitæ habere decet. Tali compenſatione ſeu oppoſitione fortioris utitur Apoſtolus, *Rom.9. verſ.19.* Objectio eſt: *Dices ergò mihi, Quid adhuc ſuccenſet? Nam voluntati illius quis reſiſtit?* Reſpondet Apoſtolus: *Imò verò, ô homo, tu quis es,qui ex adverſo reſponſas Deo? Num dicet figmentum fictori, cur me tale feciſti?* Confer *Matth.21. verſ.1.2.3.4. & ſeqq.cap.26. v.7.8.9.10.11.12.13. Rom.6. v.1.2. & v.15.16.* Sic:De infantibus fidelium nuſquam in N. T. legitur,quòd ſint baptizati.E.non ſunt baptizandi.Reſp.Negationi exempli oppono & præfero rationem:De infantibus fidelium ſcriptum eſt,quòd ad ipſos pertineat promiſſio gratiæ. Sunt igitur baptizandi. Probatio ex dogmatibus ſeu rationib. multò potentior eſt & firmior eâ,quæ fit exemplis. Ex his patet, hujuſmodi ſolutiones non eſſe indirectas; item illas magnum habere uſum in theologicis.Sed etiam in politicis non minorem habent uſum: ut, Abſurdum quidem eſt, impunitum relinqui admiſſum crimen:at multò abſurdius, abſentẽ ob quaslibet ſuſpiciones damnari. Satius enim eſt, impunitum relinqui facinus nocentis,quàm innocentẽ damnari. Sic inconveniens videtur, maritum punire, quòd pulſaverit conjugem, cùm maritus ſit caput uxoris. At multò pernicioſius futurum eſſet, ſi non punirentur mariti,

qui ne

qui ne communi quidem sensu in castigandis & corrigendis uxoribus utuntur. Nam sic concederetur maritis arbitrium sæviendi in uxores. Cæterùm non solùm fit hæc solutio per oppositionem fortioris rationis, sed etiam firmioris authoritatis, ut si quis Lutheri pugnet authoritate & ego afferam sacras literas.

Fuit solutio perfectior: sequitur imperfectior, quæ cùm infirma sit, requirit subsidiariam. Solutio subsidiariam requirens.

Exempli gratiâ: Sophistæ sic disputant: Christus ait *Johan.17.vers.11.* Quemadmodum ego cum patre unum sum, ita & discipuli mei inter se unum sunt. Sed discipuli Christi non fuerunt unum essentiâ. Ergò Pater & Filius etiam non sunt unum essentiâ. Resp. ad majorem per inficiationem. Christus enim non dicit, jam unum esse discipulos, sed petit ut unum sint, sicut Pater & ipse unum sunt, hoc est, ut efficiantur unum per spiritum sanctificationis in ipsis habitantem. Sed hæc responsio non est plena. Adhuc enim manet nodus. Subsidiaria igitur responsio addenda, committi ab adversario fallaciam æquivocationis. Etsi enim particula ὡς vel καθὼς eandem interdum parémve convenientiam notat: tamen sæpe notat convenientiam χελικὴν seu similem. Quòd autem hoc posteriori modo sit accipienda hoc in loco, jam probandum erit. Deinde & hæc subsidiaria advocari potest responsio. Unâ specie sublatâ non tollitur altera. Cùm igitur ratio similitudinis sit multiplex; absurdum est, quòd in assumtione una tantùm convenientiæ species adducitur.

Sequitur ut postquam satis diximus de solutione simplici, dicamus de mixtâ.

Solutio mixta est, quę complectitur plures simplices. *Aliâs dicitur* multiplex. Solutio multiplex.

Estque vel necessaria, vel arbitraria.

Necessaria est, quam bonus disputator necesse habet dare, ut defendat titulum suum.

Talis danda est, cùm vitium syllogismi est multiplex. Multiplici enim morbo multiplex adhibenda medicina. Dicitur autem vitium multiplex, cùm in formâ & materiâ si-

mul est. Hîc primò ostendi debet vitium in formâ; tùm emendari, & responsio adferri ad materiam. Exempli gratiâ: Dextra Dei est ubique. Corpus Christi sedet ad dextrã Dei. E. corpus Christi est ubique. Resp. Vitium est in formâ & materiâ. In formâ quidem; quia quatuor terminis constat, qui sunt, dextra Dei, esse ubique, corpus Christi, sedere ad dextrã Dei. Correctâ formâ talis erit parexelenchus: Quidquid sedet ad dextram Dei, est ubique. Corpus Christi sedet ad dextram Dei. E. corpus Christi est ubique. Sed jam major est tàm falsa, quàm quæ falsissima.

Solutio mixta arbitraria est, cùm dantur duæ vel plures responsiones ad syllogismum crypticum.

Nam hîc, si sit syllogismus defectus, redundans, vel inversus, primò explenda quæ desunt, amputanda quæ supersunt, & pars quęlibet in locum suum redigenda: deinde directè respondendum. Dicitur autem hæc solutio mixta arbitraria; quia respondẽs non semper necesse habet syllogismũ crypticum reducere; sed tum demũ, quando non statim apparet judicanti, bonúsne sit an vitiosus. e. g. sit Sorites: Ex malis moribus ortæ sunt bonæ leges. Bonæ leges sunt dignæ laude. Dignis laude est studendum. Ergò malis moribus est studendum. Resp. 1. ut evidentiùs vis argumenti perspiciatur, principalis syllogismus separandus erit à prosyllogismo: Dignis laude est studendum. Mali mores sunt digni laude. E. malis moribus est studendum. Minor propositio sic fuit probata: Bonæ leges sunt laude dignæ. Ex malis moribus natæ sunt bonæ leges. E. mali mores sunt laude digni. Jam resp. 2. sunt quatuor termini, & si forma emendetur, committetur fallacia accidentis. Sit enthymema: In Christo fuit ignorantia. E. peccatum. Resp. 1. Integer syllogismus est formandus: Omnis ignorantia est peccatum. In Christo fuit ignorantia. E. in Christo fuit peccatum. Resp. 2. ad majorem distinguendo inter ignorantiã privativam & negativam. Illa est mala; ista non. Minor autem loquitur de istâ. Item: Virginitas est bona. E. conjugium non est bonum. Resp. 1. Syllogismus integer fuerit talis: Virginitas est bona. Conjugium non est virginitas. Ergo conjugium non est bonum. Resp. 2.

Vitium eſt in formâ, ſeu conſequentia formalis eſt mala; quia ex aſſumtione negante in figurâ primâ nihil ſequitur. Item: Impii fiunt rei corporis Chriſti. E. manducant corpus Chriſti. Reſp. 1. Præmittatur propoſitio major quę deeſt, & erit talis ſyllogiſmus: Quicunque fiunt rei corporis Chriſti, manducant corpus Chriſti. At impii &c. Reſp. 2. Major eſt falſa. Adducamus & hoc exemplum: Si nullum tempus eſt, etiam nox non eſt. Si nox non eſt, dies eſt. Si dies eſt, aliquod tempus eſt. Ergò ſi nullũ tempus eſt, aliquod tempus eſt. Hoc autem non eſt falſum, ſed falſiſſimum. Ergò prima pars antecedentis, ſi nullum tempus eſt, nox non eſt, abſurda eſt. Reſpond. 1. Eſt συμπλοκὴ ſyllogiſmorum, quos oportet evolvere, & ſingulatim conſiderare. Reſp. 2. Si ſingulatim expendantur ſyllogiſmi, apparebit in ſophiſmate commiſſam fuiſſe fallaciam à non causâ tanquam causâ. Nam non prima, ſed ſecunda pars antecedentis eſt πρῶτον ψεῦδος, *cauſa abſurditatis concluſionis*. Neganda igitur eſt ſecunda pars antecedentis, ſi nox non eſt, dies eſt; quia non eſt vera niſi ex hypotheſi, id eſt, niſi ponatur jam tempus eſſe. Ante mundi creationẽ enim nec dies nec nox erat. Huc pertinet regula: *Cùm ſyllogiſmus confusè eſt prolatus, ut forma non appareat, requirenda eſt analyſis.*

Adhuc de ſolutione directâ: ſequitur indirecta, cùm obliquè reſpondetur.

Hâc utimur vel ſolâ, vel ſtatim ſubnexâ ſolutione directâ, vel poſt ſolutionem directam. Dicitur etiam *obliqua* & *ſecundaria*.

Solutio indirecta fit vel ad rem, vel ad perſonam. Solutio indirecta ad rem.

Solutio indirecta ad rem fit quatuor modis. Eſt enim

1 Retorſio argumenti in adverſarium, quâ oſtendimus, rationem ab adverſario allatam pro nobis facere, vel evertere eandem illam concluſionem, quam voluit per iſtam rationem concludere, vel certè alias adverſarii aſſertiones.

Estque vel conversio, vel obversio.

Conversio est, quando per aliquam præmissam evertitur conclusio, seu consequens evertitur per antecedens:

Ut, Filius Dei est primogenitus inter creaturas. Ergò est creatus. Resp. per conversionem: Imò quia est primogenitus inter creaturas, hoc est, genitus priùs quàm ullæ existerent creaturæ, non est creatus.

Obversio est, cum assumtio negatur per contrariam suam.

Ut, Omnes qui credunt Deum genuisse alium Deum, habent duos Deos. Athanasiani credunt Deum genuisse alium Deum. E. Athanasiani habent duos Deos. Resp. ad assumtionem obversione: Omnes qui credunt Deum genuisse alium Deum, habent duos Deos. Athanasiani non habent duos Deos. Ergò Athanasiani non credunt Deum genuisse alium Deum. Huc referunt etiam illud sophisma: Cujuslibet contradictionis altera pars est vera. Mea conclusio, quæ contra tuum thema est, est contradictionis altera pars. Mea igitur conclusio est vera. Respondetur per retorsionem: Cujuslibet contradictionis altera pars est vera. Mea thesis, quæ tuæ conclusioni contradicit, est contradictionis altera pars. Ergò mea thesis est vera, & tua falsa. Hujusmodi responsio per retorsionem Græcis dicitur *ἀντιστρέφον*, *inversio*, & *βίαιον*, *violenta refutatio*. Vocatur etiam *rationis reflexio*, item *reflexa probatio*. Lepidum hujus reflexionis exemplum adscripsimus ad caput de dilemmate ex Gellio. Si quis sic disputet: Homo in patrando scelere non vult, nec optat improbitatem, sed utile & jucundum. Ergò nemo fit sponte malus. Resp. per reflexionem rationis: Si sponte homo amplectitur id, per quod fit improbus, sponte dicitur amplecti improbitatem. Item: Nisi omnia fierent fato, & nihil contingenter ac mutabiliter, non daretur optima & libera administratio. Quæ nisi esset, nec universum, nec Deus esset. At universum & Deus sunt. Omnia igitur fiunt fato. Resp. per retorsionem argumenti: Nisi daretur contingentia, non darentur omnes entium gradus: qui nisi darentur, nec universum esset universum, nec Deus esset cunctorum opifex & guber-

nator.

nator. At universum est universum, & Deus est cunctorũ opifex & gubernator. E. dantur contingentia, seu mutabilia. Potest tamẽ & hoc sophisma aliter solvi. Sic: Lex est ex malis moribus. E. mali mores sunt laudandi. Resp. Imò ideò non laudandi; quia lex ideò est, ut illos reprimat.

2 Regestio in rem est, quâ in rem, per quam adversarius probavit quod instituerat, rejicimus id, quod imputatur personæ.

Sic cùm Cicero objectam Cœlio luxuriem non auderet negare, vel defendere, molliit eam, quantùm potuit, & partim temporum magis ea vitia dixit, quàm hominum, partim contendit esse aliquid huic ætati dandum. Hujusmodi regestiones maximum usum habent in œconomicis, politicis & ecclesiasticis, ubi si ab aliquo vitium abnorme committatur, regerimus illud facinus in laxam disciplinam, vel similem morbum corporis œconomici, politici vel ecclesiastici, atque ita tacitè præstitibus exprobramus ipsorum vitia: ut si magistratus non puniat furtum vel adulterium, regestio in rem, hoc est, malam administrationem, fieri debet. Interim hæc regestio fit quoque in personam, sed obliquè.

3 Instantia indirecta secundi modi est, cùm interroganti opponimus aliam objectionem, quæ objectioni ipsius est par, & quâ ille æquè fortiter constringitur, ac nos suâ constringere conatur.

Vocatur instantia secundi modi, ut distinguatur ab instantiâ primi modi; vocatur instantia indirecta, quia quædam instantia secundi modi est directa, ut suprà ostendimus. Alii vocant *compensationem per objectionem parem*, alii *ἀντιπαράστασιν*, quæ vox etiam significat reprobationem fiduciariam, ut paulò antè monuimus: alii appellant *comparationem cum similiter absurdo & contrariam interrogationem*. Formulæ illius sunt: Perinde est, seu perinde argumentaris, ac si aliquis dicat &c. Exempli gratiâ: Dextra Dei est ubique. Corpus Christi sedet ad dextram Dei. Ergò corpus Christi est ubique. Respond. Perinde omninò est, ac si quis ita argumentetur: Dextra Dei est increata, incorporea, æterna, infinita, simplicissima, creatrix cœli & terræ, est ipsa Dei omnipotentia, ipsa denique divina essentia. Corpus

Christi sedet ad dextram Dei. E. corpus Christi est increatum, incorporeum, æternum, infinitum, simplicissimum, creavit cœlum & terram, est ipsa Dei omnipotentia, ipsa denique divina essentia. Jam si agnoscant sophistæ, hanc posteriorem argumentationem esse falsam, agnoscant etiam, priorem, quæ ipsorum est, & par huic, esse falsam. Sic: De infantibus baptizandis nullum extat expressum mandatum Christi. Ergò infantes non sunt baptizandi. Respond. Nihilo melius est hoc argumentum, quàm si quis ita colligat: De mulieribus baptizandis, & ad S. Cœnam admittendis, nullum extat expressum Christi mandatum. E. mulieres nec baptizandæ, nec ad S. Cœnam admittendæ. Vulgo dicunt Logici: Allegare inconveniens, non est solvere argumentum. Item

Non valet exemplum, quod litem lite resolvit.

Verùm, si par prorsus sit ratio, hujusmodi solutiones omninò sunt admittẽdę, ut vel ex hoc unico videre est. Clerici Hierosolymitani sic disputabant contra Christum: Quicunque habet legitimam potestatem docendi, is mandatum & missionem habet à summo sacerdote & collegio ejus. Jesus Nazarenus non habet mandatum & missionem à summo Sacerdote & collegio ejus. E. Christus retinet ferè majorem, & sic respondet instantiâ seu compensatione paris objectionis: At Johannes Baptista non habuit mandatum & missionem à summo Sacerdote, & collegio ejus. E. Johannes Baptista non habuit legitimam potestatem baptizandi. Jam si de Johanne Baptistâ non licebat hoc statuere, neq; de Christo licuit illud colligere. Si quis objiciat, impium esse, furem suspendere, cùm nulla sit comparatio vitæ & bonorum; quidam respondent κατ' ἀντιπαράστασιν, non minùs absurdum futurum, si nemini liceat suas facultates in tuto habere. Sed contra hanc ἀντιπαράστασιν alii excipiunt. Huc etiam pertinet *oppositio paris authoritatis*, cùm testimonio humano opponimus aliud testimonium humanum par: ut Jesuitæ triumphanti authoritate Thomæ opponi potest Augustinus; quibusdam malè feriatis, & Lutherum semper crepantibus, imò tantùm non adorantibus, opponi potest Philippus Melanchthon; vel etiam Luthero affectibus nonnunquam indulgenti, Lutherus tranquillus & moderatus opponi potest.

4 *Osten-*

4 Ostensio contradictionis, *seu ἀσυςάτε*; cùm ostenditur contradictio in verbis adversarii:

Ut, cùm Pontificii excipiũt, in missâ suâ non de novo crucifigi Christum, quia sacrificium sit incruentum; est ἀσύςατον; quia sacrificium propriè dictum esse & incruentum esse, sunt contradictoria; sive, ut loquuntur Scholastici, est oppositum in opposito, si quis dicat sacrificium incruentum.

Sic fuit solutio indirecta ad rem: sequitur indirecta ad personam. **Solutio indirecta ad personam.**

Solutiones, quas hucusque vidimus, vocantur reales; quę nunc sequitur, vocatur *personalis*, item *quasi solutio*: quæ vel sola datur, vel implicatur solutioni reali.

Solutio indirecta ad personam fit quinque modis. Est enim

1 Nuthesia, quæ est vel ἐπίπληξις, vel admonitio simplex.

Ἐπίπληξις est, cùm adversarium increpamus, quòd vel contra pietatẽ & honestatem, vel contra manifestum sensum & experientiam disputet.

Dicitur etiam ἐπιτίμησις, *increpatio*, *objurgatio*. Et hæc conjunctam habet ἀπόδιωξιν, *rejectionem*; quæ tamen differt ab illâ, quâ rejicimus argumentum ob quæstionem alienam vel multiplicem. Tali ἐπιπλήξει usus est Job, respondens uxori suæ Job 2. *vers. 10.* Sic *Aristoteles 1. top. 11. cont. 9.* ait, eum qui contra pietatem & cultum Dei disputat, item contra sensum, egere κολάσει, id est pœnâ: ut si quis in disputationem vocet, an Deus sit colendus, an parentes diligendi, an nix sit alba. Alio in loco ait philosophus, eos, qui disputant contra res in sensum incurrentes, laborare ἀῤῥωςία τῆς διανοίας, *impotentia mentis.* Sic si quis ita disputet:

Falluntur sensus. Incertum ergò, ignis an urat.

Resp. *Injiciare igni, donec fateare quòd urat,*

Improbe, cui ratio, cuiq; experientia nulla est.

Habet etiam hîc locum festiva & salsa irrisio. Sic cùm Zeno in scholis disserens acutè & inaniter ingenium ostenta-

ret disputando, nullum esse motum, nec esse posse; Diogenes surgens cœpit deambulare. Id admiratus Zeno, quid, inquit, agis, Diogenes? Confuto, inquit, tuas rationes. Præterea huc pertinet appellatio conscientiæ, & provocatio ad Dei judicium, quando nobis res est cum hominibus desperatis, quos scimus contra propriam conscientiam disputare in rebus ad Dei gloriam & ecclesiæ ædificationem spectantibus. Sed hoc responsionis genere non est temerè utendum: nonnisi, ut dixi, in rebus ad salutem pertinentibus, aut alioqui publicè scandalosis. De hâc conscientiæ appellatione vide *Danæum de elench. hæret. in fine.* Cæterùm objurgatio non solùm adhibetur ad paradoxa ἄδοξα, item ἀδυνάτα: sed etiam ad τὸ ἀπρεπές, cùm adversarius non observat τὸ πρέπον, *decorum*, personæ quî cum disputat. Adhibetur etiam cùm frivola adferuntur; & vocatur *rejectio frivoli:* ut, si quis Grammaticas subtilitates in disputatione theologicâ adferat, dici potest:

Non tibi Grammaticam movi de nomine litem.
I, schola ubi est, ibi cum pueris puerilia certa hæc.

Admonitio simplex est, quâ amicè opponentem admonemus.

Sic, cùm Donatista quidam argumentaretur contra Augustinum ex testimoniis patrum quorundam, velut Hilarii, Cypriani, & Agrippini, Augustinus ei respondebat hâc admonitione: *Noli, frater, contra divina tam multa, tam præclara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, sive nostrorum, sicut Hilarii, sive Cypriani & Agrippini &c.*

2 Elevatio objectionis; quæ est tum ἐξουθενισμὸς, tum acuta ironia.

Ἐξουθενισμὸς est, quando argumentum, quod nullius momenti est, & indignum refutatione, tale esse dicimus.

Verbi gratiâ: Episcoporum, qui in secundâ synodo Nicæâ convenerant, talia argumenta erant pro idolis: Deus creavit hominem ad imaginem suam. E. Imagines sunt habendæ. Item: Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio.

modio. E. imagines collocandæ ſunt in altaribus. Item: Ut audivimus, ita & vidimus. Ergò Deum cognoſcimus etiam imaginum adſpectu. Reſp. Tam putidæ ſunt iſtæ paterculorum in ſecundâ Nicenâ ſynodo inſulſitates, ut eas refutare me quoque pigeat. Ineptias illas recenſere, eſt illas refutare. Suprà diximus, ſophiſtas uti hoc reſpondendi genere. Verùm illi verbis elevant argumenta ſolida, quæ refellere non poſſunt. At nos & rectè & graviter hâc ſolutione uti poſſumus, cùm adverſariorum nimis ſunt putidæ ineptiæ, nugæque nugaciſſimæ, quibus refellendis ſi occupemur, & ipſi inepti ſimus.

Acuta ironia, ſeu Socratica, eſt, cùm cōvitia interdum refellenda, vel inſcitia adverſarii ſibi nimium quantum placentis traducenda.

Exempli gratiâ: *Duræus*, Papiſta nobilis, ſic argumentabatur: Qui aſſerunt, Pontificem Romanum propterea eſſe Antichriſtum, quia pro univerſali totius Eccleſiæ Chriſtianæ capite vult haberi, ii admodum hebeti ſunt judicio. At Withakerus illud aſſerit. Ergò. Reſpondet Withakerus: Si mihi cum homine mirificè acuto rem fore prævidiſſem, aliquid proculdubio dignum tuo acumine attuliſſem. Tamen aut nimium quidem hebes ſum, aut te hoc loco parùm acutum fuiſſe perſpicio &c. Sic ſi quis ita diſputet: Si Ariſtoteles eſt genitus, eſt genitus vel dum gignebatur, vel poſtquā eſt genitus. Sed neutro tempore eſt genitus. Non illo, quo gignebatur: quia tunc non erat, cùm gigni non ſit genitum eſſe. Non etiam poſtquam jam antè genitus eſt, quia quod genitum eſt, id gigni ampliùs non poteſt. Ariſtoteles igitur non eſt genit⁹. Vel: Si Ariſtoteles obiit, obiit vel eo tempore, quo vivus erat, vel eo tempore, quo mortuus erat. At non illo; quia tūc vivebat. Nec hoc; quia mortuus cùm eſſet, ampliùs mori non potuit. E. Ariſtoteles non eſt mortuus, ſed adhuc vivit. Reſp. Hui ſubtilem argumentationem! Unde tibi tanta ſubtilitas? Poteſt etiam reſponderi per ἐπίπληξιν: Adverſus ſolem ne loquitor. Tu manifeſta impugnas, ſimilis illi dicenti, de quo Horatius in epiſt.

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Cujus verſiculi (ut hoc obiter addam) hic eſt ſenſus. Inter

omnes sanâ mente convenit, baccam oleæ habere intus lapillum durum, & nucem habere corticem durum. Si quis ergò manifesta impugnet, objici illi potest iste versiculus.

3 Anticategoria, *hoc est*, recriminatio, moderata scil. quæ est comparatio paris aut majoris criminis cum eo, quod nobis est objectum.

Exempli gratiâ: Papistæ sic argumentantur: Hæretici non sunt Ecclesia. Reformati sunt hæretici. Ergò reformati non sunt Ecclesia. Resp. Accusant nos Papistæ hæreseωs; cùm non nos, sed ipsi sint hæretici, qui doctrinam ex omnibus veteribus hæresibus consutam amplectuntur & tuentur. Sic objiciunt nobis iidem Pontificii, permultos inter nos esse epicureos, doctores item non convenire inter se; nos possumus regerere, illa ipsa inter ipsos vitia longè lateq; dominari. Huc pertinent scommata scommatis opposita: ut, Natus es & vivis ceu bos. E. es bos. Resp. Natus es & vivis ceu sus. E. es sus. Ita Diogenes respondit ad illud: Quod ego sum, tu non es &c. Vide suprà *cap. 2. lib. 8.*

4 Digressio prudens.

Quâ utimur, cùm potentior vel dignitate superior adversus nos agens, est tractandus prudenter, ut invidiam atque offensionem non necessariam declinemus: vel cùm pudori nostri antagonistæ, si nimis ineptè opponat, consulere volumus. Unde patet, illam differre ab excursione sophisticâ, de quâ suprà.

5 Gravitas patientiæ, *de quâ vir doctissimus* Johannes ab Hœckelshoven, *amicus noster*, lib. 5. syst. Logic. circa finem *sic canit*:

Sæpe sophista, volens sese vicisse videri,
(Nam pudet atque dolet victum sese esse fateri.)
Nunc totâ de re verbosus plurima garrit,
Nunc à proposito te vafrè abducere tentat,
Fictâ laude tui, vel de te crimine ficto:
Nunc, si quid cernit non esse solubile, clamat
Esse novum, pariturum maxima damna juventæ,
Nunc vera urgentem minitando territat audax.

Et quis

Et quis cuncta queat teretismata prodere versu,
Obstrepere audet queis furibunda sophistica vero?
Hæc Gravitas reprimat, superet Patientia. Veri
Sæpe diu premitur, tandem at bona causa triumphat.

Hucusque consideravimus officium respondentis communiter: nunc considerabimus singulariter officium respondentis inferioris, & superioris.

Officium respondentis inferioris est: 1. Resumere seu repetere argumentum. 2. Respondere. **Officium respondentis inferioris.**

Resumtio fiat clarâ & tardâ voce; idque propter tres causas, 1. Propter ipsum respondentem, ut sit locus cogitandi de solutione. 2. Propter auditores, ut & illi rem pleniùs intelligant. 3. Propter ipsum opponentem, ne postea protestetur, se tale argumentum non proposuisse.

Responsio detur juxta præcepta à nobis tradita. Si quid velis succinctius hâc de re, lege *theatrum nostrum scholasticum pag. 194. 195. 196. 197.*

Officium respondentis superioris consistit in moderamine disputationis, & subsidio præstando respondenti inferiori. **Officiũ respondentis superioris.**

Moderamen disputationis sic instituetur à respondente superiore seu præside: 1. Diligenter attendat, utrum opponens & respondens (scilicet inferior, qui simpliciter dicitur respondens) officio suo rectè fungantur. 2. Utrumque ab officio suo recedentem, admoneat sui muneris, & intra limites disputationis contineat.

Subsidium à præside sic præstabitur respondenti, 1. Solutionem ejus veram approbet & commendet: obscuram illustret, imperfectam perficiat, falsam corrigat. 2. Si fortè aqua respondenti suo hæreat, ipse det responsionem. 3. Insufficientem solutionem in aliud tempus transferat, neque sibi hoc ducat ignominiæ. Nam summi philosophi jubent, ut solutio in tempus fiat in rebus arduis. Dicitur autem solutio in tempus fieri, cùm multò plus temporis requiri-

tur, quàm ut quod datur ſpatium, ad planè diſcutiendam difficilem objectionem, ſeu conficiendam totam ſolutionem ſufficiat.

Cap. 10. Syntheſis exoterica.

FUit ſyntheſis acroamatica; ſequitur exoterica, quæ ab artis normâ aliquo modo deflectit, & pro arbitrio docentis ad captum diſcentis pro exigentiâ circumſtantiarum accommodatur.

Hæc poteſt eſſe varia; ideoque præcepta de illius ratione tradi non poſſunt. Exemplum illuſtre eſt apud Molinæum *lib.2.part.1. Logic.* circa finem: quod placet huc adſcribere; quo plurimùm juvabimus, opinor, ſedulos tam Logices quàm oratoriæ ſtudioſos. Exordium & perorationem aſſuet orator, & quę ex locis ſuppeditantur nuda & diſſipata, carne veſtiet, & nervis aſtringet, ordo erit quem volet. Ineptum enim eſſet, ſequi ordinem locorum. Prudentis erit, artem diſſimulare, ut hæc non arte quæſita, ſed ſponte nata videantur.

PROBLEMA.

Sobrietas eſt ſequenda.
Subjectum *Prædicatum.*

1. Definitio Subjecti. 2. Species Subjecti.

1 Sobrietas eſt temperantia præſcribens mediocritatem circa cibū & potum. [2] Neq; enim hîc agimus de eâ Sobrietate quam præſcribit Medicus ad Diætam, ſed quā præcipit Philoſophus ad Honeſtatem: Neq; de ſordidâ Abſtinentiâ quâ quis neceſſariis abſtinet, ſuum defraudans genium: Nec de eâ quam obſervant potores inter initia conviviorum, religiosâ modeſtiâ, non ad temperantiæ legem, ſed ad bibendi diſciplinam: Nec de eâ ad quam paupertas aut pœna invitos adigit. [3] Imò nec Sobrietatē laudamus, quæ unâ aut alterâ in re gulam comprimat, in cæteris laxet fibulā intemperātiæ. [4] Fruſtrà cæteris portis hoſtis arcetur, ſi una admittitur. Sed de eâ agimus quam Latini Sobrietatem nuncupârunt, voce deducta à Græco σωφροσύνη: [5] quia ei debetur

3. Partes Subjecti. 4. Simile. 5. Notatio nominis.

mentis

mentis incolumitas & sanitas: [6] Enimverò frænat belluinas cupiditates, quibus æstuantibus & improbè lascivientibus, quo tandem modo potest mens vacare ulli honestæ & seriæ contemplationi? Ac planè idem munus sobrietatis in animo, quod erat Silentiariorum in palatio Imperatoris, imperantium silentium, & ea curantium quæ ad quietem palatii pertinerent. σώζειν τὴν φρένα. 6. Propriū.

Hanc ego virtutem laudaturus, cogor in limine dolere vicē generis humani, in quod vitia omnia quasi facto fœdere irruunt; nec enim tantùm ferinis incessitur cupiditatibus, sed & ingluvie & crapulâ infra pecudes abjicitur, inter quas non inveniuntur exempla ebrietatis. [7] In belluáne plus poterit instinctus, quàm in homine ratio; eaq; adjuta tam certis & obviis documētis ad sobrietatem? Incipiamus [8] à Deo, qui corpora nostra vetat cibo prægravari, &c. [9] Qui cùm cætera animantia ventri indulgentia abjecisset ad pastum, solū hominem erexit ad cœlestium contemplationē: Qui sedem intellectus longè dispescuit à ventre & sentina corporis, ne mentis agitatio vicinioris culinæ nidore & strepitu impediretur: Qui intestina homini dedit anfractuosa, & longis voluminibus perplexa, quæ morarentur excrementa festinantia ad exitum, ne homo jugiter in ingerendo & egerendo occuparetur: utiq; noluit hominem nasci tantùm ad percolandos cibos; aut [10] similem esse spongiæ, quæ completa, illico compressione depleretur. [11] Quid Epictetū, Platonem, Epicurum memorem? quid ea Sobrietatis præconia, quibus respersi sunt libri Philosophorū? cùm & ipsi helluones & tricongii, damnent ebrietatē, mirentur sobrios aut timeant, & pleno laudent jejunia ventre? [12] Et meritò: nam quis enumeret commoda sobrietatis; aut explicet adjunctā voluptati honestatem? Specta in [13] sobriis crudam & decoram senectutem: vegeta membra, & oris decus juvenile, corpus aptū ad obeundas actiones civiles, & orexin cibi; sine qua edere, genus est pœnæ. Nec minora animi bona, hilaritas, affabilitas, in mensis minus cibi plus joci, convivia non lautiora sed lætiora: tum aptitudo ad res gerendas, ingeniumque ad manum ac in numerato. Quæ causa fuit veteribus, libandi Mercurio dilutū, cùm aliis diis libarent merum & ζωρότερον κέρασμα, quia Mercurio [14] deo artifici & ingeniosissimo pu-

Transitio.

7. Ab eo quod minùs est probebile.

8. Testmonia divina.

9 Testimonia naturalia.

10. Dissimile.

11. Testimonia humana.

12. Effecta Subjecti & Causæ efficientes Prædicati. Utilitas. Honestas. Jucunditas.

13. Conjugatum. Effecta Subjecti quę eadem sunt Causæ efficientes prędicati.

14. Accidēs concomitās Subjecti.

taverunt convenire sobrietatem. His adde Taciturnitatem, nervum prudentiæ, quæ nulla nisi in sobriis. Patent arcana ebrii pectoris, & quasi laxatis vino compagibus omnia plena rimarum.

Exemplum.

Quòd si certatur exemplis; unde petūtur plura exempla excelsi animi & heroicæ virtutis, quàm à Lacedæmoniis? at illis labor & σκληροδίαιτον, & cursus ad Eurotam pro condimēto erant: inde ipsis vigor animi & robur corporis. Sed hos homines hîc libet imitari: producebant enim coram liberis [15] temulentū mancipiū; ex cujus turbato vultu, titubāte gressu, verbis incompositis, ætas tenera doceretur odisse vitium, quod tantopere corpus, animum tamen magis, deformaret.

15. Contrariū Subjecti.

16. Causę efficientes contrarii Prædicati, quæ eędem sunt effecta contrarii Subjecti.

[16] Observa, quomodo ingenia quantūvis acria & compta, nimiâ corporis saginâ hebescāt, & sitū contrahant: nam quę menti libertas abdomine distento? Specta in hominib. ventri deditis, qui vultus, quę mens, quis status animi & corporis? Oculi luridi aut lippientes, facies suffusâ bile decolor; & pejor ex repletione quā ex fame macies: ne podagrā & id genus morbos memorem, qui cùm dolores creent maximos, plus tamen adferunt pudoris; agnoscētibus hominibus non casum sed pœnam, nec imbecillitatem naturæ, sed fructum intemperantiæ.

Damna in corpore. Concomitantia. Consequentia. Effecta contrarii Subjecti promiscuè usque ad finem. In animo. In fortunis.

Propone tibi Mynderidem illum Chium, usq; adeò mollem, ut conquereretur se læsum quòd folio rosæ duplicato incubuisset: hoc ille debebat curæ cutis, & quæ inde sequitur, ignaviæ. Accedant animi vitia, libido, intemperantia, superbia, futilitas; omne vitium Ebrietas aut incendit aut detegit: Tunc cupidus fit adulter, tunc iracundus homicida; & sopitæ pudore vitia aut metu, affuso vino quasi oleo inardescunt. Minimum est, quòd hac viâ quasi equis albis ad inopiā curritur: parvô constat fames, magnô fastidiū: naturales appetitus facilè sedātur, contenti sunt desinere, at cupiditas intemperans ipsis alimentis irritatur & crescit.

Injucunditas.

At fortasse tot incōmoda voluptate pensantur; qualem imaginatus est Philoxenus ille, qui sibi longitudinē colli gruis optabat, quæ cibos in transitu moraretur. Sed haud scio quæ voluptas non expectare famē nec sitim, prima cibi & potus condimenta: volupe quidem est desideriis instantibus satisfacere; & naturales voluptates genuinæ sunt atque defecatæ: habent verò plurimum bilis & nauseæ voluptates quęsitæ, & suscitata arte fames, & sine siti cupiditas bibendi.

Testis

Testis Darius, bibens in fugâ aquam sanguinolentam summâ cum voluptate. Superest Honestas, cujus locum invasit stolida quædam gloria : honorificum nempe est stravisse compotorem, qui sic efferatur ex convivio quasi in funere: Certè tu cùm viceris sodales ventris capacitate, vinceris tamen à dolio,&c. Inhonestas.

Hæc est synthesis exoterica thematis conjuncti : synthesis exoterica thematis simplicis itidem observat ordinem, quem volet artifex : ut si de vitâ æternâ sit dicendum, explicatio peti potest è loco causæ efficientis, formæ, effectorum, subjectorum, adjunctorum, contrarii & similium.

Cap. 41. Analysis Logica.

Expedita est synthesis totalis : sequitur analysis Logica totalis, quâ opus jam compositum resolvimus; seu, quâ opus tractatum recognoscimus Logicè.

Dicitur totalis ; quia in hujusmodi analysi plura instrumenta Logica, si non omnia, adhibentur.

Analysis Logica est prima, vel orta.

Utraque fieri potest vel expressè, vel tacitè. Expressa resolutio non semper est necessaria : tacita autem per totam vitam durare debet.

Analysis prima est resolutio absoluta certi thematis. *Dici etiam potest* acroamatica.

Estq; consideranda secundùm communes affectiones & species thematis resolvendi.

Communes affectiones thematis resolvendi sunt dispositio plena seu aperta, & occulta.

Dispositio plena seu aperta est, quæ cum naturali dispositione sic congruit, ut nulla ibi sit detractio, heterogeneorum additio nulla, inversio nulla. Dispositio aperta.

Exempli gratiâ: Locum *Rom.6. verſ.16.17.18.19.* ſic poteris reſolvere. Apoſtolus hoc in loco proponit ſyllogiſmum talem: Cujus ſervi eſtis, ei etiam ſerviatis oportet. At jam ſervi eſtis non peccati, ſed juſtitiæ. Non igitur peccato, ſed juſtitiæ ſerviatis oportet. Propoſitio hujus ſyllogiſmi eſt *verſ.16.* Aſſumtio *verſ.17.18.* Concluſio *verſ.19.* Manifeſta quoque diſpoſitio eſt *Actor.10.* à *verſ.36. uſque ad 43.* ubi notabile eſt, quòd ſecundæ partis ſymboli Apoſtolici, quæ eſt de Chriſto Servatore noſtro, ordo in illo Scripturæ loco magis expreſſè, quàm in ullo alio eſt fundatus; & uterq; in ipsâ rei naturâ, quæ deſcribitur.

Diſpoſitio occulta.

Diſpoſitio occulta eſt, quæ naturalem partium ordinem tegit. Eſtque

1 *Defectus*; quando pars aliqua deeſt, quæ in reſolutione debet ſuppleri.

2 *Additio*; quando præter partes eſſentiales aliquid accedit. Hîc illud, quod redundat, eſt amputandum.

3 *Transpoſitio*; quando partium ordo invertitur. Hîc partes in ſuum quæque ordinem redigendæ. Videamus exempla.

Exempla defectus.

Pſalm.23. verſ.1. Dominus eſt paſtor meus: nihil mihi deerit. Hîc deficit propoſitio: Cui Dominus eſt paſtor, illi nihil deerit.

Matth.24. v.28. Ubicunque fuerit cadaver; illuc congregabuntur aquilæ. Hîc deeſt apodoſis ſeu redditio comparationis, putà: Ita & ubi Chriſtus erit, ibi quoque ipſius electi erunt, qui ad ipſum, dum celeriter & illuſtri præſentiâ aderit, congregabuntur aquilarum inſtar.

Lucæ 2. verſ.10.11. Tunc dixit eis Angelus, Ne timete. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo. Nempe natum vobis eſſe hodie Servatorem, qui eſt Chriſtus Dominus, in urbe Davidis. Hîc deeſt propoſitio major: Cui natus eſt Servator Chriſtus Dominus, ille non debet timere.

1.Tim.6.v.7. Nihil intulimus in mundũ: videl. nec efferre quicquam poſſumus. Hîc eſt diſpoſitio ſyllogiſtica non plena. Deficit enim major. Qui nihil intulit in mundum, nihil etiam efferet.

Exempla

Exempla redundantiæ.

Esa.9.v.2.3. Populus ejus, qui ambulant in tenebris, videbunt lucem magnam: super considentes in terrâ umbræ lethalis lux splendebit. Amplificans hanc gentem, non magnificasti lætitiam. Lætati sunt coram te, sicut qui lætantur in messe, ut qui exultant partientes prædam. Brevis sententia horum verborum est: *Populus lætabitur.* Hujus propositionis seu axiomatis subjectum & prædicatum amplificantur. Subjectum, *populus*, amplificatur 1. Ab adjunctâ miseriâ, quæ illustratur simili: *qui ambulant in tenebris &c.* 2. Ab adjunctâ multitudine: *amplificans hanc gentem.* Prædicatum, *lætabitur*, amplificatur 1. A causâ gaudii: *videbunt lucem &c.* ubi causa hæc illustratur simili. 2. A dissentaneo lætitiæ: *non magnificasti &c.* 3. A simili duplici; uno sumto à messoribus, altero à victoribus.

Jobi 14. v.2.3. Homo natus muliere, brevis ætate, & satur commotione. Ut flos, simul ac egressus est, succiditur; & fugit velut umbra, neq; consistit &c. Brevis sententia horum verborum est: *Homo est miser.* Subjectum, *homo*, amplificatur à causâ procreante, *natus muliere.* Prædicatum, *miser*, amplificatur ab adjuncto duplici, *brevis ætate, & satur commotione*; duplicīq; simili.

2.Corinth.6.v.14.15.16.17.18. Ne impari jugo copulamini cum infidelibus. Quod enim consortium justitiæ cum iniquitate? & quæ communio lucis cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? Et quæ consensio templo Dei cum simulachris? Nam vos templum estis Dei viventis: sicut dixit Deus (Levit.26. vers.12.) *Habitabo in eis & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & impurum ne attingite: tum ego excipiam vos* (Esa.52. v.11.) *Et ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi pro filiis ac filiabus: dicit Dominus omnipotens.* (Jerem.31. vers.19.) Hîc proponitur syllogismus talis: Fideles non debent ducere jugum cum infidelibus. Sed vos Corinthii estis fideles. Vos itaq; Corinthii non debetis ducere jugum cum infidelibus. Propositio est *v.14.15. & 16.* confirmata à contrariis, quæ per commorationem quinque

membrorum amplificantur. Assumtio est parte posteriori *v.16.* aucta testimonio Mosis: Complexio est *v.14. & 17.* ubi exornatur testimoniis Esaiæ & Jeremiæ.

Exempla inversionis.

Psal.25.v.2.3. Deus mi, in te confido, ne erubescam: ne exultent inimici mei de me. Etiam ulli expectantes te, ne erubescant: erubescant qui perfidè agunt immeritò. Syllogismus his verbis continetur iste: Qui in Domino confidunt, non erubescent. At ego David in Domino confido. Ergò non erubescam. Sed partes sunt inversæ. Assumtio quippe primo loco; conclusio secundo; propositio tertio.

Matth.6.v.28.29.30. Ac de vestitu quid solliciti estis? Discite, quomodo lilia agrorum augescant: non fatigantur, neque nent. Sed dico vobis, ne Salomonem quidem cum universâ gloriâ suâ sic amictum fuisse ut unum ex istis. Quòd si herbam agri, quæ hodiè extat, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit, nónne vos multò magis, ô exiguâ fide præditi! Proponitur hîc syllogismus connexus: Si Deus flores vestit, multò magis vos suos filios vestiet. Atqui illud est verum. Ergò & hoc. Assumtio hujus syllogismi præponitur propositioni. Potest & esse talis analysis: Si Deus vobis prospiciet de vestitu, non debetis de illo nimis esse solliciti. At Deus vobis prospiciet. Ergò. Minor hujus syllogismi probatur hoc prosyllogismo: Si Deus herbam agri circumvestit, multò magis vos. At verum est illud. E.

Luc.11.v.17.18. Omne regnum dissidens adversus seipsum, vastatur: & domus adversus sese dissidens, cadit. Quòd si etiam Satanas adversus seipsum dissidet, quomodo stabit regnum ejus? Nam dicitis per Beelzebub me ejicere dæmonia. Syllogismus hic est positus per ὑστερολογίαν: Omne regnum adversus seipsum dissidens, cadit. At regnum Satanæ non cadit hactenus. Satanę igitur regnum non est adversus seipsum dissidens; & per consequens ego non ejicio dæmonia per Beelzebub. Propositio est primo loco. Conclusio est secundo loco: *Quod si etiam.* Assumtio tectè ponitur ultimo loco: *quomodo stabit*: quasi dicat, regnum Satanæ stat. Potest & artificium Logicum sic ostendi in eodem dicto: Duo sunt syllogismi in his verbis; unus principalis, alter prosyllogismus. Principalis hic est: Si per Beelzebub ejicerem dæmonia

dæmonia, Satanas adversus seipsum dissideret. At Satanas adversus seipsum non dissidet. Non igitur ejicio dæmonia per Beelzebub. Prosyllogismus stabiliens assumtionem sic habet: Si Satanas adversus seipsum dissideret, quæreret interitum regni sui. At Satanas non quærit interitum regni sui. Ergò. &c.

Analysis prima quoad species thematis resolvendi, est vel axiomatica, vel dianoëtica.

Nam quidquid proponitur resolvendum, aut ut axioma consideratur, aut ut ex pluribus axiomatibus compositum. Si illud, analysis dici potest axiomatica: Si istud, dianoëtica.

Analysis axiomatica est, quâ recognoscitur effatum aliquod, in quo thema simplex cum argumento declarationis disponitur. **Analysis axiomatica.**

Illa primò eruit axioma, semotis amplificationibus: deinde in partes resolvit, adhibitis etiam amplificationibus, & Logicis terminis enunciat.

E.g. *Psal. 36. v. 20. Multæ tribulationes sunt justo: sed ab his omnib. liberat eum Dominus.* Axioma hîc continetur discretum. Quanquam multæ angustiæ manent justum: tamen ex his omnibus liberat eum Deus. Partes hujus axiomatis compositi sunt duo axiomata simplicia. 1. Justus multa patitur. 2. Deus justum liberat. In priori explicetur subjectum *justus* à causâ efficiente illius justitiæ: & prædicatum *multa pati*, per partes seu distributionem. In posteriori uterq; terminus itidem explicetur.

Psal. 92. v. 13. Justus ut palma florebit: sicut cedrus in Libano augescet. Axioma est: Justus erit felix. Disponitur subjectum cum adjuncto. Subjectum *justus* explicetur, ut in præcedenti exemplo. Prædicatum *erit felix*, in textu illustratur à simili duplici. Utraq; similitudo est contracta. Explicanda igitur fuerit πρότασει & ἀποδόσει.

Phil. 1. v. 23. Cupio migrare, & esse cum Christo. Axioma est copulatum: Ego Paulus cupio migrare ex hâc vitâ, & esse cum Christo. Hoc axioma compositum resolvatur in duo simplicia, & hæc explicentur ratione subjecti & prædicati.

Gal.4.v.4.5. Ubi venit plenitudo temporum, emisit Deus Filium suum factum ex muliere, factum legi subjectum: ut eos qui legi erant subjecti redimeret, ut adoptionem acciperemus. Axioma est: Deus misit Filium suum. Hoc illustratur 1. ab adjuncto tempore, *ubi venit plenitudo temporum*, h. e. tempus à Deo ordinatum. 2. à causâ procreante respectu carnis, *factum ex muliere*. 3. ab adjuncto, *factum legi obnoxium*. 4. à fine, *ut eos qui sub lege*: ubi est officium & beneficium Christi, illustratum simili: *ut adoptionem &c.*

Apoc.7. v.14.15.16.17. Hi sunt, qui venerunt ex afflictione magnâ, & laverunt stolas suas, ac dealbarunt in sanguine Agni. Ideò sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die & nocte in templo ejus: & qui insidet throno, umbraculo proteget eos. Non esurient ampliùs, neq; sitient ampliùs, nec in eos cadet sol, neq; ullus æstus. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, pascet eos, & deducet ad vivos fontes aquarum: & absterSurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Axioma ex his verbis eruitur tale: Christiani erunt beatissimi in vitâ æternâ. Subjectum *Christiani* describitur ab adjunctâ passione præteritâ: *Hi sunt qui venerunt*. Prædicatum *erunt beatissimi* describitur 1. à subjecto loco: *sunt ante thronum*. 2. ab effecto: *serviunt ei*. 3. à causâ efficiente: *& qui insidet throno*; ubi effectum illius causæ illustratur simili. 4. à contrariis: *non esurient*. 5. à causâ procreante & conservante: *quoniam agnus &c.* Hæc est resolutio axiomatica, quæ multis nominibus debet nobis esse quàm commendatissima. Nam videmus magnos viros ex authoribus sæpe excerpere nuda dicta, & illa sic resolvere, ut ostendimus: ut si quis velit resolvere *psalmum 103.* poterit ita καθ' πόδας, ut loquuntur, à versu ad versum progredi, & axiomaticè resolvere. Deinde hæc analysis licet non semper fiat expressè: tacitè tamen fiat oportet, si velimus scriptum aliquod solidè intelligere.

Hîc utile fuerit in conspectu habere notas axiomatis, ut ita speciem illius facillimè deprehendamus, juxta has monitiones, quas confer cum lib.*6.c.6.*

1 Axiomatis generalis signa sunt partim affirmantia: ut, omnis, nemo nō, nullus non, quicunq;, universi, cuncti, quotquot, unusquisque, semper, ubique, omnes ad unum, omnes

mnes & ſinguli: *partim negantia*; ut, nullus, nemo, non ullus, ne unus quidem, nihil, ne quicquam, nunquam, nuſquam, nullatenus.

2 *Axiomatis particularis ſigna ſunt*; aliquis, quidam, nonnulli, plerique, rari, interdum, plerumq;, ſæpe, rarò, ferè, non omnis, non quilibet, non ſemper.

3 *Axiomatis proprii notæ ſunt*; nomina propria, pronomen *hoc*, & (ut multi volunt) individua μοναδικά: ut, Deus, Sol, Luna, Mercurius, Ignis. Hæc individua dicuntur μοναδικὰ, ob conſtantem naturam; quibus opponuntur τὰ καθ' ἕκαστα, quæ & infinita, & inſtabilia ſunt: ut, Alexander, Bucephalus.

4 *Axiomatis neceſſarii ſigna ſunt*; oportet, neceſſe eſt, impoſſibile eſt, gerundia, & ſimiles formulæ: ut, Vigilet oportet ſeu neceſſum eſt, qui velit diteſcere; Qui bonas literas diſcere cupit, uti ſudet neceſſitas eſt; Fieri non poteſt quin doleat is, cui fit injuria; Abibis nolens volens; Velis nolis hinc abibis; Non mihi poſſum temperare à lacrymis; Non me contineo quin rideam; Cogor, compellor, invitus dico, coactus dico.

5 *Formulæ affirmandi & ſtatuendi illuſtrant hanc doctrinam:* ut, Extra controverſiam eſt; Liquidò liquet; Dubio procul; Indubiè; Certum eſt; Stat ſententia; Non eſt ſententia; In eam ſententiam ibant omnes; Mihi nihil æquè propoſitum eſt, quàm tibi per omnia gratificari; Hic murus aheneus eſto: Item formulæ aſſentiendi & diſſentiendi: ut, Conſentiunt univerſi; Tuo judicio ſubſcribo; Omnibus eruditorum calculis ſive punctis hoc comprobatur; Idem uno ore omnes confirmant; Hâc de re ſummus eſt inter philoſophos conſenſus; Longè lateq; abeſt; Multò aliter atque tu ſentio; Huic ſententiæ refragantur omnes ſani; Iſti ſententiæ nemo non reclamabit; Magnopere noſtra cum tuâ pugnat opinio; Mihi ſecus videtur; Equidem ab opinione tuâ nimium quantum abſum.

6 *Axiomatis copulativi notæ quæ ſint, ex his formulis diſce:* Eſt vir cùm eruditus, tum probus; Vir eſt doctus, itemq; probus; Eſt vir doctus ſimul, ac probus; Eſt vir doctus, pariter & probus; Vir æquè doctus, atque probus; Vir eſt perinde doctus atque probus; Vir eſt haud ſecius doctus, ac probus;

Vir est similiter doctus & probus; Vir est haud dissimiliter doctus & probus; Vir est doctus juxtà ac probus; Vir est ex æquo doctus, ac probus; Vir est non tantùm eruditus, sed etiam probus; Vir est quemadmodum doctus, ita probus; Vir est tam doctus, quàm probus; Vir est non minùs doctus, quàm probus; Vir est, præter magnam eruditionem, etiam probus. Plures formulas vide apud *Liebigium de cop. cap.41.* virum doctissimum, amicum honorandum.

7 *Axiomatis discreti formulæ sunt:* Etsi est doctus, tamen non est probus; Vir eruditione quidem egregiâ, sed moribus illaudatis; Vir est ut eruditione magnâ, ita probitate nullâ; Vir eruditus, civis improbus; Est ille quidem eruditus, verùm parum probus; Vir est eruditus, at civis improbus; Vir est eruditus, cæterùm civis malus; Vir est eruditus contrà improbus.

Analysis dianoëtica est, quæ syllogismum recognoscit, aut methodum: ideoq; duplex est, syllogistica, & methodica.

Analysis syllogistica. Analysis syllogistica 1. Eruit quæstionem conjunctam. 2. Argumentum seu medium terminum quærit. 3. Judicium axiomaticum cum syllogistico conjungit. Illo partes tres syllogismi, hoc consequentiam judicat. 4. Si quid desit, supplet: sin verò quid supersit, detrahit. 5. Quæstionem, argumentum & prosyllogismum, si qui adjunctus fuerit, convenienti distributione proponit.

E.g. *Gen.2.v.16.17. De fructu quidem omnis arboris hujus horti liberè comedes. De fructu verò arboris scientiæ boni & mali, de isto ne comedas. Nã quo die comederis de eo, utiq; moriturus es.* Quæstio seu thema conjunctũ est: Homo protoplastus non comedet de fructu arboris scientiæ boni & mali. Hæc quæstio resolvatur axiomaticè in subjectũ & prædicatum, & utrumq; explicetur. Proponitur in textu κατ' ἀντίθεσιν dissimilium: Ex omni ligno horti hujus comedes: at non ex hoc. Medium syllogisticum est: Quia esus ille afferet mortem. Sumtum est hoc medium à subjecti causâ impellente ex privantibus sumtâ: & prædicati effecto. Dispositio plena sic

na sic habet: Qui esus mortem affert, ab eo abstineat homo protoplastus. At esus istius fructus mortem affert. Ergò. Propositio major in syllogismo hoc deficit in textu. Sunt igitur partes duæ horum verborum. 1. Interdictio Dei. 2. Ratio interdictionis.

Matth.11.v.26. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos. Thema est: Omnes peccatores veniant ad Christum. Consideretur hoc thema axiomaticè, & explicetur subjectum, *omnes peccatores* scilicet agnoscentes miseriam: & prædicatum, quid sit venire ad Christum. Medium syllogisticum est ab effecto prædicati: Quia Christus reficiet eos. Si disponatur syllogismus plenè, apparebit, propositionem in textu esse omissam. Partes horum verborum sunt duæ. 1. Invitatio gratiosa. 2. Ratio invitationis.

Rom.11. v.6. Quòd si per gratiam, non jam ex operibus. Alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratiâ. Alioquin opus jam non est opus. Quæstio est: Operibus non salvamur. Explicetur quæstionis utrumque extremum. Argumentum est: quia salvamur ex gratiâ. Est ratiocinatio à naturâ contrariorum. Conclusio syllogistica sic habet: Si per gratiam servamur, non jam ex operibus. At servamur ex gratiâ. Ergò non ex operibus. Sola propositio major est in textu, & illustratur conversione: Si ex operibus salvamur, jam non est gratia. Rationem hujus connexi ostendit illis verbis: *alioquin opus* &c. Multi igitur syllogismi hîc sunt conglobati: videl. justificamur aut ex gratiâ, aut ex operibus. At ex gratiâ. Ergò. Item: Si servamur ex operibus, gratia non est gratia. Hoc absurdum. E. & illud. Item: Justificamur aut ex operibus, aut ex gratiâ. Atqui non ex operibus. E. ex gratiâ. Horum igitur verborum partes duæ sunt. 1. Negativa: non servamur ex operibus. 2. Affirmativa: servamur ex gratiâ.

1.Corinth.1. v.30.31. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio: ut, quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur in Domino glorietur. Thema conjunctum est: Omnis homo in Domino glorietur. Argumentum ab effectis prædicati: Q. ille nos reddit sapientes &c. Conclusio

Syllogistica sic habet: Si Christus solus nobis est factus sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio, utique in illo solo gloriari oportet. At prius est. Ergò & posterius. Propositio deest in textu.

Oportet hoc loco notare quæ sint signa quæstionis & argumenti, quomodo item in orationibus tegatur syllogisticum artificium.

1 *Medii termini seu argumenti probativi notæ, sunt conjunctiones causales, & aliæ voculæ, quæ notant causam dicendi h. e. argumentum ad fidem faciendam adhibitum:* ut, nam, namq;, enim, etenim, quia, quoniam, quandoquidem, quippe, siquidem, alioquin, ob id, in causâ est; ut, tanquam, nimirum, posteaquam, & quando, pro quia positæ. v. g. Odit me ut proditorem; Hæc nimirum res suspectũ reddidit; Posteaquam mihi non credis, alios in consilium adhibe; Quando tu me negligis, tui quoque curam abjiciam; Amplector Petrum, ut optimè de me meritum; Libens lego Plautum, virum nimirum festivissimum.

2 *Quæstionis seu conclusionis formulæ sunt conjunctiones rationales, ob id conclusivæ dictæ, aliæq; particulæ illativæ & formulæ inferendi:* ut, Ergò, ideò, iccircò, igitur, proin, proinde, quare, quapropter, quocirca, quamobrem, ex quo efficitur, conficitur, relinquitur, elicitur, unde consequitur, hinc colligitur, sequitur, consectarium est, unde liquet, patet, manifestum est; I nunc & clama Ecclesiam Romanã esse Catholicam; Veniant nunc irrisores hujus sententię; Quare irrideat si quis volet; Quæ cùm ita sint, quis audeat inficias ire; Hoc cùm ita se habeat, annon; Et dubitamus adhuc, an Papa sit Antichristus.

3 *Consequentiã solemus exprimere his fermè formulis, ubi & sunt integri syllogismi.* 1. Quod animal est, idem corpus sit necesse est. Quod autẽ corpus est, non statim & animal. 2. Is pauper est qui plurima cupit. Porrò quo quisq; magis abundat opib⁹, hoc est opum appetentior. Igitur ditissimus quisq; pauperrimus sit necesse est. 3. In quẽ cadit misereri, in eundem cadit invidere. Non cadit autem invidere in sapientem. E. ne misereri quidem. 4. Felix non est cui multa desunt. Atqui divitib. desunt plurima. Quî possunt igitur divites esse felices. 5. Si Deus est spiritus, animi puritate potiùs, quàm victimis

ctimis

ctimis & hecatombis, convenit eum colere. 6. Cùm animus sit corpore præstantior, virtutes autem animi sint possessiones, pecuniæ corporis, consentaneũ est, virtutes pecuniis anteponendas esse. 7. Ipse sibi utilis esse nequit, & vobis erit usui? 8. Solum bonum virtus. Nam id demũ bonum est, quo nemo malè uti potest. Virtute nemo malè uti potest. Bonum est ergò virtus. 9. An pecunia est bona, quâ quisq; malè uti potest? 10. *Cic. 2. de legib.* Cùm summos deos esse concedamus, & eorundem benignitatem hominũ consulere generi, & posse nobis signa futurarum rerum ostendere, non video cur divinationem esse negem. 11. Lætus sum laudari me abs te laudato viro. Ea est enim profectò jucunda laus, quę ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. 12. Magnum ex ejus defensione fructum capies. E. res ejus tibi commendatas esse cupio. 13. Magna mihi est cũ hoc homine necessitudo. Me diligit, observat, est honestus, est multis virtutib. præditus, nec difficile tibi est eum ornare ac provehere. Ex his videre est, oratores non semper observare ordinem propositionum syllogismi. Ordiuntur sæpè à conclusione, aliâs à minore, raró à majore.

4 *Magna est vis inductionis in urgendis adversariis.* Hîc autem peculiaris est clausula: Et multi alii; Sed quid ago? Infinitum foret: vel longum, singula recensere.

5 *Enthymemata conveniunt orationib. vehementioribus, exempla lenioribus.* Hinc oratores illa adhibent, cùm pungere & urgere volunt adversarium, ista cùm mollissimè suadere cupiunt. Demosthenes certè orator acerrimus, plurimis utitur enthymematis: at Isocrates, qui scripsit orationes suasorias, plurimis utitur exemplis.

Analysis methodica est, quâ longior tractatio recognoscitur. **Analysis methodica.**

Estq; vel historica, vel didascalica.

Analysis historica est, quâ historiam seu thema singulare recognoscimus secundùm circumstantias, *quæ sunt causæ, effecta, subjecta & adjuncta,* de quibus est versus:

Quis, quid, ubi, per quæ, quoties, cur, quomodo, quando.
Vel: *Quis, quid, ubi, quib. auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Hæ circumſtantiæ debent tractari illo ordine, quo occurrunt. E. g. Deuteronomii 34. deſcribitur mors Moſis, ab antecedente, reipsâ, & conſequente. *Antecedens* eſt 1. Aſcenſus Moſis in montem Nebuntis: qui locus deſcribitur *verſ. 1.* 2. Aſpectus, quo luſtravit totam terram: qui aſpectus deſcribitur à causâ efficiente, Deo: parte 2. verſus 1. & ab adjunctâ amplitudine terræ, *v. 2. 3.* & denique à Jehovæ de illâ terrâ ſententiâ, *verſ. 4.* ubi duo continentur, deſcriptio terræ à promiſſione factâ patribus, parte primâ illius verſus; & prædictio Moſi facta, parte ſecundâ verſus ejusdem. *Mors* ipſa deſcribitur *verſ. 5.* à loco, & causâ efficiente, decreto Dei. *Conſequens eſt: 1. Sepultura*, quæ deſcribitur à causâ efficiente, ipſo Deo; & circumſtantiâ loci, *v. 6.* & accidente, quòd ſepulchrum ſit ignotum. *ibid.* Hîc additur tempus, quo mortuus ſit Moſes, *v. 7.* & adjuncta morientis recenſentur, *ibid.* 2. *Luctus populi. v. 8.* 3. *Succeſſio Joſuæ*, qui deſcribitur ab accidentibus, videl. 1. à ſpiritu ſapientiæ. *v. 9.* cujus accidentis cauſa inſtrumentalis ſubjicitur *ibid.* videl. impoſitio manuum Moſis. 2. ab authoritate, quâ valuit apud populum. *part. 2. verſus 9.* 4. *Conſequens proponitur* κατὰ σύγκρισιν *disſentaneorum v. 10. 11. 12.* videl. neminem ex eo tempore Iſraëlitis à Deo datum, qui aut donis, aut adminiſtratione & operatione tantum perfecerit à Deo, quàm Moſes. Dona continentur *verſ. 10.* Nemo propheta extitit, quîcum Deus egerit tam familiariter, quod παροιμιωδῶς Hebræi dicunt, *ore ad os.* Adminiſtratione & operatione valuiſſe, demonſtrant duo verſus ultimi: tùm quòd ex vocatione Dei res ampliſſimas in Ægypto geſſerit, *verſ. 11.* tùm, quòd in expeditione reliquâ exeuntibus Iſraëlitis, & in terram promiſſam contendentibus res potentiſſimas, & bonis reverendas, impiis horrendas præſtiterit, *v. 12.*

Analyſis didaſcalica eſt, quâ thema univerſale recognoſcimus.

Eſtq; vel ſeparata, vel combinata.

Analyſis ſeparata eſt, quâ unum duntaxat thema tractatum reſolvitur.

Eſtq; thematis ſimplicis, vel compoſiti.

Reſolutio thematis ſimplicis.

Thematis ſimplicis analyſis ſeparata eſt, quâ recognoſci-

cognoſcimus artificia in unius thematis ſimplicis tractatione adhibita.

Hîc primùm oportet eruere thema, tùm videre per quæ instrumenta Logica hoc thema ſit tractatum. Rarò enim fit, ut authores thema aliquod tractent per omnia instrumenta Logica. Quia igitur in reſolutione non debet plus eſſe, quàm fuit in tractatione; videndum eſt, quibus terminis ſeu argumentis ſit uſus author. Exempli gratiâ: Pſalmi primi thema ſimplex eſt: *Pius eſt beatus*. Subjectum *pius* declaratur ab effectis, quæ deſcribuntur per antitheſin. 1. Devitatio actionum malarum *v.1.* 2. Studium actionum bonarum *verſ.2:* ubi actiones bonæ, quibus pius ſtudet, notantur ex unâ ſpecie principali, videl. meditatione verbi divini: quæ meditatio amplificatur ab effectu, videlicet oblectatione: & ab adjuncto tempore, *meditatur inter-diu & noctu*. Prædicatum, *beatus*, deſcribitur 1. A ſimili, *verſ.3.* 2. Ab antitheſi miſeri ſtatus impiorum *v.4.* & *5:* qui miſer ſtatus declaratur primùm antitheſi, nimirū negatione beatitudinis antea expoſitæ parte priore verſus 4. deinde ſimilitudine, ejuſdem verſus parte poſteriore: deniq; certæ ſpeciei miſeriæ indicatione. 3. A cauſâ procreante beatitatis. *v.6.* quæ ipſa quoq; tractatur *κατ' ἀντίθεσιν ibid.*

Thematis conjuncti analyſis ſeparata eſt, quâ recognoſcimus artificia in unius thematis conjuncti tractatione adhibita. Reſolutio thematis conjuncti.

E. g. *Pſalmi 30.* thema eſt: *Deus eſt laudandus*, vel, *David laudare debet Jehovam*, *v.2.* Hoc thema repetit *verſ.4.* figuratum averſione ad electos Dei, & amplificatum per ſynonymiam: *Pſallite Domino*. Argumentorum duæ claſſes conſtitui poſſunt. 1. Continet argumenta ducta ab effectis Dei. 2. Complectitur argumenta ab attributis ſeu proprietatibus Dei. Argumenta ab effectis ſunt: 1. Exaltatio Davidis, *verſ.1.* quod argumentum amplificatur ab oppoſito, *ibid.* 2. Sanatio Davidis. *verſ.3.* quæ deſcribitur à cauſâ impellente, precatione; & antitheſi. *verſ.4.* Argumenta à proprietatibus Dei ſunt. 1. Iræ brevitas. *verſu 5.* 2. Benevolentia, *ibid.* Utrumque hoc argumentum amplificatur

descriptione miseriæ & liberationis. Miseriæ causas tres narrat. 1. Est causa remota per accidens, videl. tranquillus status, *v.7.* 2. Est causa per se, securitas carnalis. *v.7.8.* 3. Desertio Dei est causa proxima. *v.8.* parte posteriore. Liberationem sui amplificat 1. A causâ impellente, videl. precatione. *v.9.* ubi formula precationis habetur *v.10.11.* 2. Ab effectis, suâ nimirum lætitiâ. *v.12.* 3. A causâ finali, gratiarum actione *v.13.* ubi repetit thema.

Analysis didascalica combinata est, quâ recognoscuntur plura themata in aliquo opere simul tractata.

Estque vel thematum simplicium tantùm, vel conjunctorum tantùm, vel simplicium & conjunctorum simul.

Analysis thematum simplicium in aliquo opere simul tractatorum, primò eruit themata, deinde tractationem uniuscujusq; peculiariter recognoscit adhibitis argumentis declarantibus.

Resolutio plurium thematum.

E.g. in primo capite Evangelii secundùm Johannem tractantur duo themata simplicia. Duæ igitur partes principales illius constituendæ sunt. Prima pars *à v.1. usq; ad 37.* habet thema de personâ Christi, cujus divina natura explicatur *à v.1. usq; ad 14.* humana *v.14.* & de officio illius, tùm in genere *v.15.16.17.* tùm in specie de prophetico *v.18.* sacerdotali item & regio *à v.19. usq; ad 37.* Posterior pars itidem est thema simplex, videl. vocatio & assumtio quorundam discipulorum *à v.37. usq; ad finem.*


Analysis thematum conjunctorum in aliquo opere simul tractatorum, primò eruit themata, deinde tractationem uniuscujusque recognoscit adhibitis argumentis demonstrantibus.

V.g. *Psalmus 130.* duo habet themata conjuncta: 1. Dominus audiat Davidem. 2. Israël habeat expectationem in Jehovâ. Thema prius est *à v.1. usq; ad 7.* Proponitur *v.1.&2.* Confirmatur tribus argumentis: 1. Ab eventu seu effecto inutili, *v.3.* Quia sic futurum sit, ut nemo consistat coram judicio

judicio Dei,ſed ut omnes damnentur,atque ita bonitas Dei nemini innoteſcat. 2.A causâ impulſivâ προηγουμένῃ,ſeu internâ,videlicet voluntate Dei,quòd Deus velit peccata condonare, *v.4.* ubi additur cauſa finalis, ut ſcilicet reverenter colatur. 3.A fiduciâ,tanquam causâ impellente προκαταρκτικῇ ſeu externâ, *v.5.* Hanc fiduciam ſeu ſpem exauditionis primùm confirmat à causâ procreante,videlicet verbo Dei *v.5.* deinde illuſtrat & amplificat comparatione ſimilium & minorum. *verſ.6.* Thema poſterius proponitur *v.7.* parte priore. Confirmatur argumento ducto à causâ procreante,videlicet benignitate & voluntate Dei redimendi populum ſuum à peccatis, *v. 7.* parte poſteriore: quam ipſam redemtionem amplificat *v.8.* ab adjunctâ magnitudine & perfectione.

Analyſis thematum ſimplicium & conjunctorum ſimul eſt, quâ recognoſcimus opus, in quo ſimul tractantur themata ſimplicia & conjuncta:

Ut fit in libris & diſciplinis integris. Hîc igitur cauto opus eſt, ut ne themata ſimplicia confundantur cum conjunctis, ſed ſingula ſeorſim tractentur: exempli gratiâ; ſit reſolvendus liber primus Moſis. Primò hîc requiritur analyſis generalis totius libri, ut ita conſtet, quot themata ſimplicia principalia ibi tractentur. Analyſis illa commodè tabulâ aliquâ adumbrari poteſt: ut,



Hanc analysin generalem excipere debet analysis specialis sin-

lis singulorum capitum, in quibus themata nunc simplicia tantùm, nunc simplicia & conjuncta simul tractantur. Eodem modo resolvi possunt omnes libri Biblici, exceptis proverbiis Salomonis & sententiis Siracidis. In talibus enim Logica analysis nihil aliud præstare potest, quàm ut dicat, tot & tot esse in aliquo capite propositiones sive sententias, easque ordine enumeret. Eodem modo libri authorum non-sacrorum resolvi possunt, ut officia Ciceronis; quæ tum aphoristicè, tum typicè seu synopsi tabellari comprehensa vide *in philosophiâ nostrâ restitutâ pag. 347. & seqq.* Quod attinet ad systema methodicè conscriptum, analysis erit facillima, si primò observetur, num disciplina sit theoretica vel practica. 2. Si præcepta à commentariis separentur. Primum illud non solùm in analysi integrorum systematum observari debet: sed etiam in analysi partium disciplinæ. Nam ea, quæ pertinent ad disciplinas Theoreticas, omninò resolvi debent ut ipsæ disciplinæ; sic etiam ea quæ pertinent ad disciplinas practicas, resolvi debent eo modo, quo resolvuntur ipsæ disciplinæ practicæ. Exempli gratiâ: quia precatio est thema practicum, in scripto de precatione primò debet cogitari de subjecto, tum de fine, tum de mediis, quibus finis possit obtineri. Ita si velimus instituere analysin orationis Dominicæ, cogitabimus primò de subjecto, in quod finis debet introduci. Subjectum illud est vita nostra. Finis vitæ est tum principalis, gloria Dei; tum secundarius sive subordinatus, qui est nostra salus. Scopum primarium petimus petitione primâ: *Sanctificetur nomen tuum:* secundarium, petitione secundâ: *Adveniat regnum tuum.* Media, quæ ducunt ad utrumque illum finem sunt duo, collatio boni, & remotio mali. Collatio boni est vel respectu animi, ut pietas; vel respectu corporis, ut sustentatio corporalis. Pietatem petimus petitione tertiâ: *Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terrâ.* Sustentationem corporalem petimus petitione quartâ: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Remotio mali est vel præteriti, vel futuri. Remotionem mali præteriti petimus petitione quintâ: *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Remotionem mali futuri petimus.

petitione sextâ: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Hoc loco meminisse te velim, prædicamẽtum substantiæ gubernare methodum, quâ scriptores rerum naturalium usi sunt in explicandis præcipuis partib. naturæ rerũ: ut, Aristoteles in libris octo Physicæ acroaseωs de corpore naturali, ejusque accidentib. disserit: deinde libris 4. de cœlo & mundo, corporum simplicium naturam aperit: postea in duob. libris de generatione & corruptione de perfectè mixtis disputat: in libris quatuor de meteoris explicat imperfectè mixta: de animalib. agit in historiâ animalium: tandẽ ad descriptionem animę se convertit. Hæc summa est præcipuorũ librorum, quos Philosophus scripsit de Naturâ. *Eodem modo retexemus ordinem librorum Plinii.* Primus liber est index totius operis. Liber secundus veluti gemma insignis eminet in toto opere, continetq; historiã naturalem cœli & elementorũ, ubi etiam de meteoris. Quatuor libris sequentib. terram describit, in tertio & quarto Europam, in quinto Africam, in sexto Asiã. In libro septimo de homine agit tanquam fine aliarũ rerum. In octavo texit historiam de animalib. terrestribus. In nono de aquatilibus; in decimo de volatilibus; in undecimo de insectis; octo sequentes libros à duodecimo usq; ad vigesimũ constituit in plantarũ enumeratione; inde usq; ad vigesimũ octavum, octo voluminib. complexꝰ est medicamenta, quæ ex plantis confici possunt; adjungit deinde quinq; libros, in quib. indicat remedia, quę ex animalium partibus sumi possunt, usq; ad librum trigesimum tertium. Reliquos quinq; libros usq; ad finem operis, consumit in descriptione metallorum, lapidum & gemmarum.. Hc ordo librorum in toto opere Pliniano congruit ad eam seriem, quæ in tabulâ substantiarum ante oculos ponitur, si modò ordo dignitatis observetur in recensione corporum perfectorum.

Analysis Logica orta.

Fuit analysis Logica prima: sequitur orta, quâ thema resolvimus terminis Logicis relatis ad certam materiam.

Analysis prima considerat thema absolutè, & illius tractationem terminis Logicis comprehendit; ut, hoc est thema illius capitis, quod tractatur his vel illis argumentis. Sed ana-

Sed analysis orta terminos logicos commutat in terminos reales, quos possit intelligere auditor Logicam non doctus. Dicitur orta; quia ex primâ oritur. Nam impossibile est, ut illa rectè se habeat, si prima non præcesserit, saltem tacitè.

Analysis ortæ partes duæ sunt, una externa, altera interna.

Pars externa est, quæ ante resolutionem operis est necessaria, & continet præcognita.

Estque primaria, vel secundaria.

Primaria pars continet tria, authorem, scopum & occasionem:

Ut ita constet de causâ efficiente partim principali, partim impulsiva, partim finali ipsius operis resolvendi.

Pars secundaria continet adjuncta operis resolvendi, cujusmodi sunt excellentia, necessitas, utilitas & jucunditas operis resolvendi.

Pars interna analysis ortæ est applicatio terminorum Logicorum ad terminos reales, quorum hic esto catalogus:

Dignitas, Indignitas.	Claritas, Obscuritas.
Utilitas, Inutilitas.	Commune, Proprium.
Necessarium, Non-necessarium.	Historia, Allegoria.
	Fortuna bona, mala.
Honestas, Inhonestas.	Præceptum, Interdictum.
Antiquitas, Novitas.	Promissio, Comminatio.
Facile, Difficile.	Commodum, Incõmodum.
Bonitas, Malitia.	Antecedens, Concomitans, Consequens.
Jucunditas, Injucunditas.	Suasio, Dissuasio.
Possibile, Impossibile.	Quæstio, Responsio.
Personæ, Res, Actiones.	Occasio, Actio, Eventus.
Petitio, Exauditio.	Sensus, Usus.
Doctrina, Praxis.	Didascalus, eucharisticus,
Ortus, Incrementum, Exitus.	protrepticus, eucticus &c.

Plures termini his à me positis possunt addi, quibus artificium analyseωs primæ, quæ utitur terminis Logicis, veluti vestimus. Exempli gratiâ: Sit resolvendus *Psalmus 44*. Hîc non dico, thema illius psalmi est precatio, sed dico, psalmus est εὐκτικός. Si argumenta sint eruenda, non dico, est argumentum à causâ, effecto &c. sed: affert argumentum seu rationem hanc, quòd sit utile, facile, necessarium &c. Sic sæpe in resolutione sacrorum textuum dicimus: Considerabimus sensum & usum; doctrinam & praxin; historiam & allegoriam; hîc occurrunt personæ, res, actiones; in hoc textu est quæstio & responsio, & sic deinceps. Hîc ὡς ἐν παρόδῳ liceat adnotare, usum plerorumque locorum sacræ Scripturæ facere ad doctrinam, redargutionem, institutionem, correctionem, & consolationem. Exempli gratiâ: explicandus sit primus versus Geneseωs: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Dico: Horum verborum considerabimus sensum & usum. Sensum; ut, indicabimus quid sibi velit illa phrasis, *In principio*; quid sit, *creare*; quomodo accipiatur vocula *Deus*; quid per *cœlum & terram* sit intelligendum. U*sum.* Hic versus facit 1. *Ad doctrinam.* Confirmat enim primum symboli Apostolici articulum. 2. *Ad redargutionem.* Errarunt igitur Epicurêi, Athei, & similes porci. 3. *Ad institutionem.* Deus creavit hunc mundum. E. ita vivamus, ut illi conditori nostro placeamus. 4. *Ad correctionem.* Quid ergò est avari, quòd adeò solliciti estis de rebus hujus mundi, quæ fluxæ, utpote conditæ. Potius ad conditorem illarum assurgite. 5. *Ad consolationem.* Si Deus creavit mundum, quid adeò solicita es, anima mea, de victu & amictu. Quin curam tuam jactes super Dominum. Ille creavit cœlum & terram. E. & tibi creabit buccellam panis.

Cap. 42. Applicatio instrumentorum Logicorum ad juvandam memoriam.

Usus mnemonicus instrumentorum Logicorum.

ABsoluta est prima pars Logicæ specialis, de applicatione, intellectuali instrumentorum Logico-

Logicorum : restat altera, de applicatione eorundem ad juvandam memoriam & reminiscentiam.

Memoriam faciunt duplicem,ut è Physicis discere potes, sensitivam & intellectivam. Intellectivam juvant media intellectualia. Quia enim in memoriâ id servandum est,quod intellectus antea comprehendit, ideò iisdem mediis juvabitur memoria, quibus dirigitur intellectus. *Keckerm.syst.rhetor.lib.3.cap.1.* Vide etiam Ramum pulchrè hâc de re disserentem *lib.20.schol.Dial.in corollario.*

Applicatio instrumentorum Logicorum ad memoriam est principalis, vel minùs principalis.

Applicatio principalis est,quâ instrumenta Logica applicantur ad ediscendum.

Manent hîc eadem media; sed diversam applicationem nanciscuntur. Qui igitur instrumenta dirigentia intellectum ex arte Logicâ rectè novit,idem etiam facilè potest per eadem instrumenta memoriam suam juvare.Neque est, quòd quispiam existimet,ullam memoriæ artem posse disci ab eo, qui non novit artem intellectus,id est, Logicam. Iccirco inpræsentiarum trademus singulorum instrumentorum Logicorum ad memoriam & reminiscentiam juvandam applicationem.

Instrumenta Logica memoriam juvant hoc ordine,his gradibus:

I. Loca inventionis juvant memoriam duobus modis. Primus est, quòd imagines in arte mnemonico-topicâ desumuntur ex locis inventionis hoc ordine:

1 Ex causis: cùm causa pro effectu ponitur; ut tuba & tonitru pro sono, Livius pro scriptis,lingua pro sermone,oculus pro visu, ensis pro milite, penna pro notario,malleus pro fabro, circinus pro geometrâ, astrolabium pro astrologo.

2 Ex effectis; cùm effectum pro causâ ponitur: ut, pomum pro arbore,caseus pro Frisiâ,canes pro Epiro.

3 Ex subjectis; cùm subjectum pro adjuncto sumitur: ut,equus pro hinnitu,sus pro grunnitu,bos pro mugitu,ele-

phas pro barritu, Æthiops pro nigredine, lepus pro timiditate, asinus pro pigritiâ, formica pro diligentiâ, lupus pro voracitate, serpens pro astutiâ, equus pro superbiâ, canis pro impudentiâ, ignis pro calido, pomum pro odorifero, saxum pro duro, pluma pro molli, saccarum pro dulci, absynthium pro amaro, nix pro albo.

4 *Ex adiunctis*; cùm adjunctum ponitur pro subjecto: ut, pro sene tristitia, seu tristis aliquis canus & calvus; pro juvene lætus & imberbis, pro Germano bibulus, pro Italo scortator, pro Lusitano Papisticus fervor, (Lusitani enim vel mortui spirant fulmina & ignes pro Papanâ religione) pro Januario glacies, pro Februario pluviæ.

5 *Ex signis*; cùm signum ponitur pro re signatâ: ut, corona imperialis pro ipso Imperatore, corona tergemina pro Pontifice, galerus rubeus pro Cardinali, pedum pastorale pro Episcopo, sceptrum pro rege, liber pro doctore, calcaria pro equite, aquila biceps pro Romano imperio, claves pro Pontifice, lilia pro Galliarum regno. Sed hic modus reduci debet ad locum adjunctorum.

6 *Ex signatis*; cùm signatum ponitur pro signo: ut, ver pro viriditate, Doctor pro libro, Pontifex Romanus pro clavibus. Sed hic modus reduci debet ad locum subjectorum. Substituamus itaque locum antecedentium, connexorum & consequentium. *Ex antecedentibus*; cùm per antecedens illustre recordamur consequentis minùs illustris: ut, per auroram splendidam meridiei nubilis, per mortem sepulturæ. *Ex connexis*; cùm per unum connexum recordamur alterius: ut, promulgatio verbi Dei facit nos reminisci administrationis sacramentorum; justitia Dei nos ad misericordiam ipsius manu quasi ducit. *Ex consequentibus*; cùm consequens παθηλικώτερον nos ducit in recordationem antecedentis non ita pathetici: ut, cùm ab ultimo judicio regredimur ad resurrectionem, ab amœnitate veris ad asperitatem hyemis.

7 *Ex oppositis*; cùm unius contrarii recordamur per alterum, cujusmodi *Aristoteles in libr. de memoriâ & reminiscentiâ*, meminit. Sic albi recordabere per nigrum, pii per impium, patris per filium.

8 Ex com-

8 *Ex comparatis*; cùm per similia firmiter rem aliquam imprimimus, diu retinemus, & facilè recordamur.

9 *Ex toto*; cùm totum pro parte ponitur: ut, mons pro cacumine, equus pro ungulâ equinâ.

10 *Ex partibus*; cùm pars pro toto ponitur: ut, manus pro homine, Constantinopolis pro Turciâ.

11 *Ex genere*; cùm genus pro specie ponitur: ut, orator pro Cicerone, dux pro Alexandro Magno.

12 *Ex specie*; cùm species ponitur pro genere: ut, Cicero pro oratore, Aristoteles pro philosopho.

Hæc est Logico-mnemonica ratio excogitandi imagines sive conceptus in arte memoriali. Res ita habet. Ars mnemonico-topica absolvitur locis, imaginibus, & combinatione locorum atque imaginum. Alii loca vocant subjecta, imagines verò conceptus. Constituantur igitur certa loca, non quidem naturalia, sed artificialia, eaque quadrata. His locis constitutis ordine, & memoriâ ita comprehensis, ut recitari queant ordine recto, retrogrado, & intermedio seu intercalari, inscribantur imagines insitæ, seu perpetuę & immobiles, videlicet personæ notæ, vel termini artium. Si jam aliquid memoriæ sit commendandum, excogitentur imagines adventitiæ, quæ desumuntur à rebus memorandis, inveniuntur ex locis Logicis, & combinantur cum insitis. Hac namque ratione perficitur actus memorialis. Atque paucis his verbis ea complexi sumus, de quibus multi prolixis disputârunt voluminibus, secuti Ciceronem.

Secundus modus, quo loca inventionis memoriam juvant, ita habet. Id, quod memoriæ mandare cupis, vel jam est confectum, vel adhuc est conficiendum. Si jam est confectum, vel à te, vel ab alio. Si à te, facilè poteris memoriæ cõmendare, observato artificio Logico. Si ab alio, observa thema & argumenta, adeoque institue analysin ejus rei, quam ediscere cupis. Si adhuc est conficiendum, vel singulos locos percurre ordine, vel eos selige ad tuum qui maximè facere videbuntur institutum. Ita si procedis, memoriæ facillimum invenies subsidium. Si non, te reprehendes.

II. Prædicamenta juvant memoriam tribus modis. 1. Vocabula digeri possunt juxta seriem prædicamentalem, ita ut alia sint vocabula substantiæ, alia qualitatis, relationis &c.

2. In prædicamentis ὡς ἐν συνόψει videre est universitatem rerum; quæ res memoriam valdè juvat. 3. Themata explicari & demonstrari possunt per hos titulos, ut suprà docuimus.

III. *Horistica sic juvat memoriam.* Si velis memoriter de re aliquâ dicere, affer ejus definitionem, eamque per partes resolve.

IV. *Meristica juvat memoriam, dum docet quamlibet rectè partiri.* Dici non potest, quàm facilè, quàm diu hæreant ea, quæ rectè sunt distributa, præsertim si distributiones in tabulas redigantur.

V. *Doctrina axiomatica sic juvat memoriam.* In lectione bonorum authorum observentur axiomata insigniora, quorum singulæ species singulis imaginibus exprimi debent. Sed enunciationis ordo ut minor est, sic minus habet subsidii ad recordandum? *Ram. libr. 20. schol. Dial. in fine.*

VI. *Syllogismi collocatio percepta memoriam maximè adjuvat. Ramus d. l.* Sic exempli gratiâ puer, qui velit epistolā, vel carmen aliquod memoriæ commendare. Is videbit quot syllogismi occurrant in propositâ materiâ. Singulas partes notabit, majorem, minorem, & conclusionem, earumque præcipuas exornationes. Cùm hâc interpretationis diligētiâ puer totam sententiam distinxerit, vel à diligenti præceptore distinctam acceperit, hâc syllogismorum descriptione non solùm partes, sed partium quoq; sententiam sibi repræsentabit, ne dicam, verba connumerabit. Nam cùm scierit, primo loco propositionem, secundo assumtionem, tertio conclusionem esse, sciet itidem ex cognitis syllogismi legibus, quæ vis cujusque partis esse debeat; quinetiam hâc ratione facillimè φαντασίας, uti Ramus vocat d. l. animo concipiet, per quas imagines rerum absentium ita subjiciet animo, ut cernere oculis, ac præsentes habere videatur: ut si in psalmo primo occurrat imago arboris, glumæ, venti, judicis.

VII. *Instrumentum ordinis, sive methodus Logica, præcipuum memoriæ subsidium, & tutissima panacéa erit. Ramus d.l. Keckerm. l. 3. syst. Rhet. c. 1.* Erit autem præcipuum memoriæ subsidium, si sequentes canones observentur.

1. *Omnia ea, quæ memoriâ complecti velis, primò refer ad* certam

certam diſciplinam. Ratio canonis: Quia ordo rerum diſpoſitus eſt per diſciplinas,ideò incredibile dictu eſt,quantum hoc adjuvet memoriam,ſi,quando rem aliquam legis, audis,vel vides,ſtatim tecum cogites,ad quam pertineat diſciplinam. Et cùm hoc habes,poſteà cogites,ad quam iſtius diſciplinę partem,ſimulq; adeò animo comprehendas iſtius rei ſeriem,quam habet cum rebus antecedentibus & conſequentibus. Quòd ſi ergo omnes diſciplinæ rectè eſſent diſpoſitæ; ita,ut omnia,quæ leguntur,audiuntur,videntur,ſtatim poſſent ad certæ diſciplinæ methodum reduci, jam memoriæ omnium ſtudioſorum optimè eſſet conſultum, & poſſent ingentem rerum copiam animo ſemper retinere ac circumferre, & quoties opus eſſet, ſemper expeditè de iſtis rebus diſſerere.

2 *Ad ordinem iſtum pertinet connexio.* Ordo enim conſiſtit in priori & poſteriori.Itaq; ubi ordo eſt,ibi eſt connexio: ubi autem connexio eſt, ibi unum ab altero trahitur, & unum ex altero ultrò fluit.Rectè igitur Quintilianus ſcripſit, memoriam inprimis juvari aptâ rerum ſerie: quando nempe antecedentia & cōſequentia ordine inter ſe devincta ſunt, ut media cum primis, ultima cum mediis cohæreant,& iſto nexu perſpecto nihil neque ſubtrahi,neque addi poſſit. *Junius in arte dicendi,cap.23.* Et *Ariſtot.l.de mem.* τάξιν ait eſſe ex præcipuis memoriæ adminiculis. Iſta autem connexio his tribus methodi Logicæ legibus gubernatur, quæ ſunt *coordinationis,colligationis,& homogeniæ.* Lex coordinationis præcipit progredi è generaliſſimis per ſubalterna ſeu intermedia ad ſpecialiſſima.Generalia autem ſunt,quę ſine ſequentibus intelligi poſſunt,& ſine quibus ſequentia intelligi non poſſunt. In Grammatica doctrina de literis eſt generalior doctrina de ſyllabis: quia litera poteſt definiri, eſſe,& cognoſci ſine ſyllaba, ſyllaba autem ſine litera minimè. Lex colligationis jubet partes tractationis, ſi longior inter eas interſit explicatio, tranſitionis, nunc perfectæ, nunc imperfectæ, vinculis conſtringere. Lex denique homogeniæ præcipit, ut omnia ſint homogenea, quæ docentur,prætermiſſis heterogeneis. Homogenea autem ſunt,quæ faciūt ad explicationem definitionis vel ſcopi:ut,doctrina de literis eſt homogenea in Grammaticâ, quia facit ad explicationem

definitionis Grammaticæ; eſt heterogenea in Logica, quia definitionem Logices non explicat. Tres itaque iſtæ leges memoriam adjuvant hoc modo: prima connexione antecedentium & conſequentium, ſecunda repetitione, tertia brevitate.

3 *In longioris orationis & diſputationis ambitu ſi methodus ſervata non ſit, memoriæ ſubſidium præcipuum erit, ad ordinem externum confugere.* Ordo namque Logicus eſt internus, rerum putà diſcendarum cohærentia à ſummo aliquo genere incipiens, & per ſpecies atque genera ſubalterna deſcendens uſque ad ſpeciem infimam ſeu ſpecialiſſimam. Hic ordo probè intellectus, & ſæpe repetitus, præſtat habitum memorativum ad perpetuitatem quandam, retinendi præcepta homogenea artium, quatenus ſunt methodicè diſpoſita. Ac res hoc ordine memorandæ per notiones & imagines proprias, quæ ſunt definitiones, diviſiones, theoremata & canones, aliosque terminos Dialecticos in ſuas quaſi cellulas & areolas memoriæ collocantur: *Polanus in præfat. partit. Theol.* Ordo autem externus eſt præcognitus partium loci alicujus; ubi res memorandæ in loca partialia ordine diſpoſita collocantur per imagines. Hic præſtat memoriam facilem rerum maximè heterogenearum, nullum ordinem internum habentium, ut ſyllabarum, dictionum ignotarum, & ſimilium. Quæ tantò faciliùs & feliciùs hac arte mnemonico-topicâ, ſeu locali, apprehenduntur, quantò minùs inter ſe ordine aliquo interno cohærent, quantóque magis ſunt heterogenea. Ex his efficitur, memoriæ artem Logicam non ſufficere; cùm illa tantùm pro objecto habeat homogenea.

Applicatio inſtrumentorum Logicorũ ad memoriam minùs principalis eſt, quâ illa applicantur ad id, quod memoriâ comprehendendum eſt, dextrè annotandum in locis communibus: *qui ob id à quibusdam vocantur* memoria ſubſidiaria.

Quæ verò ſit optima ratio hujusmodi locos conſtituendi, non una eſt omnium ſententia. Meam de locorum communium adornatione ſententiam plenè propoſui in *oratore meo à pag. 274. uſque ad finem*; non quòd illam doctrinam

in ora-

in oratoriâ homogeneam esse tum existimaverim, sed quia sic flagitabãt ii, quibus me & mea probare pro virili studeo.

TYPUS LIBRI DECIMI.

IN QUO

LOGICA SPECIALIS.

Logica specialis est de usu instrumentorum Logicorum; ubi traditur hujus usus

- Necessitas. cap. 1.
- Divisio, Applicatio instrumẽtorum Logic. est---
  - Intellectualis; quæ cõsid. in
    - Genere. cap. 2.
    - Specie. Est
      - Partialis
        - Noëtica
          - Thematica. cap. 3.
          - Argumẽtosa, in
            - Genere. c. 4.
            - Specie. à c. 5. usq; ad 32.
          - Axiomatica. cap. 32.
        - Dianoëtica
          - Syllogistica. c. 33.
          - Methodica. c. 34
      - Totalis
        - Synthesis
          - Acroamatica; cujus---
            - Affectiones
              - Distinctio. c. 35.
              - Interpretatio. c. 36.
            - Species
              - Explicatio. c. 37.
              - Disputatio
                - Solitaria c. 38.
                - Socia. c. 39.
          - Exoterica. cap. 40.
        - Analysis. cap. 41.
  - Mnemonica. cap. 42.

PERORATIO LOGICES.

HAbes nunc, Logicæ cultor, fines agri Logici; habes fructum. Quod supereſt, penes teipſum eſt, ut Logicus fias, crebrâ exercitatione, & ardenti precatione, quâ Patrem illum luminis, ſine cujus lumine nihil eſt in homine, ardenti animo roges, ut det tibi lumine Logico dextrè cognito feliciter uti ad divini quidem ipſius nominis ſanctificationem, & ſanctiſſimi regni amplificationem, Diaboli verò & ſquamarum ejus, ſophiſtarum ſcilicet & vertiginoſorum homuncionum, confuſionem. Hoc enim mihi quæſitum eſt perexiguâ hâc opeliâ, ad quam legendam, cenſendam, boni, judicio, mali, morbo quodam animi potiùs, quàm veri cognoſcendi amore agentur.

FINIS.

INDEX

INDEX MATERIARUM PRÆCIPUARUM.

Lectori.

HOc mihi præcipuè quæsitum structurâ hujus indicis, ut uno velut obtutu & oculo irretorto, ut ajunt, præcipuarum materiarum titulos notare liceret: verbi gratiâ: quæ de causâ hinc inde sparsa sunt, hic index ὡς ἐν συνόψει simul exhibet: sic quæ de formâ, de definitione, & similibus. Præcipuæ autem materiæ juxta seriem alphabeti sunt istæ:

Ad has materias præcipuas notabis sequentes titulos.

ACCIDENS.

ACTIO.

ADJUNCTUM.

AFFIRMATIO.

ANALYSIS.

ANTECEDENS.

APPETITUS.

ARGUMENTUM.

ARS.

AXIOMA.

CONNE-

DEUS.

DISCIPLINA.

DISPARATA.

DISPUTATIO.

DISSENTANEA.

DISSIMILIA.

DISTRIBUTIO.

NOTIO.

OPPOSITA.

PARIA.

PARS.

PASSIO.

PHILOSOPHIA.

PRÆDICABILIA.

PRÆDICAMENTUM.

PRÆDICATIO.

PRINCIPIUM.

SUBSTANTIA.

SYLLOGISMUS.

SYNTHESIS.

TERMINUS.

TESTIMONIUM.

THEMA.

TOTUM.

UBI.

VOX.

Liber Johan Adami Heid

COMMISSA ET OMISSA.

Sunt aliquam multa hîc commiſſa, quæ minimè oportuit, ſi ſpectes nonnullas literulas. Sed hæc faciliùs emendabis, quàm vulpes comeſt pyrum. Nos igitur quatuor ſolùm notamus, quæ magis abnormia, ut ne plauſtro erratorum hanc operam oneremus.

Pag.115.in margine cis finem pro *cauſa* lege contra.

Pag.340.ad finem cap.11. hæc adde:

Axioma certum eſt, quod unicum admittit ſenſum: ut, Deus eſt omnipotens. *Ambiguum, quod diverſum ſenſum habet:* ut, Angeli ſunt miniſtri Dei. Nam vox *Angeli* hîc notare poteſt vel ſpiritus à corpore liberos, vel œconomos myſteriorum Dei in Eccleſiâ militante.

Pag.529.in margine, *fillacia*, lege fallacia ſpeciei.

Pag.764. lin.12. cis finem pro *At proſyllogiſmus* lege At proſſyllogiſmus.



uit,
da-
fo-
trá-

ut,
sum
hîc
no-

os-